

senes. Sanctus Hieronymus; *Dies afflictionis* illos esse putat, in quibus iudicium extremum, & vniuersale peragetur, quod pœnæ gehennales consequentur; quæ omnia præuenisse Iobus videri potest, quia iudicij extremi & pœnarum illarum effigiem in se contemplatur, & bonam illarum partem experitur. Eadem ferme Philippus, & Beda.

74. Verſ. 28. *Mœrens incedebam sine furore; conſurgens in turba clamabam.*] Cùm iam eſſet de cœlo tactus orbatus filiis, & , vt opinor, diro percuffus vulnere, demiffio vultu & ægro animo incedebat, ſine furore, & faſtu, clamabátque non minaci, & ſuperbè inflata, ſed ſummiſſa, & modèſtè ad cõmmiſerationem inflexa voce. Hebræus legit: *Alter ambulauit non ob ſolem.* Septuaginta: *gemens illi ſine freno: & ſteti in cœtu clamans.* Hæc velle inter ſe componere longi eſſet laboris, à quo ſuperſedeo, neque vtraque lectio expoſitione indiget.

75. Verſ. 29. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.*] Hic multa & varia Doctores, & interpretes. Quæ ego ad duas ſententias, ſeu capita reducam. Prior dracones, & ſtruthiones eos eſſe iudicat, quibus cum agit Iobus, qui ingenium mutauerunt humanum in ferinum, & barbarum. Fuerunt enim ſicut dracones, qui morſu lacerant, terrent ſibilo, veneno interimunt, & horribili aſpectu turbant, & exanimant, in quibus nihil vides, quod ames, nihil quod non execreris, & horreas. Fuerunt quaſi ſtruthiones, qui aded ſunt ſtolidi, obliuioli, ingrati, immiſericordes vt neque prolem ſuam curent, cùm ova deſpiciant, neque illos pulloꝝ ſuorum miſereſcat, quos quaſi alienos deſpiciunt, & abigunt, de quibus plura nobis neceſſariò dicenda infra cap. 39. v. 13. ita S. Thom. Dionyſius, Lyra, inclinat Beda, & Caietanus.

76. Aut ſe ipſum Iobus cum draconibus, ac ſtruthionibus comparat, quod etiam indicat modus ipſe loquendi. *Frater enim dicitur alicuius,* qui ab illius ingenio, & viuendi modo non recedit. Quomodo Prou. 18. verſ. 9. legimus; *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis,* id eſt, quàm ſimillimus. Eccl. 34. v. 27. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Nunc videndum qua in re Iobus ſimilis videri, aut frater debeat draconum, ſeu ſtruthionum. Quidam in eo putant, quia ſicut hi ſoli in fyluis viuunt, lociſque deſertis, ſic etiam ex quo ex florenti cecidit fortuna, Iobus ab hominum conuictu in ſolitudinem ſeceſſit. Habuit enim domum ſeparatam ab aliis, quia aut ipſe ſponte diſceſſit ab hominũ conſortio, ne illis eſſet moleſtus, aut noxius: aut certè ab aliis eſt egredi compulſus: quia fortasſe ita erat à lege, ſeu conſuetudine cautum, ne leproſus cum aliis in ciuitate viueret, ne quid alij peſtilens ex illius familiaritate contraherent. ita indicat auctoꝝ Catena.

77. Alij in eo exiſtimant Iobum ſtruthionum, aut draconum eſſe fratrem: quia vt illi miſerabili ſibilo, & lugubri gemitu lamentantur & vlulant; ſic etiam Iobus gemitu afflicto; quia ſollicitudo, & mœror ægrum animum, & doloris acerbitas ſtimulabat corpus vehementer. Plurima hic obſcura, & incerta: illud certum, ſtruthionum, & draconum cantum prouerbiali ſpecie pro ingenti, & ad-

A modum lugubri lamentatione ſumi. Sic Michæas cap. 1. verſ. 8. fortasſe cum alluſione ad hunc locum: *Faciám planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum,* ad quem locum in noſtris commentariis ſuper Michæam multa diximus, quæ ad hunc locum tranſcribere non erit leue opere pretium. Vterque locus obſcurus eſt: quia ſimilitudo dicitur à re vehementer obſcura, & ab his, qui de animalium naturis ſcripſerunt, vix aliquid certum deſumi potest, quod planctum oſtendat draconis, aut ſtruthionis, & aliquid lucis afferat huic loco, in cuius commentatione nobis laborandum eſt. De luctu draconis id ferme habemus, quod docet hoc loco Hieronymus; Draconem nempe cùm ab elephante ſuperatur, horribili reſonare ſibilo, quod ſumpſiſſe dicit ab illis, qui de re naturali hiftorias prodiderunt. Ego apud authores de hiftoria animalium luctam lego, & odium, inter elephantem, & draconem; luctum vero non lego. Eſt tamen veriſimile horribiles illum eiere ſonos, cùm ab elephanti pondere opprimitur, quem ipſe priùs ſpiris implicuerat, & ſanguinem exuxerat. De qua lucta Plinius lib. 8. cap. 11. & Elianus lib. 6. cap. 20. Cyrillus ex aliorum ſententia refert, ſi percutiatur draco tunc demum eiulare, doloremque ſuum cauda terram verberando declarare ſolitum, nec mediocrem clamorem emittere. Res eſt incerta. Fortasſe de aliquo draconum genere hoc affirmant ſcriptores nobis ignoto. Nam cùm innumera inueniantur draconum forma, non eſt improbabile ab illarum aliqua eiufmodi eiulatus, vt in clamoris ingentis comparationem adhiberi poſſit, quique eius ſit natura, vt non ſolum perterreat, ſed etiam exanimet audientes, vt dicit Albertus lib. 26. de animalibus.

De ſtruthionibus res eſt adhuc obſcura magis, neque habeo aliquid certum, quod probem aliis, aut in quo mihi ipſi ſatisfaciam. Montanus tunc gemere ſtruthiones putat vehementer cum ab æſtu, & ſiti vehementer vrgetur. Si verum eſſet quod de ſtruthionibus prodit Elianus lib. 14. hift. c. 6. aliqua ſeſe oſtendet cauſa cur ſtruthio, & dolere grauiter, & vlulare debeat; *Nam venator qui ſtruthionibus inſidiatur, ubi ſtruthionis nidum deprehendit, peracutus ex ferro cuſpides ſpiculorum more reſectas circa nidum deſigit: & alicubi prope in occulto latens ex inſidiis rei euentum expectat.* *Struthio vero quoniam amore, quem erga ſætus ſuos acerrimũ habet, flagrans ſcien- ter cum eis verſari cupiat, ex inſiſtione paſtus reuertitur, ac nimirum priuſquam in nidum introeat, huc illuc verſans, oculos circumſpectat, quod metuat nequis ſeſe ſpeculetur.* Deinde ardentiffimo pulloꝝ ſtudio victa, & ſi ferrum ſplendeſcit, ita tamen aliſ paſſis, tanquã velis contecto ſune explicatis intra nidũ miſerabiliter ingreditur: nã cuſpidato ferro tráſixu acerba morte afficitur. Hæc Elianus, quæ ſanè ſi vera ſunt, ſatis grauem vlulandi cauſam habet ſtruthio, cùm ſaucium ſe videat, intentumque venatorem filioꝝ prædæ, quibus nullo modo poſſit eſſe ſubſidio. Sicut etiam draco, cùm victor in elephanti congreſſu inſperato caſu mortui pondere oppreſſus rumpitur.

Verũ vt hæc ita ſint, non tamẽ exiſtimo in eo poſitam eſſe ſimilitudinem, quod magnos longèque ſonantes clamores edant ſtruthio-

78.
Draconis
eiulatus.

Draconis eſt
elephantis
pugna.

79.
Struthionũ
gemitus, &
in filios
amor.

80.

nes, ac dracones: sed quòd tristes, quales
ciere solent moribundi, & quibus exanima-
tus est spiritus, & voces à deficiente halitu
exanimatæ, & obscuræ.

80. Vbi Vulgatus *Struthiones*, Septuaginta tran-
stulere, *Syrenas*, de quibus varia, atque in-
credibilia fabulantur Poëtæ. Plorare quidem
miserabiliter, alioqui vocales docent, qui fa-
bulosa scripsere. Sanè Seneca in *Hercule Oe-*
thæo planctus *Syrenum* inter mœstissimos nu-
merat.

--- *Digna sonent*
Verbera planctu me vel Sipyli,
Flebile saxum figite superi:
Vbi mœsta sonat Phætoniadum
Turba sororum: me vel Siculis
Addite saxis, vbi fata gemit
Thessala Syren.

81. Cyrillus aues esse putat vocales, & cano-
ras, quales sunt lusciniæ, quæ, vt suauissimè
cantillant, cum nihil illis accidit aduersum;
sic triste aliquid, & miserabile modulantur, si
quid illis lamentabile contingat. Putat Cyril-
lus lusciniæ nidos suos iuxta maris littora
construere, & ibi incubare ouis, quod ita for-
tasse est; tamen ego neque legerim apud pro-
batum aliquem authorem, neque audiverim;
Diuinus, ait, *Cyrillus, i spirata scriptura* *Sy-*
renas vocat *passerculorum loquacissimos, & suauem*
sonum edere solitos: aut interdum ipsas lusciniæ,
qua in sinibus marinis ouis incubant. Deinde nido à
fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, partus sui
damna quodam modo lamentantes. Hæc in Al-
ciones aptius cadunt, quæ iuxta littora nidi-
ficant, & ablatos pullos miserabiliter lugent.
Lugubrem esse lusciniæ, siue *philomelæ* can-
tum, cum pulli vel rapiuntur ab aucupe, vel
deuorantur à colubro, cecinit *Maro* libro 4.
Georg. vbi sic de *Orpheo Euridices* exitium
deplorante.

Qualis populea mœrens philomela sub um-
bra
Amisissos queritur fœtus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Elet noctem, ramoque sedens miserabile car-
men
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

A *Verf. 30. Cutis mea denigrata est super me.]*
Cutem ego illam squamofam crustam intel-
ligo, quæ veluti cortice quodam *Iobus* tege-
batur. Quæ quia arida, & mortua, necesse
fuit, vt atrorem contraheret. Idem cecinit de
captiuo populo *Ieremias* *Thren.* cap. 5. *Pellis*
nostra quasi clibanus exusta est. & cap. 4. de *Na-*
zareis; Denigrata est super carbones facies eorum.
Idem penè dixerat *Iobus* supra cap. 7. *verf. 5.*
cutis mea aruit, & contracta est.

Ossa mea aruerunt præ cauma.] *Cauma* ar-
dor est, atque æstus. Vnde verò ardor iste pro-
uenit, qui arefecit ossa à febre ne, an ab alia
corporis affectione pestilenti, & caustica, ob-
scure est. Laborasse febre *Iobum* satis est
ex vehementi totius corporis cruciatu verifi-
mile: neque ipse siluit, cum hoc ipso cap. v.
17. iuxta *Hebraicum* textum nocte dièque as-
ferat laborasse se febre, neque illius vim vel
modicè remitti. Vbi enim *Vulgatus: qui me co-*
medunt non dormiunt: textus habet *Hebræus,* &
vertit *Pagninus: pulsus mei non conquieuerunt.*
Eodem modo *Isidorus, Vatablus,* & *Hebræus*
apud *Caletanum.* Quod sic explicat *Vatablus:*
Arteria, inquit, *mea non conquieuerunt;* id est,
nocturno sentio grauissimum dolorem: neque pulsus
meus redditur minor tempore nocturno.

Verf. 31. Versa est in luctum cithara mea, &
organum meum in vocem flentium.] Prouerbialis
est species, qua magna significatur rerum con-
uersio. An *Iobus* vltus fuerit *cithara;* & orga-
no, sicut *Dauid,* vel domi habuerit *sympho-*
niacos pueros, quorum numeroso cantico la-
xaret animum, & ad celestium rerum con-
templationem excitaret spiritum, incertum
est. Hoc tamen certum; in *cithara,* & organo
fœlicem significari fortunam, & hilarem ani-
mum; in *voce autem flentium,* & *lugubri in-*
fœlicem, & ærumnosam sortem, & anxium
animum, & mœrore contractum. Quare cap-
tiuus *Babylonij* cum nihil sibi in alieno so-
lo iucundum promitterent, sua ex salicibus
organa suspendunt: *Psalm. 136.* & *Isaias* cap.
24. *verf. 8.* tum duram populo sortem denun-
tiat, organorum musicorum silentium indi-
cit; *cessauit* inquit, *gaudium tympanorum: quie-*
uit sonitus latantium: conticuit dulcedo citharæ.

ARGUMENTVM CAP. XXXI.

IOTO hoc capite docet, idque iureiurando confirmat, quid in florente in-
tegraque fortunareligiosè fecerit ac piè. Illa præsertim se fecisse negat, à
quibus magis abhorret Regem suprema dignitas; & quæ minus horrere
plerumque solent, qui cum potestate sunt. Primum docet vsque ad eò se di-
ligenter & cautè castitatem coluisse vt se uero supplicio sibi interdixerit fœminarum aspectum,
ne vel tenui cogitatione macularet animam. Deinde se in legitimū iudiciū venisse nō gra-
uati, si quando cum ancilla, & seruo aliquid esset controuersum, & dubiū, quod aliorum
iudicio oporteret expendi. Ostendit item quàm erga domesticos, & peregrinos, turbamque
nudam, atque famelicam liberalè se humanumque præbuerit. Quomodo neque in diuitiarum
magnitudine, quasi suo studio, atque labore comparata sibi gauisus fuerit, aut in aliorum
quodam insensos habuit, infortunio letatus. Denique neque externa atque inani sanctitatis
umbra simulasse, atque texisse scelera, quæ laterent intrinsecus. Quorum omnium
Deum iudicem esse capit, & ab illo iudiciali ritu, librum conscribi, quem circumferret,
& recitaret publicè, vt innocentie sue publicum & illustre testimonium.

PARA

1. **P**Epigi f r d u s cum oculis meis,
vt ne cogitarem quidem de vir-
gine.

2. Quam enim haberet in me
Deus desuper, & hæreditatem Omnipoten-
s de excelsis?

3. Nunquid non perditio est iniquo,
& alienatio operantibus iniustitiam?

4. Nónne ipse considerat vias meas,
& cunctos gressus meos dinumerat?

5. Si ambulauit in vanitate, & festina-
uit in dolo pes meus:

6. Appendat me in statera iusta, & sciat
Deus simplicitatem meam.

7. Si declinavit gressus meus de via,
& si fecutum est oculos meos cor meum,
& si manibus meis adhæsit macula:

8. Seram, & alius comedat: & proge-
nies mea eradicetur.

9. Si deceptum est cor meum super
muliere, & si ad ostium amici mei infi-
diatus sum:

10. Scortum alterius sit vxor mea, &
super illam incuruentur alij.

11. Hoc enim nefas est, & iniquitas
maxima.

12. Ignis est vsque ad perditionem de-
uorans, & omnia eradicans genimina.

13. Si contempsi subire iudicium cum
seruo meo, & ancilla mea, cum discepta-

1. 2. Statui apud me graui mihi indicto
supplicio, si contra facerem, ne oculis meis li-
beram facerem spectande virginis facultate-
tem; quia verbar ne ex illo conspectu ali-
quam animus scintillam cõciperet que mor-
tiferum postea excitaret incendium; Quo-
modo enim Deo qui in excelsis habitat, & cui
casta placent, & immaculata, cui totum me
iam antè consecraui, gratum pararem hospiti-
um, si illud vel exigua turpitudinis labes
infecisset.

3. Et cur ego tam fædum vitium, & tam
immane monstrum non horrerem, cum innu-
merabilia gignat mala, & iniquum ad om-
ne virtutis opus languidum reddat, & ebri-
orum in modum à Deo, & à seipso prorsus
alienum.

4. Quia de intimis animi mei sensibus,
tacitisque consiliis que hominum nemo cer-
nere; aut nosse potuit dicturus sum, testem
aduoco Deum, cuius intelligentiam latere ni-
hil potest eorum, que apud se homines tacite
meditantur: & si quid simulo, aut veritati
infidelis affingo, talia mihi euenire precor,
qualia homines execrantur, & horrent; que
statim subiiciam.

5. 6. Si in operibus meis, atque consiliis
vnquam vanitati seruiui, si cum aliud specta-
rem, aliud dolosa simulatione præ me tuli, ex-
quirat hoc Deus, & ad seueram irutinam,
quàm fieri possit diligenter expendat. Neque
recuso si parum in illius examine simplex ap-
paream, subire pœnam quam mea simulationi
seueram imposuerit.

7. 8. Si pedes mei à definito à Deo, seu à
recta ratione stramine declinarunt, si ad illa,
que vidit oculus, animum adieci; si manibus
meis auaris, atque rapacibus ex alienis opi-
bus quicquam adhæsit, idem precor ab hoste,
aut predatore contingat mihi, metat alienus,
que ego seminavi, & his fruatur bonis, que
ego mihi liberisque meis prouidus paraucro;
& quas plantaui arbores, & germina, stirpi-
tus euellat.

9. 10. Si cæco, atque vasano amore alie-
ne vxoris conjugali fidei, aut virginali pudori
infidiatus sum, idem mihi vxore violata
ab adulteris contingat, quorum vxor mea li-
bidini succumbat.

11. 12. Hoc autem nefarium est scelus,
longeque grauisimum, quòdque omnia sub-
uertit, tam pacis, vite, que subsidia, quàm di-
gnitatis ornamenta, non secus atque ignis,
qui tam stirpes, quàm ramos populatur, &
soluit.

13. 14. 15. Neque seruum, aut ancillam,
aut ignobilem hominum, atque infirmam tur-

rent aduersum me.

14. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quaesierit, quid respondebo illi?

15. Nunquid non in utero fecit me qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus?

16. Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduae expectare feci:

17. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea:

18. (Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de utero matris meae egressa est mecum)

19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem:

20. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de vellere ouium mearum calefactus est:

21. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiore.

22. Humerus meus a iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.

23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui,

24. Si putauit aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea.

25. Si latatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.

A *basi quid contra habere se clamarent, reieci indignatione commotus, sed rem ad integrum legitimumque tribunal deduci volui, & ad seueram trutinam expendi. Quid enim auderem aliud cum iudicem haberem Deum miserorum patronum, & vindicem, cuius essem censorios oculos, & integrum iudicium subiturus. Et quid praeterea illorum fortunam, petitionemque contemnerem cum omnibus hominibus idem sit genus, eadem natura, idem formator Deus, qui tam Reges, quam vulgus ignobile intra materna viscera compegit?*

B 16. 17. *Neque quidquam negauit petenti, aut indigenti pauperi: neque cum suam mihi necessitatem vidua proponeret, procrastinaui beneficium, neque diu imploratam opem, & expectantem animum mora intercedente suspendi; Neque putabam suauem mihi futuram bucellam panis, nisi ex illa quoque gustasset, & quasi praelibasset pupillus, & nisi prius a liberali manu misericordia benefica condiret.*

C 18. *Neque cuiquam mirum videri debet, sitam auidè miserorum necessitati subuenire, cum ex materno utero hauserim illam ad bene de aliis merendum, leuandamque miserorum inopiam natura pronitatem.*

19. 20. *Numquam nudum, aut pannosum hominem fastidiui, aut pauperem & sordidum a meo conspectu conuictumque reieci. Quin potius illum complexus sum humaniter, & de vestimento, quam potui ocyssimè, commodauit, & rigentibus membris ex mearum ouium vellere tegumenta dedi. Qui ideo humanitatem meam gratis commendarunt, mihi que omnia secunda precati sunt.*

D 21. 22. *Si, quod praua consuetudo in forense iudicium introduxit, super pupillum a iudice damnatum, aut sceleris conuictum infensam manum eleuaui, cum essem in ea concertatione superior. Manus obrigescat, & torpeat, & comminutis ossibus debilitetur brachium, & humerus a sua sede, & colligatione diuellatur, & excidat.*

E 23. *Cur ego contra pupillos durum aliquid, & barbarum auderem, cum scirem Deum illorum in se causam, & defensionem suscepisse. Quem non aliter timebam, quam si imminentes in me fluctus viderem, & in illis ineluctabilem moriendi necessitatem.*

24. 25. *In auro atque opibus, quae iudicia corrumpunt efficiuntque ne aliquis licet magnorum scelerum reus iudicetur nocens, spem libertatis, atque victoria numquam collocaui; neque elatus superbia, aut gaudio immoderatus exultaui, quod contra omnes fortunam aut hominum assultus satis essem ab opibus instructus.*

26. Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè:

27. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manus meas ore meo.

28. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.

29. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum.

30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.

31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur?

32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

33. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.

34. Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.

35. Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat.

36. Vt in humero meo portem illum, & circumdum illum quasi coronam mihi?

37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.

A 26. 27. 28. Cum viderem domum meam illustrari die à solaribus radiis, & à luna splendore collucere nocte, id est, domum meam omnibus abundare commodis, & ornamentis maximis esse conspicuam, felicitatem illam Deo bonorum omnium largitori, non solertia mea, & manibus attribui. Neque illas ideo impresso osculo pro Deo veneratus sum, mihi ipsi tacite assentatus, & gaudens. Quæ sanè intolerabilis impietas est, quæ veram religionem impudenter abiurat.

B 29. 30. Nullam ex eorum ruina voluptatem cepi, quorum sum hostiles animos expertus, & odium immortale: neque cum illis aduersum aliquid accideret, mihi ipsi gratulatus sum. Neque guttur meum, & linguam contaminare volui aliquid illis durius imprecando.

C 31. 32. Domesticos præterea sic sum amplexus amanter, & molliter, vt illi, dum suam in me benevolentiam significare volunt, non obscure dicant cupere se præ amoris magnitudine sic mihi adherere, vt meis pasti carnibus in vnum atque idem corpus mecum coalescant. Sic ego domesticos amplectebam amanter, neque minus humaniter accipiebam extraneos, quos ab hospitio meo nunquam repuli, neque viatori domus fores occlusi.

33. Neque is ego unquam fui qui, quod alij multi faciunt, alius esse, & alius videri artificiosè voluerim, quisque cum ingentia crimina in animo celauerim, illis fucatam sanctitatis speciem simulator obtenderim.

D 34. Cum integra essem fortuna, & populo cum summa dignitate præessem, numquam popularis seditio mihi terrori fuit, aut impedimento, quominus id præstarem strenuè, quod ab optimo principe & parente patriæ curatum oportuit. Neque plus habuit virium cognatorum, amicorumque coniunctio, etiamsi à me officium, si demque requirerent, & eo nomine contemni viderentur, quominus quæ à me reipublica & communis utilitas exigebat, studiosè præstarem. Quod si in populari tumultu silui aliquando, & me domi continui, non ideo feci quia timerem concitatam multitudinem, sed quia rei componende non satis videbatur tempestina maturitas.

E 35. 36. 37. O vtinam Deus, qui interna animi mei desideria, atque consilia nouit, audiat me sicut iudex, & iudiciali ritu, re accuratè examinata librum scribat, in quo quid ipse de me sentiat diuina, ac publica auctoritate constet. Illum ego librum quasi innocentia meæ illustre testimonium circumferrem in humero, & capite, quasi coronam, & sceptrum familiaria regie dignitatis insignia, vt omni tempore, ubicumque vestigia ponere contingat, quod de me fuerit Domini iudicium,

38. Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa fulci eius desilent.

39. Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixerunt:

40. Pro frumento orietur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

A iudicium, omnes intelligant. Et principes alij, ac iudices ex eo discant quo modo opera mea, quæ alij tantopere reprehendunt, debeant aut ornari premiis, aut puniri suppliciis.

38. 39. 40. Si terra, quam agricolis colendam tradidi, aut quam in regione mihi subiecta sui coluerunt Domini, & ipsi etiam cultores contra me lacrymantur, & clamant: quia alienum laborem iniuste, & violenter ablatum ad meos usus tyrannice conuerti, si gratis, & non prius impenso pretio alienis fructibus meam instruxi mesam, cum interim agricola & fame laborarent, & inferri sibi iniuriam quererentur, si talia, inquam, vsquam admisi, oro ut pro frumento atque hordeo spinas mihi subactus ager, tribulosque parturiat.

Explicunt verba Iobi.

Finita sunt verba Iobi.

Verf. I. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

1. In laeta domo multa ad libidinem illecebra.

D OCVIT cap. 29. Iobus, quid mali non fecisset, quandiu integra, florentique fortuna cum potestate fuit; Nunc docet quid eo tempore clementer ac religiosè fecerit, ut amici intelligant, quam illos longè sua fallat suspicio, qui Iobo obiciunt crimina non solum modesto, ac pio, sed etiam malè sano prorsus indigna. Et primum docet, ad eò sibi castitatem, munditiam, atque candorem placuisse, ut non solum oculos, qui in ipsius erant potestate, ab aspectu, sed etiam mentem a fœminarum cogitatione continerent. Incipit autem ab hac virtute: quia natura humana, & animalis in libidinem præcipiti pronitate rapitur: quare, qui ab illa prurientes animi motus constanter abstinuit, non leue aliarum virtutum studij, & possessionis documentum præbet; Quod cum in omnibus laudandum sit, imò & admirandum, multo tamen magis in laetis, atque potentibus, qui cum multa habeant naturæ blandimenta, & vitiorum illecebras, neque frænum habeant vllum a potestate maiore, neque supplicij metum, quibus inefficaci retardetur impetus, à virtutis amore, & existimatione haud dubiè videatur nata illa tam pulchra, tam pura, & rara cõtinètia.

2. Castitatis amator seueram adhibet oculorum custodiam.

Hic nobis nonnulla obseruanda: Primum, quodnam illud pactum fuit, quod cum oculis suis pepigit Iobus; Dicebamus cap. præcedenti verf. 18. quibusdam visum esse, hominem esse animam, corpus verò externum aliquid, & non aliud quam animi naturale quoddam tegumentum; Est tamen inter corpus, & animam assiduum, & intestinum bellum, iuxta illud Pauli ad Romanos 7. v. 22. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Quicumque horam imperatorum suos habet milites, & ad destinatum finem arma comparata. Carni fauent corporei sensus, qui pugnant acerrimè, & ad animum per patentes ianuas, occultosve cuniculos hostes inducunt, quorum potentissimi-

A mus est, & nocentissimus oculus, quem subicere sibi voluit castus, & religiosus animus, & ideo cum illo pepigit fœdus, & inducias, eo modo quo fœdera inter hostes sanciri solent, qui si qua est fides, & pudor accipiunt religiosè, & seruant sarta rectaque. Pactum autem illud fuit, ut si oculi immoderatè aliquid lasciuèque conspicerent, aut abstinere ab his etiam, quæ sine peccato, aut peccandi periculo videri possent, qualia sunt, quæ recreant, & exhilarant animos, ut qui se liberè explicuerunt ad illicita, à licitis etiam abstinere; aut etiam ut lacrymando luerent, quod immoderatè videndo peccauerant. Quod fecit Dauid, qui oculorum licentiam, quæ adulterium, & homicidium peperit, sic seuerè multauit, ut lacrymis irrigauerit cubile suum, & ipsam penè oculorum lumè amiserit plorando. Hoc fortè pepigit Iobus cum oculis suis, id est, hoc apud se seridè, cõstaterque cõstituit, ut oculorum licètia, & immoderatus fœminatum intuitus nunquam abiret impunitus.

Secundò videndum cur cum oculis percussus fœdus, cum cogitatio de virgine non ad oculos, sed ad aliam potentiam interiorem pertineat: vident etenim, non cogitant oculi, sicut neque alij sensus, aut facultates externæ; Huic dubitationi duplex potest adhiberi responsio. Altera est, si dicas argumentum hinc sumi à maiorum comparatione in hunc modum: Si apud me statui nunquam cogitare de virgine, quod factu difficilius: multo magis continere oculos à virginis aspectu, quod quia in mea est potestate, multo à me potest præstari facilius. Quare facessere longè iussi oculos à libertate videndi, cum neque speciem vllam ad cogitationem admittam. Altera est, quia fieri non nisi difficile, & perquam rarè potest, ut homo de virgine non cogitet, si in illam liberos, aut etiam incautos oculos coniecit. Atque ideo qui morbum euitare cupit, morbi causam quam potest studiosissimè declinat; sic qui cogitationem ab amoris turpitudine puram conseruare voluerit, eò incùbit diligèter, ne per oculos ad cogi-

3. Oculi vident duces.

cogitationem, & animum feminatum imagines admittat. Multa hac de re doctores, & interpretes; multa profani, eaque grauissima. Seneca lib. de remediis fortuitorum: cœcitatem innocentiae partem esse dicit, cum oculi ad adulterium, & incestum inuocant, & vitiorum irritamenta sint; & scelerum duces. Multa ad hunc locum Gregorius, ex omnibus hæc accipe. *Semel species forma cordi per oculos alligata vix magni luctaminis manu soluitur. Præceptum quippe anima dum ante non prouidet, nequid incauta videat, quod concupiscat; cœca post incipit desiderare quod vidit.* Quare Ezechiel cap. 6. vers. 10: oculi dicuntur fornicantes, quia lasciuientes, & vagi, vagas nuptias, & amores novos aut suadent, aut concitant: qui lænæ sunt, prurireque faciunt languentes animos, & venereæ voluptatis inmemores. Sunt itaque oculi prima fax, quæ in pacatis, & frigentibus animis incendium excitat Babylonico maius. Quod expertus fuit Dauid libr. 1. Reg. capit. 11. qui cum illustratus esset à Deo prophetiæ dono, & oculos suos foras à pomeridiano stratu extulisset madentes lacrymis ex oratione, cui longam dabat, atque frequentem operam, inopinatò tamen captus mulieris aspectu mentem abiicit non solum priam, sed etiam pudicam, & humanam. Notat hoc optimè Iobus, cum fœdus iniit cum oculis suis, ne virginem aspiceret, quia verebatur ne in animo scintillam aliquam conciperet, quæ triste postea induceret incendium. Vide quæ nos in nostris commèntariis ad loca citata ex Ezechiele, & 1. Reg. copiosius adduximus.

4. *Verf. 2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis?* Docet Iobus cur tantopere castitatem diligit, caueatque diligenter, ne cogitatio vlla turpis occupet, ac maculet animum, quem Deo immaculatum, & purum seruare voluit. Cur autem tantopere horreret vitium, quod castitati sordes allinit, aut illam exturbat, rationes adducit graues, & Iobo dignas. Prima est, quia Dei esse studet pars, & hereditas, & illius commoda, & integra possessio. Deus autem in corpore subito peccatis habitare non vult, Sa. 1. v. 5. Cum autem omne peccatum Deum ex suo detrudat hospitio, omnia tamen maxime luxuria, quæ nõ solum animam, sed etiã corpus ignominiose conspurcat. Corpus autem castum templum esse Dei docuit Paulus 1. Cor. 6. v. 18. *Fugite fornicationem, omne peccatum quadoque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum, peccat. An nescitis quonia membra vestra templum sunt spiritus sancti?* De hac re vide Chrysostomum in hunc locum Pauli, & Cassianum l. 6. cap. 15, Cyrillum Cateches. 4. §. De corpore, vbi corpus vas appellatur Dei. Multa hac de re Patres, quæ cuius erunt obuia digna planè scitu. Cum igitur Iobus Dei vellet esse integra possessio, & illi parare purum, & ideo non ingratum hospitium, neque minimum admittere voluit auræ incontinentis, & obscenitatis aliquid aspirantis afflatum. Partem pro hereditate, & possessione sumi certum est, Sap. 1. *Hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra.* Neque ex hoc loco obscure colligitur, nam quod prius per partem, deinde per hereditatem explicatur. Est enim hæc iterata sententia, quod in tribus grauioribus per epexegetica frequenter fit. Est enim idem, *partem habere Deum desuper, & hereditatem om-*

A *nipotentem de excelsis.* Vide, quæ supra diximus c. 20. ad illud: *Hæc est pars hominis impij à Deo, & hereditas verborum eius à homine.*

5. *Verf. 3. Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam.* Altera ratio cur vel minimum luxuriæ horreat, appulsam hæc est: quia vitium hoc innumerabilia gignit, & inuehit malis; & quæ semel occupauit, ad omne virtutis opus languidum reddit, & animi vires frangit, & enervat, & omnino, quæ sibi subiecit, deuorat, ac perdit. Quæ de re plura statim ad illud v. 12. *quis est is, ne ad perditionem deuoratur.* Luxuriosum hominem Chrystus describit orat. 5. aduersus Iudæos, vt in illa perditum hominẽ, & stiptem agnoscas. Quæadmodum is, qui multum ebibit meru, seque ingurgitauit, iliberales voces effundit, aliudque pro alio videt; sic etiam luxuriosus veluti mero quopiam sua cupiditate captus, nec sana profert verba, sed obscena omnia, sed perniciosa, sed illiberalia, risusque plena, aliãque pro aliis videt cœcutiens ad ea, quæ cernantur. Idem alio loco luxuriosum cum obfesso à demone componit, qui quodam modo abijt à seipso, & alienos assumit motus, voces, personam, adeo vt perille credas, quem ante hominem videras, & in illo viuere spiritum apostatam & impurum. Quis in Dauide adultero Dauidem agnosceret, quem ante norat prophetam, fortem, religiosum, misericordem, & strenuum? Quis in Salomone libidinoso recognosceret piũ, excelsum, potentem, spiritus penum, atque sapientiã, quem totus admirabatur, & timebat mundus? Et vt de profanis, ac fabulosis aliquid miscamus, quis in Hercule sic libidini dedito, vt muliercula subiret imperium, & stamina ancillari more è colo suspensa digitis torqueret, cum timeret verbera, nisi pensum à domina impositum absolueret: quis inquam, in Hercule non iam Hercule, sed imbellis femina turpi simularo, cognosceret hominem laborum patientissimum, ferarum domitorem, cui nullum periculum timorem incussit, quem ab adeundis laboribus, nulla abduxit, aut retardauit difficultas: Hæc videri potest sententia horum verborum: *Alienatio operantibus iniustitiam.* Quasi dicat luxuriam efficere vt homo à se ipso in alienam speciem totus abeat, neque priorem seruet sapientiã in iudicando, aut in priori deliberatione constantiam. Quod de Salomone legimus lib. 3. Reg. c. 11. cuius cor auersum esse dicitur à mulieribus, quas iam senex intemperanter amauit: quæ ipsi non solum sapientiã, & pudorem, sed etiam mentem abstulerunt. Eandem fornicationi, & vino potentiam eribuit Oseas c. 4. v. 1. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Idem Eccl. c. 19. v. 2. *Vinum, & mulieres apostatate faciunt sapientes.* id est, à seipsis excedere, & fieri protus amentes & cœcos. Sed veri puto similis alienatione esse à Deo, ita vt qui libidini se dedunt, seque ipsos forde, ac flagitiosè contaminant, alienent à se Deum, & eiciant, qui lubens in ipsorum animis habitaret, & tanquam suam sibi hereditatem custodiret & coleret.

6. *Verf. 4. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Quia multa de sua vita antiquo instituto dicturus est: & probat abesse longe à vero; quæ ipsi obieiebantur ab amicis, Deum aduocat testem, qui omnia nouit

5. Libido mulierum vitiorum fomes.

6. Luxuriosus, ebrius, aut engurgitatio simili.

7.

8.

In oculis prima libidinis fax.

4. Libido corpi contemnat, Deo que indignum habitaculum reddit.

Pars idem quod hereditas.

uit opera, atque consilia: cuius intelligentiam A latere nihil potest eorum, quæ homines apud se tacite meditantur. In viis autem, & gressibus nonnihil videtur esse discriminis. *Via* institutam viuendi rationem indicat, in qua se aliquis ex instituto exercet. *gressus* aut *opera* sunt agendi modus. Quare notas esse dicit Deo occupationes, artes, & officia, in quibus suum tempus, & operam ponit: & modum, integritatem, & animum, quibus illa exercet, & obicit ministeria. Hæc autem satis explicat statim dum ait.

9. *Verf. 5. Si ambulauit in vanitate, & festinauit in dolo pes meus.*] Hi sunt gressus Iobi, qui in dato sibi à Deo, aut suscepto munere, numerari dicuntur. Non probantur autem gressus, si claudicant, aut tortuosi sunt, id est, si vana sunt opera: quia id expectant, quod apud Deum nihil habet momenti. Si dolosa, quæ aliud simulant, & aliud appetunt, si cum aliorum commodis seruire videantur propria caprent commoda. Hæc Iobus ab integerrimo iudice, & oculato teste examinari vult, & ad seueram trutinam, quam fieri possit, diligenter expendi; neq; pœnã recusat, illamq; durã, & acerbã; si in aliquo peccato deprehensus fuerit, aut minus benigni parētis, aut vigilātis, atq; integri iudicis munus obisse.

10. *Verf. 6. Appendat me in statera iusta: & sciat Deus simplicitatem meam.*] Cupit Iobus suam causam, & vitam ad diuinam stateram adduci: quæ iusta est, & rerum momenta sine vilo errore explorat, & inuenit. Nam stateræ hominum incertæ sunt, inueniuntque sæpe sine pondere pondus, & vbi summa leuitas est, gratuitatem summã; & vbi magna sunt momenta, summam leuitatẽ. Quod si Deus norit animi sui simplicitatem, vbi nihil simulatũ, nihil veteratorium, nihil fallax artificiose tegitur fucò, id satis sibi habet, neque admodum curat quod sit, fueritve hominum de sua siue sanctitate siue vitæ cõformatione iudiciũ. Illud autẽ *ut sciat Deus* aut humanò Iobus loquitur modo, quod Scriptura sacra frequẽter: quia homines statera, & trutina rationum explorant momenta: quia ad illorũ verũ, integrũque iudiciũ nõ aspirat humani ingenij infirma facultas. Aut certẽ *illud scire*, duas significat actiones, nempe facere alios scire in hanc sententiã, vt alios doceat, scireve faciat simplicitatẽ meã.

11. *Verf. 7. Si declinauit gressus meus de via.*] Obseruantem se fuisse dicit legis siue naturalis, & diuinæ: siue illius quam ad publicam cõmoditatem, & pacem instituerunt maiores. Quod si obsecurus affectibus è recta hæc via, & instituto deflexit, illa sibi imprecatur mala, quæ statim subdit. Hæc porrò vim obtinent iuramẽti, quo communi hominum sensu, ac consuetudine illa deteguntur, & confirmantur, quorum veritas aliter, quia externi testes aduocari non possunt explorari non solet. Quod hinc *declinare à via*, eadem seruata metaphora significat *exorbitare*, id est, ab orbita, seu trita via aliorum abire.

12. *Si securum est oculos meos cor meum; & si manibus meis adhasit macula.*] Hic de auaritia sermo est, vt ostendit, quod sibi Iobus supplicium imprecatur, si tale quid admiserit, quod directò, & accommodatè respondet auaritię. Nempe, *seram, & alius comedat.* Quasi dicat, si oculos primũ, deinde animum ad alienam segetem adieci, illamque deprædatus sum; ad meã alius oculos, & animum adiciat, illamque si-

bi demetat, & voret. Quod item magis declarat, quod statim adiungitur: *si manibus meis adhasit macula.* Adhæret autem manibus, quod manus rapiunt, contrectant, & tenent. *Auaritia* verò Ioan. epist. 1. cap. 2. *concupiscentia* dicitur *oculorum.* Quod ex eo fit perspicuum, quia seorsum tam apud Ioannem, qui ad hunc Iobi locum videtur respexisse; quam apud ipsum Iobum, *luxuria* describitur, quod esset omnino otiosum, si in concupiscentiã, aut coniectu oculorum esset aliquo modo descripta luxuries. Sic autem Ioan. *Omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum* & Iobus statim v. 19. *Si deceptum est cor meum super muliere, Rapina* porrò macula vocatur manuum: & sicut *sordes* appellatur diuitiã; sic etiam qui diuitias aucupatur alienas, manus dicitur habere maculatas, & sordidas; & contra illæ puræ dicuntur esse manus, quæ abstinentes sunt, neque assuetæ prædis, aut infectæ muneribus.

13. *Verf. 8. Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.*] Hoc supplicium graue est, & tyrãnico spiritu non indignũ, vt talia ipse subeat, quæ alia aliis intulit dãna. Est quidẽ durum spoliari bonis; at illa in aliorum potestate esse, & alienas instruere, & ornare mensas, longè durius. Simile aliquid lamẽtabatur Ieremias Thren. 5. v. 2. *Hereditas nostra versa est ad alienos: domus nostra ad extraneos.* Hoc etiã quasi ad dolorẽ, & ignominia graue luget Isaias c. 1. v. 7. *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Sanè durũ est, si quis plantet vineã, & alius ex ea decerpat fructus, & vinum bibat; expectante frustra, atque dolente domino: si pascat oues, & alius mulgeat, & illarũ lacte ad satietatẽ vsque fruatur. Durũ id videbatur Paulo 1. Cor. c. 9. v. 7. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit; qui pascit gregem, & de lacte gregis non manducat.* Quod itẽ faciunt profani læpẽ, cum ad commiserationem alios inflectere potenter student. Sic Penelope apud Ouidium ad Vlyssẽ de procis.

*Inque tua regnant nullis prohibentibus aula,
Viscera nostra tua dilacerantur opes.*

*Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis.*

Et Maro in suo Melibæo ad finem.

*Impius hæc tam culta noualia miles habebit
Barbarus has segetes: en quò discordia ciues
Perdixit miseris, en queis consenimus agros.*

14. *Et progenies mea eradicetur.*] Ego hinc nihil videbam quod ad Iobi sobolem, posteritatẽque admodum pertineat: quia neque hoc putabam debitũ, aut attẽperatũ prædationi, rapinæque supplicium: neque hinc liberorum cædi opportunum locum inueniebam. In *satione* illa intelligebã quæ seruntur quotannis, & colliguntur, aut falce, aut ligone; quales sunt fruges, legumina, quæque vltra annum vitã, aut robur non producant; in *progenie* arbores, quæ diu durant, neque fructum domino suo negat, quãdiu suis nituntur radicibus. Ita putat Caietanus, & autor Catenæ, qui rationem adducit non ineptã: quia hoc tẽpore nõ habebat Iobus è matre familiã prolẽ aliquã ingenuã, & nobilẽ, de cuius amplitudine sollicitus admodũ esse debuerit. Deinde quia vocem Hebr. *שָׂרָרָא* *seesa* germina alij vertunt, quod in hoc loco facit Pagninus, & Hebræus apud Caietanum. Sed quia in aliam explicationem abeunt frequentes alij, in illam nos quoque cum aliis abeamus.

Verf. 9.

35. Adulterij supplicium.

Verf. 9. Si deceptum est cor meum super muliere, & se ad oculos amici mei insidiatus sum. Remouet à se interposita iurifurandi religione omnem adulterij suspitione: & negat se vnquam cordis sui habenas laxasse, vt tam indignū, atque execrabile flagitiū ad animū admitteret. Illud deceptū ostendit in illis, quorū mentes mulierū subuertit amor, nihil esse sani consilij, sed agi cœcos in voluntariū exitium. Dum autē negat se insidiatum esse alieno videlicet toro, excubasse ad amici, seu proximi ianuā, ostēdit amārijum consuetudinem, qui vt libidinem suā expleant, omnem captant opportunitatem, & totā interdum, aut bonam partem noctis ducunt in somnium. Quare optimē quidam ex profanis amatorem cum milite, qui excubat sub dio, & nocturnas molestias sustinet, comparauit.

Luxuriosi vt suo voto potantur mulierum dura subeunt.

16. Adulterij adhibent amoris lenocinio.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido, Attice, crede mihi, militat omnis amans. Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis, Et densa mixtas perferat umbre nubes.

Qui dum ad alienas excubant fores, vt ad sua pelliciant vota, & e suo extrahant recessu quā amant, variis vtuntur illecebris. Ornant enim fores coronis, irrorant vnguentis, & nihil non adhibent, quo sibi aut emāt, aut capiant leuicularū mulierum irretitos animos. Sic Persius satyr. 3. insidiantem amatorem describit.

--- An rem patriam rumore sinistro Limen ad obscœnum frangam dum Chrysidis vdis (nempe vnguentis) Ebrius ante fores extincta cura face canto.

Clarius Lucretius lib. 4. At lacrymans exclusus amator limina sepe Floribus, ac fertis operit, postēsq; superbos Vngit amaracino, & foribus miser oscula fingit. Talia fortasse faciebant Idumæi, dum alieno toro insidiarentur, à quorum se moribus alienum fuisse dicit Iobus.

17. Mola extremam conditionem indicat.

Verf. 10. Scortum alterius sit vxor mea: & super illā incuruentur alij. Talia sibi precatur Iobus, qualia aliis molitus est, siue dāna, siue iniurias. Quid propriē significent hæc verba, nemo dubitat. Alij aliter Hebraica verba reddunt, & exponūt: vbi Vulgatus scortum alterius sit, Hebrai. est תִּשְׁבָּן tishban, quod propriē significat mola, תִּשְׁבָּן enim molere significat, à quo vox Hispanica tabona deducitur. Quare nonnulli nihil hīc esse putāt obscœnū. Sed tātūm seruile hīc operā agnoscunt, & ancillare ministeriū. Quod esse omniū vilissimū probat illud Exodi c. 11. vbi cū supremæ dignitati infimæ cōditionis opponitur nota, ancilla alligata mola ad opus pistoriū nominatur. Morietur, inquit, omne primogenitum in terra Egyptorū à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius usque ad primogenitum ancilla, que est ad molam. Quare sensū esse putant, precari Iobū, si aliorū ipse thalamo insidiatus est, & vxori alterius adulterio illuserit, vt vxori suæ illud accidat dedecus, vt & ad molam sedeat, quod extremam indicat fortunam, & aliorum libidini ignominiosē succumbat, quo nihil ingenuis accidere potest infœlicius.

18. Molo ali-quid incedum obscœnum.

Sed licet hoc propriē significet verbum תִּשְׁבָּן, tamē trāslatitio sensu illud etiā opus significat, quod fœmina patitur à viro petulātī. Vt enim mola superior inferiori incūbit, & duæ cōiunctæ molæ rem peragunt; sic viri fœminæque congressu res peragitur improbius. Quæ dicendi forma Latinis etiā & Græcis vsitata

Guspar. Sanctij Comment. in Iob.

A fuit; ex Latinis Horatius lib. 1. satyr. 1. Hac iuuenes æquum est descendere non alienas permolere viros.

Apud Græcos μύλας vtrunque valet, tā molere, quā adulterare, vt liquet ex Theocrito Idyl. 8. vbi μύλας, id est, molēs, meretrix vocatur. Neq; id in sacris lit. inusitatu. In hūc sensū accipit Hier. illud Isai. c. 47. de Babyl. Tolle molā, & mola farina, & Thien. c. 5. idē verbū ponitur eo loco, vbi nos legimus; Adolēscētibus impudicē abusi sunt. Quare optimē vertit Vulgatus scortum alterius sit vxor mea. Neque apta foret iniuriæ retaliatio, si pro aliena vxore adulterio cōpressa redderetur vxoris vilis, sed non turpis molēdi conditio, & nō in eodē genere iniuriæ cōpensatio, ita vt sicut est in Latino prouerbio, ex eodē biberet poculo, quod aliis propinauit. Quid de Sāsone, qui iussus est molere Iudic. 16. dicāt Hebræi, quorū sententiā nō videtur improbasse Hier. diximus in nostris cōmētariis super Isaiā ad c. 47. vbi illorū cogitationē improbauimus.

Verf. 11. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Nefariū dicitur scelus adulteriū, & iniquitas maxima, quæque maxima rebus humanis inducit detrimenta: quare à profanis etiā, adulteris grauissima sunt instituta iudicia. Vide Andream Tiraquel. de legibus connub. l. 13. & de adulterij grauitate ibidē n. 9. vbi ex sententia Sancti Petri Clemens Papa in epist. ad Iacobum, fratrem Domini, docet in omnibus peccatis adulterio nihil esse grauius. Rationē reddidit Clemens idē lib. 6. constit. Apосто. cap. 27. Quia adulteri iniuriā aliis faciunt, cum aliena matrimonia violant: & quod à Deo factum est vnum, in duo diuidunt, ac liberos faciunt suspectos, & legitimum matrimonium insidiis exponunt. Idē pene hīc S. Thomas. Cū autem in omni, vt reor, ætate, quæ sæcula Iobi consecuta est, grauissima adulteriis imposita fuerint supplicia: nō tamē leuia fuisse existimo ante Iobum: qui ex eorū seueritate nefas esse grande, & iniquitatē maximam adulterium collegit. Palæstini tēpore Isaac grāde peccatū dicunt esse adulteriū: & illud nō solum ad mœchum, & adulterū, sed etiā ad totū populum pertinere. vnde Genes. 26. dixit Abimelech ad Isaac, à quo vxorē abstulerat; Quare imposuisti nobis: potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras supra nos grande peccatū. Multari porrō hoc ipso Iobi tempore adulterium igne non obscure colligitur ex Genes. c. 38. cū Thamar adulterij rea accusaretur apud Iudam socerum suum, iussa est absque dubio secundū legem, aut consuetudinem illam igne cremari; Producite, inquit, eam, vt comburatur. Hæc superioribus temporibus. Nam tempe Moysis alia est decreta, & indicta pœna, eaque capitalis tam viro, quā fœminæ, quæ nefas illud magnum admiserant. vide Leuit. 20. Deuter. 22.

Verf. 12. Ignis est usque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. Hic locus ab interpretibus in varias trahitur explicationes, neque illas leues, aut alienas, quæ rationes reddunt cur tam graue sit adulterij crimen. Hieronymus ab hoc scelere dissipari dicit ac deteri virtutes omnes; Nefanda, inquit, res est, & iniquitas maxima hæc funesta ac detestabilis cogitare, vel facere: ignis est incentiuæ libidinis, omnia bona virtutum deuorans, atque vniuersa in homine sanctarum rerum incrementa

19. Adulterium grande peccatum.

20. Pœna adulterij qualis atate Iob.

21. Adulterium multorum malorum causa.

K k consis

consumens. Idē ex eo Philippus; idē penē Greg. hic, & in cap. 15. lib. 1. Regum. Basilius de vera virginitate, vbi hūc Iobi locū adducit, vbi omnes luculenter ostendunt, quantum mali pariat ardens flamma luxuriæ. S. I. Thomas ad bona refert temporalia, quæ luxuriæ aut perdit, aut confundit, quia marito eripit vxorem, quod non vulgare bonum est, distrahit carnem à carne, membrum à membro; quia duo coniuges vna caro sunt; bona ad alienos transeunt, quia ad adulteri filios fortē derinantur.

22.
Filij ex
adulterio
scipi miserj.

Alij *ignem* ideo appellari putant libidinem hanc, & ab illo omnia eradicari germina; quia filij ex adulteris suscepti breuem plerūque trahunt, & miserā vitam, & opes omnes, atq; fortunæ ad perditionem vsque subuertuntur. De filiis ex adulterio, siue ex dānato concubitu susceptis duo loca indicant non obscurē, Sap. 4. *Spuria vetulamina non dabunt radices altas, neque stabile firmamentum collocabunt; Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorū eradicabuntur.* & Eccles. 13. v. 35. de filiis adulteræ dicitur: *Non tradet filij eius radices, & rami ei non dabunt fructū.*

23.
Zelotypia
gravis &
implacabilis
dolor.

Ego hīc de graui dolore zelotypi spōsi hęc accipio: cūm ex violata coniugali fide tam est dolor vehemens, & furor implacabilis, vt non aliter sēuiat, & obuia quęq; impedimenta sternat, quā ignis, quē acer ventus acuit, & ventilat, aridā materiā corripit, & momento tēporis redigit in fauillas. Multa sūt, quæ lenire dolorem possent zelotypi sponſi, & furorē ex temerato thalamo conceptū retardare: Cōsuetudo videlicet antiqua, cōmunis familia, domus, & fortunæ, & boni nominis conseruandi ratio; tū demum genimina, id est, cōmunes liberi, qui parentū vincūt animos, & amorē conciliant, & si quid inter illos intercesserit dissidij, componunt quasi arbitri dirimendæ litis. Hęc tamen omnia prosternit, & eradicat cōceptus ex adulterio dolor, & inflāmus furor, quē nulla placent munera, nulla mulcent obsequia. Sic Prot. c. 6. v. 34. *Zelus, & dolor viri non parcat in die vindictæ; neq; acquiescet cuiusquā precibus; nec suscipiet pro redēptione dona plurima.* Multa hac de re Patres, multa Philosophi: & nos aliquid ea de re ad illud Cant. 8. *dura sicut infernus amulatio.* Est autē tātus ille dolor, vt hominē eo furore percitum redigat ad insanīā, & quōd illatam sibi à thalami consorte vlciscatur iniuriā, non solūm in adulterij reā, sed etiā in cōmunes fortunas, cōmunes liberos bacchetur, ne quid superſit ex eo, quod aliquo modo ad infidelē coniugē pertinere videbatur. Exēpla plurima inuenies apud Tiraquellū in legibus connubialibus lib. 13. Cū igitur sibi imprecatur Iobus, vt super vxorem suam incuruentur alij, tales sibi dolores optat, quales zelotypus patitur, qui sunt instar ignis, atque adēd instar inferni.

24.
Princeps subire
debet cū
subditis legi-
timum iudi-
cium.

Verſ. 13. *Si contempſi subire iudiciū cū seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* Nō audet inferior, & ignobilis turba à potentiōribus ius suū, & res vī, aut fraude sublata, iudicio repetere legitimo, quia nihil se putāt obtinere posse, cū contrā maior stet potētia, quę merū iudicibus incutiat, & iudices, qui sæpe iudiciū exercent venale, à diuitibus facilius, quā à pauperibus profusa largitione corrūpantur. Quōd eo sæculo sicut & nostro, vt opinor, vulgare fuit. Sanē in Hebræo fuisse vſitatū valde, gla-

A māt sæpe Prophetæ. Isai. c. 1. v. 23. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicat, & causa vidua nō ingreditur ad illos.* Eadem penē Ieremias c. 5. v. 28. Iobus igitur docet nunquā se adeo morosum, atque difficilē præbuisse seruis, atque ancillis, aut eā illis oppoſuisse maiestātē, aut metum; vt non ausi fuerint cū illo de rebus repetēdis iudicio disceptare legitimo: neq; vnquā malē accepisse seruos, quōd lege ipsūm confertū ad tribunal egerint: neq; recusasse, quominus suā causam, & vitā inferiorū hominū censuræ subiēcerit. Quod sanē eximiū est: & qui hoc in Idumæa regione faciat, rara avis est. Aliquid simile de Traiano refert Plinius in Pa- negyrico: qui vsque adēd iustus fuit, & in subditos nō seuerus, vt quiuis auderet in causa fisci litem intendere, id est, contra Imperatorē ipsū. Dicitur, inquit, *procuratori tuo, in ius veni, sequere ad tribunal, quæ præcipua tua gloria est: sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quod eos procuratores habes, vt plerumque ciues tui non alios iudices malim.*

Traianus à
legitimo iu-
dicio contra
se neminem
reputit.

Verſ. 14. *Quid enim faciam cūm surrexerit ad iudicandum Deus.* Sciebat Iobus habere se superiorem, & iudicē Deum, cuius esset censorios oculos, & iudiciū subiturus. A quo, vt gratiam iniret, sibi que patronū potiūs pararet, quā irritaret, aut inflāmaret iudicē: nihilo se in causa disceptanda seruis suis, & ancillis superiorē iudicabat cūm didicisset Deum miserorū, ac patipērū esse vindicem; qui sæpe ab inimicis iudicibus corrupto iudicio, & vi, aut metu à potentioribus Dominis opprimūtur. Ne igitur Deus haberet postea, quod iudicaret, & puniret, rem priūs voluit esse iudicatā, & punitā ab humano, & quantū ipse coniectare poterat, integro, atque incorrupto iudice. Hęc sententiā millies audimus in Scripturis, Eccles. 5. v. 7. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerſi iustitiā in prouincia, nō mireris super hoc negotio; quia excelsō excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij: & in super vniuersa terra Rex imperat seruienti.* Vide Sap. 6. v. 2. Ierem. 5. v. 28. Paulus ad Ephesios 6. 9. ad Col. 4. 1. Est optimus & huic loco valde affinis locus alius apud Isaiam cap. 10. v. 1. qui cūm lugeret illorum statum, qui causam euertunt miserorum, & viduarum, pupillorūque fortunas diripuerunt, subdit: *quid facietis in die visitationis.*

25.
Quia Prin-
cipis à Deo
iudicandi
iudicium q-
si hominum
recusare non
debent.

Verſ. 15. *Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus.* Alia ratio cur Iobus seruos, & ancillas non contempserit, neque à familiari, & priuato, aut à publico legitimoque iudicio repulerit, ea est, quia idem omnibus hominibus genus est, eadem natura, idē formator, & origo. Formauit in vtero, cōpegitque Deus tā Reges, & Dominos, quā pauperes, & seruos: neq; plus operæ, aut studij posuit in formādo Rege, quā humili, & inope seruo: neq; ex alio luto, aut in alia officina finxit vas in honorem, quā quōd futurum esset in contumeliā. Qua de re multa tam sacri, quā profani scriptores, qui pro seruis contra Dominos acriter, neque immeritō pugnant. August. lib. 10. de Ciuitate capit. 25. *Rationalem hominem (Deus) factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori, &c. Conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori.*

26.
Seruus Di-
mino natu-
ra, & origi-
ne non infe-
rior.

peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Verba porro Noe, quæ respexit August. sunt Genes. 9. vers. 25. *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Hæc eadem luculenter, & latè Gregorius ad hunc locum, quem omnino vide. Ex profanis vnum accipe Senecæ epist. 47. in qua sic ad Lucillum: *Libenter ex his, qui ad te veniunt cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem docet. Serui sunt? Imò homines. Serui sunt? Imò contubernales. Serui sunt? Imò humiles amici. Serui sunt? Imò conserui: Si cogitaueris tantundem in utrosque licere fortuna.* Et infra: *Vis tu cogitare istum, quem seruum vocas, ex isidern seminibus ortum, eodem frui cælo, æquè spirare, æquè viuere, æquè moritu tam illum ingenuum videre potes, quàm ille te seruum.*

27.
Beneficij celeritas auget pretium, tarditas detrahit.

Verf. 16. *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Egerat primùm de seipso, quomodo conseruare studuerit vitam suam intaminatam, & integrâ, atque ideo omne peccatum horruerit: illud præcipuè, quod à venerea voluptate suam ducit originem. Deinde quàm se moderatè cum seruis suis, ac domesticis gesserit: iam verò quàm externos clementer, quàm liberaliter amplexus fuerit, exponere aggreditur. Et suam primùm clementiam vniuersim docet à duabus rebus, quæ valde pietatis officium commendant, cum dicit, nihil se negasse pauperibus, quod eorū leuare posset inopiam: & quod beneficium maximè auget, & cumulat, quod nõ procrastinauit officium, & diu miserorum vota, mora intercedente suspendit. Id enim valet, & oculos viduæ expectare feci. Quantū porro beneficio celeritas adiciat pretij, quantum detrahat mora, docuit Seneca lib. 2. de beneficiis c. 5. & 6. *Verissimum, inquit, existimo, quod ille Comicus dixit. Quid? Tu non intelligis tantum de gratia demere, quantum mora adiciis? Inde illa voces, fac, si quid facis? Et paulo post: Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Tardè velle nolentis est. Multum celeritas fecit, multum abstulit mora.* Quod faciebat Iobus, id, vt à nobis fiat, Spiritus sanctus admonet Prou. 3. v. 28. *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare: & Ecclesiast. 4. vers. 3. Ne protrahas datum angustians.*

28.

Verf. 17. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedi pupillus ex ea.* Liberalis est, & clemētis animi habere sua non ita propria, vt solus ipse ex illis vsūm capiat, sed cōmunicare cum aliis, maximè si pauperes sint, neque rependere possint beneficiū, & gratiam. Non putabat Iobus suauem sibi fore panis buccellam, nisi illā gustaret pupillus in quo omnis miser, & egenus intelligitur, & nisi prius illam liberalis misericordia condiret, quod faciebat Iobus, id vt faceret filius, hortabatur Tobias c. 4. v. 17. *Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede: & de vestimentis tuis nudum tege.*

29.

Verf. 18. *Quia ab infantia creuit mecum miseratione, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Hic locus neque vno modo redditur ab interpretibus, neque in vnam exponitur sententiā. In Hebraico Codice nullū est verbi creuit suppositū: varij variè subaudiunt; ex Hebraico textu sic Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A reddit Pagninus: *Quia pupillus ab adolescentia mea creuit mecum, ac si fuisset cum patre, & viduam ab utero matris meæ ducere feci.* Quam expositionem amplectitur Vatablus, qui sic accepit: *A pueritia foui pupillos, & ab utero matris factus sum dux viduarum.* Tigurina: *Nam à primis annis educauit me (benignitas) velut parens, & quam primùm editus sum in lucem, eam mihi vitæ magistram constitui.* Hebræus apud Caictanū: *Quia a pueritiis meis grandiuu me tanquam pater: & de utero matris meæ ducam eam.* Qui eam putat esse sententiam: misericordiam Iobo fuisse pro parente, ab illa eum educatum, & ad atatem vsque grandè prouectum, ab illa instructum ab utero, neque vnquam deserendā. Septuaginta: *Quoniam à iuuentute mea enutriebam (nempe pupillum) vt pater, & de ventre matris meæ dux eius fui.* Chaldæus: *Quoniam ab infantia mea crescere me fecit, sicut pater, & de ventre matris duxit me in requiem.* Quasi dicat, imbuuit me ab infantia miseratione, & ad sepulcrum vsque deducet.

B

Eodem spectant istæ omnes versiones, neque ab his valde dissentit vulgata, imò rem ipsam magis declarat, & significantius exponit. Ostendit enim non mirū esse si tam auidè, & studiosè miserorū suscipiat causam, eorūque necessitati tam prompto animo, atque alacri subueniat, cum ex materno utero illam hauserit ad benè de aliis merendum naturæ pronitatem.

C

Quare Iobo naturalis videtur fuisse misericordia, à qua sic ad leuandas miserorum ærumnas impellebatur intrinsecus, sicut ad venandū canis, ad currendū equus, ad volandū auis, ad cā-tandum aliqua auicularum species. A quibus actionibus, si quis hæc animalia remoretur, interno ipsius naturæ pulsu eluctantur, & quæ ab aliis opponuntur impedimenta, toto corporis conatu submouent. Obseruauit hoc loco Greg. *Hæc à Deo, & quod idem est, à natura dici concessam Iobo, quasi hoc opus à præclara naturæ indole prouenerit, non ab ipsius acquisita virtute, ne videatur in suis sibi operibus valde placuisse. Misericors erit si eius fuerit arbitrij, vt cum ipso proficeret, liquet tamen, quod eius arbitrij non fuit, vt cum ipso de utero exiret. Constat ergo, quia sua virtuti nihil tribuit, qui profectò testatur, quia hoc ex conditoris munere accipit.* Sed idem statim pensandū esse dicit, quod Iobus addit: *creuit mecum.* Nonnulli, inquit, quoad atatem crescunt, quoad innocentiam decrescunt. Electis verò cum foris atas corporis, intus si dici liceat, crescit atas virtutis.

D

Verf. 19. *Si despexi pereuntem eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperē.* Qui misericors est, & viuos hausit à natura ad benè merendū igniculos, ille non despicit pauperes, licet in veste videat despiciabili, ac sordida, imò omnino nudos, quia nõ alterius putat esse naturæ, quàm diuites, neque illos minori esse Domino cure, quàm qui opibus abundant, & regio cultu, ac maiestate fulgent. Fuerunt & superiori quo, & nostro etiā sæculo quamplurimi, qui pauperes fastidiunt, & à suo congressu procul arcēt, & si squallentes videāt neque intueri volūt, nisi dolētibz, atq; infēsis oculis, & stomacho interea nauſeātē. Quibus tamē si indumentum dederis paulò nitidius, displicere desinunt, & ad congressum, atque conuictum non difficilè admittuntur: aut quia nihil habent quod horreant molles, & elegantes oculi, aut quia cum indigerē non putentur

E

30.
Naturalis Iobo misericordia.

31.
Pauperes & squallidi despecti.

nihil videntur petitori, quod homines immisericordes, & avari in amicitijs eligendis maxime expendunt. Contrà faciunt misericordes, quos ed inclinât naturâ propensio, vt aliorum inuestigent necessitates, quas miserendo leuent, neque aliquid capiant ex illorum squalore, ac nuditate fastidij.

32. *Male tam à sacris quam à prophanis accepti, qui pauperes fastidiunt.* Hunc porro hominum sensum, quia lauitas, & splendidae admirantur vestes; squallidas fastidiunt, & laceras, reprehendit Iacobus c. 2. v. 2. *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu. Et intendatis in eum, qui indutus est veste praecleara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Quod etiam durius acceperunt,*

qui ex gentilibus aliquid habuerunt ingenij, cum viderent diuites, etiam si moribus essent corruptissimis, praeferrî pauperibus, tametsi illos prudentia, aut vitæ exploratae probitas commendare; inuehitur suo Satyrico spiritu Iuuenalis Satyr. 3. in legem Othonis, quæ in spectaculis ditioribus honestiorem locum designauit, à qua tenuiores exclusit, licet horum probata virtus, & illorum nota morum turpitudine, & vitæ genus profus ignobile. Sic autem ibi Iuuenalis.

*Nil habet infelix paupertas durius in se,
Qua quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, & de puluino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit. Et sedeant hic
Lenonum pueri, quocumque in fornice nati,
Hic plaudeat nitidi praecoris filius inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenesque lanista.*

Sed Iobus pauperum sordes non exhorruit, imò amanter est consolatus, & amplexus, neque à mensæ societate, & multo minus à congressu, atque colloquio separauit.

33. *Elemosyna danda alacriter, non cum reprehensione.* Hic obseruat Gregorius esse nonnullos, qui licet largitione miserorū paupertati subueniât, sic tamè illos, dum statum despiciunt, superbè, & contumeliosè tractant, vt magis verborum asperitate contristent, & crucient, quam bonorū largitione solentur. *Sunt, inquit, nonnulli, qui mox, vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largitionis in eos prius contumeliosa verba iaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt: ita vt plerumque videatur, quia illata iam iniuria satisfactionem soluunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis, quod postulara tribuunt, quia ipso donationis sua munere vix eundem excessum sermonis tegunt. Quibus benè per Ecclesiasticum verbum dicitur c. 18. omni dato ne des tristitia verbi mali. His valde affinia dixit Seneca lib. 2. de beneficiis c. 6. Corripere eum, cui maxime aliquid praestes, dementia est, & inferere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quoquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum panem lapidosum vocabat.*

24. *REGULA.* *Illam operam dicuntur aliquem laudare aut accusare quo* Verſ. 20. *Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.* Non despexit Iobus nudum hominem, & rigentem, ac pereuntem frigore, sed consuit vestes, quibus frigentia, ac peritura membra calefaceret. Porro à lateribus ouium vellere munitis à fri-

gore benedici Iobū, nihil est aliud, quam propter illud pietatis opus videri laudabilem: aut eo argumento moneri homines, vt Iobum à clementia, & humanitate commendent. Neque est in Scriptura nouum, vt opera illa dicantur commendare, aut accusare aliquem, quæ sunt virtutum, aut vitiorum monumenta, quæ alios ad commendationem, aut reprehensionem inuitant. Sic laudare aliquem dicuntur opera eius, Prouerb. vltim. *Laudent eum in portis opera eius.* Abacuc 2. vers. 11. *Lapis de pariete clamabit.* Quod si benedico, idem est, quod benè alicui precari, aut deprecari malum ab aliquo, eadem videtur huius loci sententia, quæ Ecclesiast. 29. *15. Conclude elemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Huc præterea faciunt illa peccata, quæ dicuntur in cælum clamantia, vt homicidium, de quo Genes. 4. vers. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Iacobi c. 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat.*

35. *In reos iam conuictos barbara crudelitas ab aduersariis, vel astantibus.* Verſic. 21. *Si leuavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.* Non obscurum est, quid sit leuare manum super aliquem, aut contra aliquem, quod nihil est aliud, quam impingere colaphum, aut plagam, aut intentare minas. Id communiter alij, & verè. Sed hîc ego aliquid intueor in iudicijs, barbarum quidem, & inhumanum, vsitatum tamen. De quo pluribus egimus in nostris commentarijs super Isaiam ad illud cap. 58. v. 4. *& percutitis pugno impiè.* vbi diximus, vsitatum videri inter Idumæos, vt debitores suos non solum iure angustè, sed etiam manu crudeliter persequerentur, & affligeret. Huius rei plurima habemus in Scriptura sacra vestigia. Quorum vnum est hoc Isaiæ, quod proximè citauimus. Nam cum dixisset Propheta: *Omnes debitores vestros repetitis, & ad lites, & contentiones ieiunatis,* subdit: *& percutitis pugno impiè.* Hoc idem docuit illa parabola Matth. 18. in qua inducitur durus, & seuerus exactor, qui cum in debitorem incidisset, *tenens suffocabat eum dicens, redde quod debes.* Parabolæ verò sumi plerumque solent ab eo, quod frequenter accidit. Imò existimo in reum maxime cum iam esset damnatus, solitos esse Iudæos infensis manibus sauire, impactis colaphis, & plagis, permittente nõ quidem lege, sed barbara vulgi, atque actorum consuetudine. Id in primis indicat Christi causa, quia cum haberetur pro damnato, à ministro Pontificis alapam accepit Ioan. 18. v. 22. Et clariùs Matth. 26. v. 62. Nam cum conclamatum esset à Concilio, *reus est mortis.* Tunc, inquit, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt.* Quod itè accidit Paulo Act. c. 23. qui cum iussu Ananix Pontificis percussus esset alapa, dixit, *contra legem iubet me percuti.* Quasi dicat, percuti iubet me nondum damnatum, quasi per legem aut consuetudinem liceret damnatum hominem illam colaphi ignominiam subire. Hoc credo, apud Idumæos multo magis, quam apud Israelitas vsitatum, quia genus erat hominum magis crudele, & minus honestis disciplinis excultum. Hîc, vt vides, de disceptatione, atque congressu iudiciali sermo est; ideo enim portæ meminit Iobus, vbi legitima exerceri solent iudicia. Quare affirmat Iobus, se nunquam in portis, id est, in foro, quod alij plerumque solent, in concerta-

toré iam damnatum, quo ipse in iudicata causa superior erat, extendisse manum ad plagam, vel vt obtorto collo ad carcerem traheret, licet esse ignobilis, licet pupillus, qui maxime potentiorum prædæ, atque iniuriæ patet.

36. *Per quæ quis peccat, per illa puniatur.*
 Vers. 22. *Humeralis meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.* Dignum sibi barbaræ crudelitatis supplicium imprecatur Iobus, vt illa manus obrigescat, & torpeat, imò vt brachium confringatur, & humerus à sua sede, atque colligatione diuellatur, & excidat: neque sit vlla pars, quæ tantæ crudelitati seruiuit, quæ non luat debitas suæ inhumanitatis pœnas. Iustum autem in omni penè natione iudicauit antiquitas, vt in suppliciis illa pars deformetur, aut puniatur corporis, quæ flagitij, aut sceleris instrumentum fuit. Ex quo fit, vt aliter puniatur adulter, aliter parricida, aliter periuirus, & denique per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, Sap. 11. v. 17. Quæ de re sunt plurima, atque præclara Scripturæ sacræ testimonia. Apocalyp. 13. v. 10. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitate vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Exempla sunt plurima eorum, qui talia subierunt, qualia aliis intulerunt damna. Vide quod Adonibezec, Iudic. c. 1. Quid Agag, 1. Regum 15. Aman, Esther c. 7. & quæ alij plurimi supplicia suis meritis attemperata pertulerint. Est huic supplicium, quod sibi ipsi precabatur Iobus, affine illud Ieroboami, cuius aruit manus, quæ vt percuteret Prophetam eleuata fuerat, 3. Reg. c. 13.

37. Vers. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Rationem addidit cur nihil ausus fuerit contra pupillos tyranicum, & durum: quia timet Deum, quem in se recepisse pupillorum causam, & pauperum audierat. Quem non aliter metuebat, quam si imminentes sibi fluctus videret, & in illis ineluctabilem moriendi necessitatem. Timoris igitur illius oppressus pondere, tentare nihil, imò neque meditari audebat, quod in pupillorum causa norat à Deo reprobatum iri.

38. *Pecunia magna alit peccandi audaciam.*
 Vers. 24. *Si putauit aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea.* Magnam in hominum animis alit confidentiam diuitiarum copia, cui nihil putant esse non expugnabile. Quare vulgares spiritus quos diuina non agit, aut moderatur lex, sed humana potius tranluertunt, præcipitantque consilia, si se satis instructos esse vident à pecunia, de reliquo non laborant. Quæ cum alia præstet plurima, quæ hominum admiratur stupor, & appetit immoderata cupiditas: maxime tamen valet in iudiciis, ubi venalia sunt omnia, & perquam raro pecuniosus homo inuentus est nocens. Quare apud Gentiles olim vim numinis obtinuit pecunia. Quæ de re nos pluribus in nostris commentariis super Oseam ad illud c. 12. *Inueni idolum mihi.* & ad illud Danielis c. 11. *Deum autem Moazin in loco suo venerabitur.* Quid sit obrizum, diximus supra ad illud c. 28. v. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea.*

39. Vers. 25. *Si letatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.* Non solum diuitiarum in animo Iobi non aluerunt audaciam, vt aliquid tentaret iniustum: sed neque illarum studium, aut facultas fecerunt, vt in illis sibi complaceret, aut ideo elatus magnificè, tenuiorum turbam superbè despiceret. Plurima illius dicitur reperisse manus, aut quia Iobus cō-

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A gregata à parentibus iure hereditario recepit, aut quia illa sua sibi manu, atque industria acquisiuit. Et hoc fortasse potius, vt ex consequentibus constabit magis.

Vers. 26. *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè: & letatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* Communiter hic Doctores, & interpretes existimant agere Iobum de quodam idololatriæ genere, quo Gentès orientem solem excipiebant, & quia illum exosculari non poterant, osculabantur manum, quam deinde conuertebant ad solem, vt ea cæremonia exosculati solem viderentur. Quæ de re nos multa in nostris commentariis super Ezechielem ad illud c. 8. *& adorabunt ad ortum solis.* Vbi multis ostendimus solem, cum ex suo horizonte primum emergit, excipi à gentibus venerabundis religioso cultu. Et in nostris item commentariis in lib. 3. Reg. ad illud: *Et omne os quod non adorauit eum osculans manus.* Vbi pluribus docuimus osculo adorari solitos gentilium Deos, quæ omnia hic repetere superfedeo, contentus eò intendisse digitum, vnde plus satis petat curiosus lector. Ego cum Pineda existimò nullum hic esse sermonem de adoratione solis: Tum quia, vt dixit in Catena Chrysof. cum suas narraret Iobus virtutes eximias, non videbatur idololatriæ odium positurus. Quid enim tantum est impietatem illam exhorruisse: quia etiam illi, qui profligatissimis essent moribus, & omnium vitiorum turpitudine contaminati, auersarentur. Neque præterea erat cur Iobus hoc à se idololatriæ crimen, aut suspicionem depelleret, cum illud non foret ab amicis obiectum. Nam reliqua, quæ de se tam hoc quam 29. capite prædicauit, aperte confutant, quæ ab insultantibus amicis in maledictis audierat.

40. *Sol orientis à Gentibus adorari solitus.*
 Si nobis tenenda esset Septuaginta translatio, non esset huius loci explicatio difficilis, qui sic reddunt: *An non videmus solem, qui lucebat deficientem, lunam autem decrescientem: non enim in eis est.* Quæ sic exponunt Græci patres, qui sunt in Catena, vt ideo in his bonis fluxis, atque fugacibus exultandum non sit, quia cito labascunt & deficient. Quod eo probat argumento, quia quæ lumen videbantur æternum habitura, vt sol, & luna, illa tamè deficiunt, ac decrescunt. Pro omnibus vnum accipe Chryf. *Si ea, quæ in cælo sunt astra usque lucentia, vicissitudini tamen sunt obnoxia: sol enim deficit, & luna minuitur: an non extrema hoc fuerit dementia, quæ terrena sunt, ea stabilia, & firma putare? Hac nimirum causa erat cur illum humana hæc bona, nec oblectarent præsentia, neque absentia angerent.* Quare placet, quod ex Græcis Patribus visum est Nilo, & Olympiodoro, quibus addo August. nempe non cogitasse Iobum, quicquid haberet diuitiarum, à sua habuisse solertia, & manu, atque ideo quod diues esset, & potens, non esse tribuendum Dei benignitati, sed dexteræ, quæ res magnas esset constanter aggressa, & easdem obtinisset feliciter: quæ illi esset pro Deo, atque ideo illam religioso veneraretur cultu, & tanquam diuinum aliquid oscularetur. Egimus hac de re pluribus supra c. 1. v. 5 ad illud: *ne forte peccauerint filij mei.* Vbi multorum adduximus exempla, qui manum suam, aut hastam, aut aliquod aliud suæ gloriæ, aut dignitatis instrumentum coluerunt pro diis, & religioso aliquo cultu prosecuti sunt. Quæ tu vide:

K k 3 neque

*Instrumenta
victoria aut
succosus fas-
tices aliqui-
bus pro diis
habiti*

neque enim huc rursus aduocare necessarium est. Hanc cogitationem indicat, quod paulò ante legimus: *quia plurima reperit manus mea.* Et ideo dicebamus *plurima*, hæc intelligenda non de bonis, quæ à parentibus accepit Iobus, sed de illis, quæ sua ipse manu, atque solertia congregauit. Erit itaque sensus: non ita gauisus sum super multis diuitiis, quasi de illarum comparatione mihi ipsi, ac manui meæ gratularer, & manum meam osculatus honores illi quodammodo diuinos impenderem. Hanc explicationem non improbat Olympiodorus dū sic loquitur; *Sapenumero nonnulli cum sua facta efferunt, manus osculantur suas.* Nilus; *cur igitur spe à Deo se iuncti carne brachij sustentamur, diuinamque providentiam nostris manibus dimetimur;* & statim; *Multorum enim hic mos est, manibus suis suauium dare; ut quicquid in his opis, facultatis uo est à se ipsis habere testentur.* Augustin. in annotationibus in Iob: *Si lætatus sum cum esset mihi census multus, quasi de meo, ut qui gloriatur in Domino gloriatur.* & statim; *Quod si osculatus sum manum meam ponens ad os meum; gauisus sum tanquam de operibus meis.* Totum hunc locum explicuimus supra c. i. v. 5.

Verf. 28. *Quæ est iniquitas maxima.*] Iniquitas dicitur *maxima*, osculari manum cum videtur sol fulgere, & luna incedere clarè, id est, cum prosperè, & ex voto succedunt omnia: quod homo suæ industriæ tribuit, quod nihil euenerit aduersi, non Deo, id aperte dixit proximè Augustinus.

44. Verf. 29. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultauit, quod inuenisset eum malum.*] Insignis virtutis argumentum est, non solum inimicorum patienter tolerare iniurias, quod faciunt non ita multi, sed etiam de illorum calamitate dolere: seu quod idem ferme est, in eorum ruina non exultare. Longè aberat, qui sic afflictus est, ut inimico malum, aut inferat, aut optet. Quid aliud ageret, si euangelij sæculo natus esset,

45. *Turpe est
vindictam
expetere,*

Verf. 30. *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius.*] Qui interiorum affectum à vindictæ studio tantopere cohibuit, ut ex inimicorum incommodis nullam ad animum læticiam admiserit, multo magis externos motus, qui magis in nostra potestate sunt cohibere potuit. At igitur Iobus sic linguam assuefecisse modeste, ac piè, ut nihil mali imprecaretur hosti quantumcumque grauius ab eo laceratus, neque unquam in ore suo personuisse voces, quæ offensionem, aut acerbiter aspirarent, quæque à Deo precarentur, ut furorẽ suum in illum acueret, à quo ipse non posset, aut nollet exigere vindictam. Quare neque ipse iniurias suas ultus est, neq; Deum, ut illas vlceretur, orauit. Id enim est dare ad peccandum guttur suum: nempe petere, ut paria patiatur aduersarius; & Deus id faciat, quod ipse honestè facere, aut cogitare non poterat.

46. Verf. 31. *Si non dixerunt vici tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, ut satur emur.*] In hoc loco explicando varij sunt interpretes, quorũ aliqui ad beneuolentiã, mitiorẽque sensum; alij ad odium, & indignationẽ accipiunt illud *saturari de carnibus.* Neque omnes in eo consentiunt, cuius deuorandæ carnes expetuntur. Caietanus, Isidorus, & Legionensis in manuscriptis, illorũ carnes esse putant, qui Iobũ hostilibus in-

stabatur modis, quia videlicet aut bonis illius insidiabatur prædabũdi, aut illius honori cõuiliis insultabant. Quorũ cum patienter Iobus ferret iniurias, petulantia, & dirã intemperie, domesticis tamen, ut silētis Domini vlceretur iniuriã, in illos sic afficiebantur acerbè, ut illorũ lacerare carnes, & sanguinẽ exorbere cuperent.

Alij carnes putant esse Iobi, sed variè: quidã ex domesticorum odio id nasci existimant, quasi ægrè ferrēt hi, qui seruili sunt ingenio, & ignobili spiritu in leuera contineri disciplina, audire quotidie obgannientẽ Dominum, & dissolutos mores, & omnẽ intemperantiam aut reprehensione dura, aut etiam plagarum inflictu cohibentem: Aut etiam cum viderent ab hospiti-

47. *Comedere
carnes ali-
cuius natum
ex odio.*

48. *Item ex cha-
ritate.*

49. *In amore
uenero mor-
sus, & plaga-
vicissim*

B tio nullũ excludi peregrinum, nullum pupillũ à mēsa, & in egenos largas opes profundi, cum existimarent tantum suis commodis detrahi, quantum aliis commoditatis accederet; in Dominum indignabantur hostiliter. Ob vtramque causam videntur serui in Dominũ stomachari potuisse, & illius cupere satiari carnibus; ita putat Gregorius, Philippus, Hieronymus, Hugo. Alij plures hoc ortum arbitrantur ex charitate. Ita Chrysof. & Olympiodorus in Catena, S. Thomas, & Augustinus, Dionysius, Lyra, & recentiorum multi. Quod mihi omnino placet. Neque enim serui sic erant à Iobo instituti, aut

educati duriter, & parè, ut tale in Dominum odium conciperent, quale hoc dicendi modo significari solet. Vide quæ diximus suprã ad illud cap. 19. v. 22. *Carnibus meis satur amini.* Nunc superest videamus quomodo ex nimia charitate hic loquendi modus prouenire potuerit.

Quod si aliqua ratione constiterit, facilè erit res tota transacta. Chrysofostomus in Catena consuetudinem indicat amantium, qui sic se arctè vicissim amplectuntur, atque osculantur, ut dolorem sibi interdum afferant, & non solum se contingant labijs, sed etiam dentibus mordeant, neque id ita molliter; ut non etiam infingant dentes, liuorẽque ex amatorio illo vulnere relinquunt. Sic autem ibi Chrysof. quo

D loco insanum amorem, quo serui illum prosequerentur, ostendit; *Ardenti enim illius amore flagrabant, iis significacionibus, quæ ipsis ab illo dabantur, excitati sic, inquit, à me ipsi apti erant, atque pendebant: sic me auide complectebantur: ita mihi dediti erant, & affixi, ita me oculis ferebant, ut vel carnibus meis expleri cuperent, ipsos meos artus absorbere, ac deuorare præoptantes, tanto erga me studio, atque amore erant incensi.* Amoris porrò insania eò progreditur, ut dum aliquis ex amasio immoderatas libat voluptates, illi nõ leues interdum afferat dolores, dum osculando dentes infigit, & morfu genis, ori, aut collo plagas, & liuorem inducit. Quod quotidie experimur in

E matribus, ac nutricibus, quæ ita arctè oscula imprimunt infantibus, ut dolorem exosculando inferant, & vagire faciant: neque longè insana illa oscula à morfu recedunt. Sanè quod de simia produnt historici, id penè faciunt maternæ blanditiæ, & immoderata nutricis indulgentia. De qua Plinius lib. 8. c. 54. vbi dicit sic in suos fœtus molliter affici simias, ut magna ex parte complectendo enecent.

Porro in amore venereo, qui rabidus interdum est, & insanus, quique non solum dũ paulò se vehementius incitat, sapientiam, & mentem, sed etiam humanitatem expectorat, oscula

*Simia qualis
in filijs a-
mor.*

*49.
In amore
uenero mor-
sus, & plaga-*

vicissim imprimi, sed etiam morsus, & plagas, quæ dolorem faciunt, & liuorem, multi docet. Et quasi hoc esset familiare huius amotis in-temperantiæ, & causa quaeritur, & plagæ, ac liuori medicinae traduntur opportuna. Audi Lucetium lib. 4. non procul à fine.

Quod perire premunt arte faciuntque dolorem Corporis, & dentes inlidunt sæpè labellis:

Osculæque affigunt, quia non est pura voluptas; Et stimuli subsunt. Qui instigās laedere id ipsum Quodcūq; est, rabies: unde illi hæc germina surgūt, Sed leuiter pœnas frangit Venus inter amo em, Blandæque refrœnat morsus admixta voluptas.

Est autem medicina, quæ ex illius morticulis liuorem apparere prohibeat, ne nocturnam Venerem relicta è morsibus amatoris vestigia prodant, docet Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Tunc succos, herbâsq; dedi, queis liuor abiret, Quem facit impresso murua dente Venus.

50. Huius rei plura afferri possent testimonia ex Antiquorum monumentis, à quibus libenter abstinerem nisi scirem hæc hæere aliquos, qui hæc verba ex odio profecta suspiciantur, cum nõ videant hæc interdum, neque rarò ab amore nasci. Adducam vnum, aut alterum: tu plura inuenies. Ouidius lib. 1. amor. eleg. 7.

Aptius impressis fuerat liuore labellis, Et collum blandi dentis habere notam.

Plautus in Pseudulo inter alias amatorias delicias, arctas numerat compressiones, & mortificulas, quæ licet molles sint, liuorem tamen relinquunt, & immoderatae Veneris nõ obscura vestigia. Qualia Cicero actione 7. dicit habuisse Verrem, à fœminarum morsu, quibus intemperanter assueuerat. Illud præterea mihi verisimile est, hæc infani amoris, atque vehementis signa prouerbiali specie adhiberi solita ab Idumæis, qui nihilo in re venerea nationibus aliis moderatiores erant, pro amore ingenti, qui non procul abest ab infania. Sanè ad explicandum amorem summum, hoc dicendi modo prouerbiali vtuntur Hispani. Quare nihil aliud videtur significasse Iobus, quàm se à viris tabernaculi sui, id est, à domesticis amari vehementer.

51. Vers. 32. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Qui tam in suos beneuolus, & munificus fuit, non minùs beneuolè peregrinos excepit. Quod officium non ita facile obibant Idumæi, qui etiam duri extiterunt in suos. Quare sicut ostium commune diuersores excipit, neque cuiquam fores ocludit, quia ab omnibus laboris, & hospitij pretiū expectat: sic etiã Iobus sine vlla spe mercedis, sed à suæ naturæ benignitate, Deique amore satis incitatus, domum suam, & mensam peregrinantibus voluit esse communem, ne foris viatores pernoctare cogerentur, vbi gentis petulantis, & impia ludibrio paterent, & iniuriis.

52. Vers. 33. *Si abscondi quasi homo peccatum meū, & celauit in sinu meo iniquitatem meam.* Ex hoc fortasse loco sumpsit historicus facer quicumque ille fuit, exordiū huius libri, in quo Iobus dicitur simplex & rectus, quia nihil simulauit alienum, neque admisit quod celari, aut dissimulari debuerit: neque necessarium illi fuit externum fucum adhibere, quo celaretur culpa, & appateret mendax honestatis species, quia veram habuit in se honestatis imaginem. Hoc porrò in hac suarum virtutum cõmemo-

A ratione dictum oportuit: quia tres amici instigante Diabolo sibi persuaserant, neque semel obiecerant illum nullam habere virtutem solidã, & veram, sed tantum inanem vmbra, & mortuam imaginem. Ait ergo nullum se habuisse peccatum, quod humano celauerit artificio, quod faciunt homines non infrequenter, qui non tam esse volunt, quàm videri boni. Hoc autem se fecisse nunquam dicit Iobus, dum ait, nunquam se in sinum, id est, in animo abscondisse peccatum, & hominum oculis virtutis vmbra ostendisse.

53. Vers. 34. *Si expansi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me.* Qui rebus præsumt publicis, in eo interdum non leuiter peccant; quia non audent se tumultuanti multitudinè constanter opponere, eo maximè rerū articulo, cum nihili Principis habetur auctoritas, sed potius tanquam iners, & languidus à populo contemnitur. Hoc autè timeri poterat in eo, qui lenis est, neque ausus vnquam manū in pupillū extendere: & vt valdè erat ad miserendū pronus; sic etiã videri Iobus poterat ad vim inferendã, & ad aliorū frangendam audaciã parū à natura incitatus, & strenuus. Hoc tamè negat Iobus, qui cõmotã multitudinè alle-rit nunquã sibi terrori; neq; populo, cui præerat, dū integra fuisset fortuna fuisse despicabilè; aut si cõtemptus fuisset aliis, qui propinqui foret cognatione aut loco; nõ tamè ideo cõcidisse animo, aut sic exhorruisse, vt omitteret quod ab optimo Principe, & rei vidice curatū oportuit.

54. Illud despectio propinquorum, variè exponitur: neque mihi omnino constitutū est, quid magis probè, aut quid improbè minùs. Non displicet, quod modò dicebã, nõ exhorruisse Iobū, quod propinqui, cognatione, aut ordine, qui videtur fuisse nõ ignobiles, aut infimi, ipsum haberet despicatū, quò minùs auderet id, quod officij ratio, & dignitatis exigeret. Alij despectiõne esse putant propinquorū passiuã, ita vt propinqui cognatione, neglecti videantur; in hūc sēsū etiã: si domestici mei, aut qui maximè sūt cognatione cõiuncti, è suo ordine, aut statu caderet, ita vt cõtēnerentur ab omnibus; nõ tamè ideo à meo munere præstando deterrerer. Hoc etiam mihi neque à re, neque à textu videtur alienum.

55. *Et non magis tacui, neque egressus sum ostium.* Videri Iobus poterat timidus, & ignauus, atque ideo regio nomine indignus: quia aliquando in populi tumultu, aut cū familiares, atq; cognati despectui haberentur atq; ludibrio, ipse tacuit, & se domi interea in suorū vexatione cõtinnuit. Ait igitur Iobus, quòd eo tēpore tacuerit, neq; domo fuerit egressus, non id ex pauore prouenisse, neque exhorruisse tumultuantē, atq; cõtõtã multitudinē, etiã si suos despici videret, sed alias ob causas, quæ suadebãt tumultus illos meliùs sedari potuisse silētio, neque ad fœlices exitus, reipublicaq; bonū tempestiuã esse maturitatē. Magna pars est prudentiæ dissimulare, quod videas, & ad opportunū tēpus curationò differre, vt diximus lib. 1. Reg. c. 10. Vbi laudauimus prudentiã Saulis, qui dissimulauit se audire, quæ illo tēpore corrigere cõmodè nõ poterat. Quod monuit Cicero faciendū illis quibus cõmillum est reip. gubernaculū, si modò velint cogitata perficere, nepe vt multa simulent inuiti, multa cū dolore dissimulent. Est itaque hic breuis, & apertus sensus: nõ timui multitudinē

infensam, neque propinquorum despectum, & cum loqui possem, & auderē, & foras prodire, malui tamen silere, & tenere me domi: quia id rebus agendis magis videbatur opportunum.

56.
Liber in re
iudiciali
quid.

Verf. 35. *Quis mihi det auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat.*] Hæc omnium, quæ de se Iobus commemorat, ac prædicat, summa quædam cõplexio, & confirmatio est, quæ diuino iudicio, ac testimonio confirmari vult. Cum enim æquum in terra iudicem non inueniret, neque vllus præter Deum intimos animi sensus penetrare posset, illum auditorē optat, & iudicē, qui non externa solum, sed etiã interiora cognoscit. Optat denique vt humano modo legitimõque iudicio in acta referat, & scribat in libro, quale ipsius fuerit de hac studiorum consiliorumque commemoratione iudicium; vt alij intelligant, quid ille senserit, quem nemo erroris arguere, nemo mendaci] accusare potest. Est autem liber in re forensi, ac iudiciali, vbi acta continentur: & quid tandem probè discussa causa decretum fuerit, legitimo iudicio, & quid de reorum libertate, innocentia, aut capite constitutum, qui etiam libellus dicitur. Tabellionum vulgò processus appellatur.

57.
Sceptrum in
humero ge-
stari solitū.

Verf. 36. *Ut in humero meo portē illū & circumdē illū quasi coronā mihi.*] Nō dubitabat Iobus, si in causa Deus iudicē ageret, qui hominū acta pro illorū meritis, ac pondere cõpensat, talē futurū librum, in quo de ipsius accusatione, & innocentia constaret, vt illum publicè gloriosè gestare, & omniū oculis legendū honestè proponere potuerit. Tam autem erat longè, vt crederet accusationem eorum tanto iudice, & illius iudicium futurum sibi esse dedecori: vt non minori existimaret futurum esse gloriæ, quàm regia stemmata, atque insignia, quæ gestaret in capite, atque humero; imò illa non grauātè deponeret, vt præclarum illud de sua innocentia testimonium, illorum loco publicè circumferret. Notum est in *corona*, & *sceptro* regio dignitatem significari: vnde fit, vt hæc pro regno, ac regio nomine frequenter vsurpentur. Coronā capitatis esse proprium ornamentum, nemo nescit; sceptrū verò, in manu humerõque gestari, videmus quotidie in his qui regiam personam, aut qui reipublicæ nomē sustinent, de more repræsentant: & in Scriptura sacra sunt nō obscura testimonia Isai. c. 22. v. 22. *clavis*, quæ eo loco idē est, quod sceptrū, in humero gestatur. Sic autē ibi de Emanuele: *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* & cap. 9. v. 7. *Factus est principatus super humerum eius.* Eandem esse puto consuetudinem Idumæis, qui proximi erant Hebræorum populo, quibus ipsi aut dederunt, aut ab illis acceperunt morem illum gestandi sceptrū in humero. Quod si graue erat sceptrū, vtpote ex pretioso metallo, quale videtur antiquis temporibus fuisse, non videtur manibus commodè potuisse portari: atque ideo ad humerum videtur fuisse reductum, qui ad portandum onus magis est idoneus.

58.
E na: fragio
incolumes
se ipsos por-
tant in ta-
bula.

Hæc videntur satis esse soluta. Sed addo cogitationem aliam, cogitationem dico, non sententiam. Quod aliquando facio, cum res est obscura, & scitu non indigna. Solebant, qui iactari prius à fluctibus, tandem ad littus emerissent incolumes, se ipsos in tabulā ex humeris suspendere, quo significarent in summo se pe-

riculo fuisse versatos, & Dei beneficio salutem consecutos. ita indicat Acron antiquus Horatij interpres ad illud lib. 2. satyr. 1.

Vouua pateat velui descripta tabella:

Dixit aperte Persius satyr. 6.

*Frange aliquid: largire inopi, ne piētus oberret
Cœrulea in tabula.*

Et clariùs satyra 11.

--- Cantas cum fracta te in trabe piētum

Ex humeris portes.

Hoc igitur voluisse videtur Iobus, qui cum multa passus esset ab inuidis, multa ab illis, qui à Dæmone decepti variis illum exagitabāt calumniis, Dei tamē iudicio liberatus; & in libro, quæ à Deo scribi desiderabat, depictus, suæ innocentia ineluctabile testimonium acceperat. Quæ libèter gestaret ex humero suspensū, vt quilibet in eo legeret, cognosceretque quale fuerit Deide Iobi integritate iudiciū, & quæadmodū ex mediis accusationis fluctib] euasisset incolumis.

Verf. 37. *Per singulos meos gradus pronuntiabo illum.*] Aptissimè hæc cū superioribus cõiunguntur. Nam si liber ille probitatis Iobi testimoniū est, quod ille tanti facit, vt cum coronæ, ac sceptri splendore cõponat, quod non paternā indicat, sicut sceptrū, sed propriā gloriā. Quid mirū si in omni loco, ac tempore, & ipse legat auidē, & ab aliis legi, ac volutari cupiat. Illud enim indicat *per singulos gradus*, ita vt quæadmodū gradus singuli sua humi relinquunt impressa vestigia, sic etiam in singulis gradibus rectè à Iobo factorum resonent laudes. Aut certè per singulos gradus pronuntiabit, quia nihil tacebit eorum, quæ in illo libro scripta sunt, siue ab accusatoribus qui paria obiiciūt crimina. siue à Deo, qui ab illis vindicat, & absoluit innocētē. in *gradib]* autem, & *uis* opera intelligi, iam satis supra Iobus ipse docuit. Qui verò singulatim legēdo percurrit omnia, illa latis indicat in omni vita nihil gessisse, aut habuisse, quod timeat.

Et quasi Principi offeram eum.] *Princeps* ille dicitur, qui dignitate, munere, aut potentia superior est, qui que aliorū audaciam comprimere, plectere peccata, aut merita suis momentis cõpensare potest: qualis est Rex, aut Iudex, qui que aliis cum imperio, & potestate præest. Ait igitur Iobus eā fuisse in suis studiis, atque cõsiliis honestatem, vt liber ille, in quo esse cupit, ad vnū omnia clarè, distinctèque descripta, nihil à iudice seuero, & integro, nihil ab æquo Principe sibi metuendum putet. Aut etiam si in *Principe* Deum intelligas, illi libenter offerat suarum rerum accuratum censum, atque catalogum. Auctores postrema hæc variè interpretantur. *Lyra* in *Principe* Deum intelligit, illique offerendum dicit librum in gratiarum actionem quasi bonorum omnium largitori; non longè ab hoc abeunt Dionys. & Pineda, Hugo Christū iudicē putat, à quo omnia Iobi opera examinanda sunt. Alij ita loquuntur obscurè, vt non facilè illorū possis informare sententiam.

Verf. 38. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ea sulci eius deflent.*] Quia amici sæpè verbisque contumeliosis, & grauib] tyrannum Iobum appellauerant, quod illi non poterat esse non molestum, ideo post extremam clausulam summamque conclusionem, ad partem illam confutandam regreditur: & docet nunquam se colonis, qui vel proprios agros vomere subegerant seminarantque, vel colendas

59.

60.

61.

colendos conduxerant alienos fuisse molestū, cum de alieno labore nihil ad suum vsum commodūque contulerit. Dicuntur autem *fulci flere, & terra clamare* per prosopopœiam, quæ spiritum tribuit, & voces his rebus, quibus à natura spiritus, & voces negata sunt. Terram autem appellat *suam*, quia in ea regione colebatur, qui ipsius suberat imperio. Hæc porrò tūc clamare, & lugere existimatur, cum tyranno seruit, & fructum reddere cogitur, non illi, à quo quotidianū accipit beneficium; sed latroni, ac violento, qui cum nullam operam impenderint; in alienum laborem auaras manus intrulerunt. Quomodo ingemiscere dicitur omnis creatura dum peccatori seruit, cui ipsius partus minimè debetur, ad Rom. 8. v. 22. flent ergo fulci, dum aliena falce metuntur segetes, neque ad illorum vsum perueniunt fruges, quorum ipsi studio, atque operæ gratiam reddere gestiunt. Sumuntur autem agri, & fruges, pro agricolis, qui in agris degunt ea figura, qua continens pro re contenta sumitur, & locus pro his, quæ continentur aut versantur in loco.

61. Vers. 39. *Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius affixi.* Locus est apertus, in quo Iobus suam testatur innocentiam, cum neque dolo fuerit agricolis, dum ab illorum vsum ad suum commodum, atque delicias fractus auertit, neque duris tributis, aut immoderatis exactionibus oppresserit: & si quando illis vesci contingat, non faciat nisi prius ad libellam numerata pecunia.

63. Vers. 40. *Pro frumento oriatu mihi tribulus, & pro hordeo spina.* Accommodata peccato pœna; qui enim deprædatus aliorum agros fecit, ut clamaret terra, & fulci lugerent, dignus est, ut ipsius & agri horreant, & lugeant obstiti vepribus, & herbis aliis aculeatis, & noxiis, ex quibus nihil capias, quod oblectet, atque permulceat sensus, & multa inuenias, quæ horreat animus, & membra pūgant atque distringant. Hæc autem rerum permutatio, aut magnam indicat rerum conuersionem, aut futu-

A ram precatur; aut in malum si mala, & aspera mollibus; aut in bonum si noxiis, & asperis salutaria, & speciosa succedent. Huius exemplum habes optimum Isaïæ cap. 55. vers. 13. *pro saluica ascendet abies, & pro vrtica crescit myrtus.* Illius est exemplorum satis apud profanos: vnus pro multis sit Virg. Eclog. 5.

*Grandia saepe quibus mandauimus bordea sulcis
Infelix lolium; & steriles dominantur auena;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.*

Ad extremū additur, *finita sunt verba Iob.* Quod an sit de textu, ac pondus habeat canonicæ fidei, dubitatio est: neque autores ea de re consentiunt. Hebraïci codices, quos mihi videre licuit, extremam hanc habent clausulā. Chaldaus item & Septuaginta. Omiserunt editiones aliquot Latinæ: neque ex Sæctis, atque Doctoribus aliqui legisse videntur, cum horum verborum nullo modo meminerint. In quibus sunt Gregorius, Hieronymus, Beda, Philippus, Lyra, Dionysius, Hugo. Esse autem de fide longè arbitror esse probabilius, licet in contraria sententia nihil putem esse periculi, quod videntur sensisse viri doctissimi, quibus Pontifex editionis vulgatae correctionem commendauit, qui sicut alia plurima, quorum dubia est fides, diuersis expressere notis, sic etiam hæc de quibus præsens incidit dubitatio. Finita porrò dicuntur verba, licet alia Iobus capit. 42. locutus fuerit, quia illa extra disputationem, & ut ita dicam, extra iudicialem contentionem dicta sunt; neque cum amicis iam amplius disceptator agit, sed cum Deo supplex. Hæc autem extrema verba solemnia esse solent, & quasi legitima his, qui causam oratorio modo disceptant: qui perorata causa ad extremum addunt *dixi* aut similia. Septuaginta principium hæc esse voluerūt cap. 32. ita ut cessante Iobo, tres etiam amici cessasse dicantur. Sed siue hac vel illa ratione distinguas, non admodum interest, cum eadem sit sententia, & utroque modo continens filium.

64.

ARGUMENTVM CAP. XXXII.

INDIGNATUR Eliu contra Iobum primò, qui suam tantopere iustitiam predicabat: deinde contra amicos Iobi, quos videbat Iobo respondere non posse, quem iniuriis potius exagitarant indignis, quàm ratione vlla graui idoneaque conuicerant. Quare ipse præfatus modestè veniam, quod coram senibus adolescens loqui audeat, docet adolescentibus interdum diuinitus inspirari sapientiam, cuius rei à seipso non dubium ceperat experimentum: cuius pectus, vsque ad eò plurimæ, eademque sapientes cogitationes impleuerant, ut vim illarum effervescentem, & exilire gestientem cohibere non posset. Et ideo ut animum aestuantem refrigeret, & sedet, & spiritum laborantem laxet, aperire dicit se velle labia, & pugnaces cum Iobo conferre sermones.

CAPVT XXXII.

A

PARAPHRASIS.

1. **O** Miserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quòd iustus sibi videretur.

1. 2. Cum longam Iobus orationem habuisset, suamque sententiam non minori quàm antea contentione tueretur, siluerunt amici, quia

2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autem aduersum Iob, eo quod iustum se esse diceret coram Deo.

3. Porro aduersum amicos eius, indignatus est, eo quod non inuenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob.

4. Igitur Eliu expectauit Iob loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur.

5. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.

6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit:

Iunior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.

7. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo deceret sapientiam.

8. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

9. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.

10. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

11. Expectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:

12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Iob, & respondere ex vobis sermonibus eius.

13. Ne fortè dicatis: inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum: nō homo.

14. Nihil locutus est mihi, & ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

15. Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque à se eloquia.

16. Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt:

17. Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.

A quia Iobum à sua sententia deducere se posse desperabant: neque quicquam habebant quo illum urgere possent vehementius. Tunc autem quarto loco surrexit Eliu filius Barachel de genere Ram infenso vehementer animo contra Iobum, quia in asserenda sua iustitia affirmato adhuc pectore perstabat.

3. Succensuit item grauius tribus amicis, qui cum Iobo prius longa disputatione certauerant: quia illum tam aperte, ac liberè condemnassent, cum tamen, quod fieri oportuerat, nulla illum necessaria & firma ratione conuicissent.

B 4. 5. 6. 7. Hic igitur audiuit Iobum loquentem, expectabatque ut responderet alij, quibus id debere se putabat, quia longa illum ætate præcesserant. Cum autem illi aut nolent, aut non haberent quid rursus obicerent, in illos vehementer excanduit, dixitque iniuriorem se esse, illos autem ætate grandiores, & ideo silere eo vsque voluisse, quia inuenem coram senibus loqui ingenua verecundia prohibebat.

C 8. 9. Sed ut video, inquit, neque in senibus ubique est sapientia, neque ubique in adolescentibus ignorantia. Homo enim etiam in iuuentute sapientia est, ac disciplina capax, quã Dominus hominibus inspirat & indulget. Quare non solum senes de sapientia, quasi de propria possessione gloriari possunt.

D 10. 11. 12. Ideo, o senes, audite sapientiam mihi adhuc in iuuenili ætate diuinitus inspiratam. Neque id à vobis exigo quod me à mihi modestia non debeatur. Audiui etenim diu vos, neque loquentes interrupi, neque præripui locum, sed illum mihi sumpsit quem vos illi, quicumque vellet vacuum reliquistis. Et nunc eò aggredior disputationem audacius cum videam vos neque arguere velle Iobum amplius, neque illius respondere sermonibus.

E 13. 14. Ne fortè dicatis otiosam fore proorsus, & vanam meam disputationem, cum vos quod esset acutissimum telum in obstinatum virum coniecero, cum dixeritis percussum esse Iobum à Deo, non ab homine, quo existimabatis aperte concludi peccatorem esse Iobum quẽ Deus tam graui, ac fædo vulnere percusserit: Ego longè aliter meam disceptationem institutam. Quod facere posse videor quia cum mecum huc vsque non egerit, non præscripsit mihi certum aliquem respondendi modum.

15. 16. 17. Seniores autem post hanc etiam increpationem Eliu extimuerunt rursus ad stadium redire, & inchoatos cum Iobo conferere sermones, cumque illos adhuc silere videret Eliu, dixit se velle illorum partes suscipere, & suam omnibus ostentare sapientiam quando quidem aliquandiu

18. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei.

19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit.

20. Loquar, & respirabo paululum: aperiā labia mea, & respondebo.

21. Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.

22. Nescio enim quā diu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.

A diu expectati nihil locuti, aut locuturi viderentur.

18. 19. 20. Neque mihi deest agendi facultas, aut sententiarum copia, quæ sic intima complent, distenduntque præcordia, ut timendum sit, ne si diu continere contendam, illa rumpantur. Quæ in animo concepta exilire gestiunt, non aliter quā fetus iam maturus ex utero puerperæ: & sic urgent vehementer, quemadmodum mustum, quod spiraculum nō habet, per quod æstum suum, furorēque despumet, & exhalet, dolia diffringit. Loquar igitur, & laborantem spiritum laxabo & ne compressis labiis aximum agam, agam verba labiis apertis.

21. 22. Hic porrò erit totius orationis scopus, cum Deo hominem nulla ratione posse cōferri. Quæ in disputatione, & contentione pia ita me geram, ut nulla me humana ratio, aut personarum acceptio transversum agat à re-cto, synceròque iudicio. Dum autem veritatem tantum & pietatem intueor, mea quoque saluti prudenter caueo; nescio enim quando me è viuis euocet, qui creauit me; & absoluta disputatione statim ad iudicium adducat, ubi reus arguar acceptæ personæ, aut corrupti iudicij.

Verf. I. Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quòd iustus sibi videretur.]



ONGAM habuit Iobus, & continentem orationem, quam non minus sex capitibus absoluit: quam ideo, ut apparet, non interruperunt tres amici, sicut antea fecerant: quia cum in eadem sententia hereret obfirmato animo, neque aliquid haberent aliud, quod ad illam infirmādam opponerent, tacendum potiùs existimarunt, quā eadem repetere cum aliorum fastidio, aut alia adducere, in quibus promouerent nihil, & suā præsentibus ignorantiam proderent. Hæc iuxta vulgatam lectionem, cui alius sensus non nisi violenter, & inuictus accommodat. Septuaginta aliter legunt; *Erat enim Iob iustus coram eis.* Eodem fermè modo Symmachus; *Eo quòd ipse iustus appareret super eos.* Neque vulgata lectio huic expositioni aduersatur. Si illud sibi in plurali numero statuas, cui ratio grammatica non repugnat, sed fauet parum huic translationi pronomen affixum *van*, quod singularis est numeri, & magis cum vno Iobo, quā cum tribus illius amicis conuenit, sic enim Hebræum *וְעִיבָא* *beenau*. Non desunt qui putent singulare affixum, adhibitum esse pro plurali, nempe *sibi*, pro *eis*, & id expectasse Septuaginta seniores, & Symmachum. Sed ego ad hanc cogitationem durior sum, neque recedendum puro ab Hebraico textu, & ab eo quòd propiùs exhibet Latinus.

Verf. 2. *Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.*] De hoc

A Eliu multa quæri possunt, imò multa quærunt, & disputant interpretes. Quorum ea à nobis explananda, quæ minus videbuntur abs re, alia omnino prætermittenda. Primum quærimus an fuerit ex amicorum numero, vel vnus ex his, qui casu amicorum, & Iobi disputationi interfuerunt. Hoc posterius videtur magis verisimile. Neque enim cum de Iobi amicis sermo est, plures esse dicuntur tribus, & cum Deus capit. 42. loquitur cum Eliphaz, duos illius dicit amicos, & socios. Quare cum tres alij diebus multis Iobo assiterint, & varia cum illo congressu familiari contulerint, de Eliu tamen nihil ad hunc vsque locum, neque vnquam postea nomen eius auditum. Accessisse igitur videtur excitatus opinione doctrinæ trium amicorum, quorum inter Idumæos fama celebris; quos nouerat literarum certamen inuituros. Quod adolescentem ingeniosum, neque omnino indoctum mouere potuit, ne abesset ab illo literario congressu.

De huius genere res est incerta, tantum legimus filium esse Barachel de cognatione Ram. De Barachel in Scriptura nihil nisi hoc loco: *Ram* non semel in Scriptura; sed longè post hæc sæcula: ex quibus suum deriuare genus non potuit Eliu. Illum *Ram* fuisse Abrahamum, ex quo per Esau genus traxerunt Idumæi, nonnulli suspicantur: sed illud incertum. Duo hinc minus videntur incerta, nempe illum Idumæum fuisse, cum illius pater dicitur

1. Eliu ex amicis Iobi.

3. Eliu Idumæus.

dicatur esse Puzites. Buz enim ciuitas esse creditur Idumææ, quod indicat Septuaginta trāslatio, quæ Ram ex Auitide regione fuisse dicit. Auitis autē regio apud LXX. eadem est, quæ apud Vulgatum Hus. Hi autem parentes Eliu videntur fuisse aut genere, aut alio titulo, ac nomine non ignobiles, quando ab illis Eliu sacer historicus notum esse voluit. Ideo enim existimant nonnulli, idque prudenti coniectura, aliorum amicorum Iobi progenitores non esse nominatos, quia ipsi satis eo tempore propter prudentiam, & regium splendorem, & ætatem iam senilem, resque præclare gestas erant nobilitate cogniti; At Eliu, utpote iuuenis, neque magistratu, aut rerum administratione commendatus parentum suorum gloria ad sui commendationem indiguit.

4. Quidam Eliu illum Balaam esse censuerunt, qui Num. capit. 22. conductus fuit à Balaac, ut Dei populo malediceret: ita ex sententia Hebræorum Hieronymus in hunc locum; *Hunc, inquit, Eliu doctissimi Scripturarum dicunt esse ipsū Balaam hariolum, quem in Numerorum libro Balaac Rex Moabitæ ad Israëlẽm maledicendum cōduxerat.* Et addit tom. 3. in tradit. Hebræorum ad cap. 22. Genes. hunc prius fuisse virum sanctum, & Prophetam Dei: postea verò dum per inobedientiam, & desiderium munerum maledicere cupit populo Dei, vocatum fuisse diuinum. Hanc sententiam non tam Hieronymi, quàm Hebræorum, quorum ille non tam sequitur, quàm explicat mentem, amplectuntur alij, quorum opinionem confutant Salmeron Proleg. 10. quinquag. 2. & Pineda hic. Neque stare potest hæc cogitatio cum his, quæ diximus supra capit. 2. versiculo 9. vixisse Iobum sub Iacobi Patriarchæ tempora, & cum ipsius filia coniugali vinculo fuisse coniunctum. Inter Iacobum autem, & Balaam intercesserunt plus minusve anni trecenti, quæ ætas illo tempore perquam rara fuit.

5. Sapientissimum porro fuisse hunc Eliu, eius oratio longa demonstrat, in qua multa elucet, reconditæque mysteria quæ videntur à Deo non improbari capit. 38. versiculo 2. dum ait: *Quis est iste involuens sententias sermonibus imperitis?* Vbi verba imperita, aut in dicendo modum damnare videtur, non sententiarum pondus. Hæc autem de Eliu fuisse dicta, communis est interpretum sententia.

6. Vers. 3. *Iratus est autem aduersum Iob, eo quod iustum se esse diceret coram Deo.* Interim dum lo-gum inter se sermonem conferent tres amici cum Iobo, illisque Iobus non minori studio, atque animi ardore respóderet, concipiebat Eliu furorem, quem ad illud usque tempus in animo continuit, in quo tres illi viri ætate grãdiores, & sapietia laude commendati, aut conuicti Iobi rationibus, aut quia nihil habuerunt, quod amplius obiicerent, siluerunt. Tunc autem tam in Iobum, quàm in illius antagonistas exarsit, & primùm in amicos, quod parum essent sapientes, & minus quàm oporteret in disputando strenui; deinde in Iobum, quia iustitiã suam, & innocentiam prædicaret, debacchatus est.

7. Vers. 4. *Igitur Eliu expectauit Iob loquentem, eo quod seniores essent qui loquebantur.* Interrupisset, ut apparet, Eliu orationem longam, quàm Iob-

bus habuit, in qua sex non minus, eaque longa capita cōsumpsit; nisi expectaret, ut hoc ipsum facerent, sicut antea fecerunt, tres amici Iobi: quibus ipse ideo primum locum, & partes deferrebat, quia sapientes putabat, & quia videbat longè natu maiores. Cum tamen videret post orationem illam grauem, & prolixam tenuisse silentium, & de priore studio, atque ardore certandi tantum remisisse, ut viderentur omnino abiicisse hastas, quas prius in intima Iobi viscera vibrarant; surrexit ipse non minus in illos, quàm in Iobum inflammatus furor: Dixitque continuisse se ne in illud philosophicum stadium descenderet, quia iuuenem coram senioribus loqui non deceret: neque putabat à iuuenili ætate spectandum, quod proe-tior ætas ignoraret: à qua tam raro abesse solet ignorantia, quàm in iuuenilibus annis inueniri prudentia. Seruauit hoc loco Eliu præceptum illud, quod multis post sæculis tradidit Ecclesiasticus capit. 32. versic. 15. sic enim ibi ad adolescentem; *In medio magnatorum non præsumas; & ubi sunt senes, non multum loquaris.*

8. Vers. 8. *Sed ut video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*] Indicat Eliu in eo congressu se aliquid didicisse, quod ignorabat prius, nempe neque in senibus semper esse sapientiam, neque in adolescentibus ubique ignorantiam: cum in homine etiam à iuuentute sit spiritus, & mens sapientia, ac disciplinæ capax: quæ à Deo, qui Pater est luminum, communicatur hominibus, & tam senibus idem, quàm iuuenibus liberali manu illam inspiret, & indulgeat. Hæc mihi facilis, & apta videtur esse sententia. Alij aliter explicant, sed non procul ab hac sententia, S. Thomas spiritum dicit esse Dei in hominibus, *in quantum scilicet in eis operatur.* Hieronymus: *quia spiritu aguntur homines, quibus Deus omnipotens sapientia sua inspirationem tribuerit.* Quod dictum putabat esse ab Eliu, *in sugillationem prædictorum, quasi ex obliquo dicit, veluti sibi soli hoc sapientia donum concessum sit.* Idem omnino Beda. Cum autem à diuino spiritu afflatur, & agantur homines, nihil mirum si iuuenes abundant aliquando sapientia, à qua nonnunquam destituuntur senes. Quod sibi hoc loco vendicat Eliu, quasi à Deo instinctus, & illuminatus aliquid dicturus sit, quàm senes alij altius, atque diuinius. Sibi etiam aliqui ex Gentilibus concessum esse dicebant, ut in illis esset Deus, aut illius spiritu afflati, atque illustrati loquerentur. Sic sanè Poète sæpe, quorum vnus Ouidius lib. 3. de arte.

*Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus æthereis spiritus iste venit.*

9. Vers. 9. *Non sunt longæui sapientes: nec senes intelligunt iudicium.*] Non negat Eliu in senibus reperi sapientiam, sed illam esse sic alligatam canis, ut non etiam interdum adolescentiam comitetur, & ornet; cum illa sit à Deo, qui, ut illam inspiret, annos non numerat, aut canos intuetur: neque adolescentibus desit apta capacitas, quæ à Domino inspiratam accipiat.

10. Vers. 10. *Ideo dicam, audite me: ostendam ego etiam vobis meam sapientiam.*] Inspiratam sibi indicat à Deo sapientiam, ut illam sapientes homines, & ætate graues non despiciant; imò

4. Eliu Balaam existimatus, sed falso.

5. Eliu sapientissimus.

6.

7. Iuueni coram senioribus

commenda-
tum silen-
tium.

8. Iuuenibus aliquando à Deo concessa sapientia.

9.

10.

imò auidè, & cum aliqua veneratione suscipiant. Quod oratorum artificium ad captandam attentionem potentissimum est, cum nuncios nos esse profiteamur, non auctores eorum, quæ ad multitudinis, aut etiam paucorum aures adducuntur.

11. *Verf. 11. Expectaui enim sermones vestros: audiui prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus.* Plurimum urbanitas, & modestia valet ad benevolentiam, quam ostendit Eliu, cum dicit se expectasse donec illi finem loquendi facerent, neque præripuisse sermonem: sed illum subiisse locum, quem ipsi ei, quicumque vellet, vacuum reliquissent. Verbum illud *disceptaremini*, in terminatione passiva eo in loco nouum est, disceptatur enim causa, disceptat persona.

12. *Verf. 12. Et donec putabam vos aliquid dicere considerabam* Non statim atque locutus est Iobus, aggressus est disputationem Eliu, sed aliquid interposuit moræ expectans, vt iuuenem decebat, an illorum senum quispiam meditaretur aliquid, quo aut Iobum lacesseret accusatione noua, aut illius responsa confutaret. Exiliuit tandem cum planè cognouit, neque illos habere, quod obiicerent noui, neque quid Iobi orationi prolixæ responderent.

13. *Verf. 13. Ne forte dicatis, inuenimus sapientiam: Deus proiecit eum, non homo.* Diuersam disputandi viam aggreditur Eliu ab illa, quam tres illi seniores tenuerunt: & id indicat in præsentia non obscure: neque videtur probare, aut disputandi modum, aut excusationem illam, quam sui silentij allaturi videbantur. Quæ autem futura fuerit excusatio, satis hic locus obscure & impedite significat: dicere enim possent satis se disceptasse sapienter cum dixerint Iobum percussum esse à Deo non ab homine: quo effecisse se credebant peccatorem esse Iobum, quem Deus tam afflixisset vehementer. Sic hunc locum explicant, aut nunc inclinant Latinorum plerique, S. Tho. Beda, Hugo, Lyra, Dionysius. Aut noluisse illum inclementius vrgere, cum viderent id sibi negotij suscepisse Deum, cuius Iobus manum grauem esset expertus: Atque ideo sapienter statuisse imponendum esse finem disputationi, quæ viro afflictio non poterat esse non molesta.

14. *Verf. 14. Nihil locutus est mihi: & ego non secundum sermones vestros respondebo illa.* Causam reddit honestam, cur postquam tantum operæ, & studij positum est à senioribus in disputando contra Iobum; ipse voluerit tentare rursus hominem, & nouum instituere disceptandi genus. Quod ad priorem partem spectat, ait, sibi rationes esse nouas, quibus Iobi præfactum debilitet, & eò deducat indocile ingenium vt tandem conuictus fateatur, quod antea negauerat. Quod verò ad posteriorem partem pertinet, ideo indicat se nouis ad oppugnandum Iobum rationibus vti velle: quia cum nunquã ad illum vsque rerum articulum cum Iobo certauisset, aut cum eo de argumento simili esset collocutus, non erat cur ad seniorum rationes, & disputandi formam agendi genus attemperaret, cum neque ipse quicquam obiecisset, neque ad ipsum redditum à Iobo responsum foret: quare integrum ipsi relinquebatur argumentum, & agendi modus. An verò promissa

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

hæc seruat Eliu, in ipso disputationis cursu manifestè constabit.

Verf. 15. Extimuerunt, nec responderunt ultra: abstulerunt à se eloquia. Hæc verba videri possunt dicta ab historico sacro, qui cū aliorum persequeretur colloquia, quasi illorum actor; nunc quasi auctor, vt pertexat historiam, interponit sua. Et dicit, aut saltè non leuiter indicat, hoc loco substituisse paulisper Eliu, expectasseque adhuc, donec seniores illi obloquerentur Iobo, aut sententiã suã aliquo modo confirmarent. Qui tamè cum oratione longam Iobi audissent attentius; neque sperarent se quicquã aduersus illū esse promoturos, neque responderūt quicquã, imò neque verbū vllum protulerūt. Hæc autem videntur includenda parenthesis: quia explanationis gratia addita sunt, & aliena à sermone continenti Eliu, qui statim ab his verbis refert se ad interrupta, & in sua persona, ac nomine inchoata persequitur. ita ait autor Catenæ sensisse nonnullos, licet ipse contrã sentiat, statuãtque hæc quoque dixisse Eliu conuersum ad eos, quos illorum seniorum authoritas, & disciplinæ singularis opinio ad illam disputationem adduxerat. In quam sententiã inclinant alij cum S. Thoma. Neque hoc posterius mihi displicet: & quia pluribus placet, maior est in posteriorem hanc explanationem animi propèlio.

Verf. 16. Quoniam igitur expectaui, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt. Hæc verba satis indicant superiora verba fuisse Eliu, quando parū à prioribus differunt, neque auferri possunt ab Eliu: ait igitur se expectasse secundò, vt loquerentur seniores, & illos sibi, vt videri poterant, æternum indixisse silentium. Quare sibi relictas videt esse partes respondendi, & si quid habet sapientiæ, quicquid illud sit coram ostendendi.

Verf. 18. Plenus sum enim sermonibus: & coarctat me spiritus vteri mei. Hic versus cū duobus alijs, qui proximè succedunt, eiusdè sunt argumenti, & eandem continent sententiã, diuersis tamen comparationibus explicatam. Ait igitur Eliu, plenu se esse sermonibus, aut quia in memoria tenebat omnia, quæ in longa disputatione dicta fuerant à Iobo, & tribus senioribus: aut quæ ipsi occurrebāt ad producendã disputationem opportunam. Dicit ergo vrgeri se vehementer à verborum copia, quæ sic intima complent distenduntque præcordia, vt timendum sit, ne si diu continere luctetur, illa rumpantur. Quo loquedi modo, aut spiritu dicit se instinctum esse diuino, quod indicat supra v. 8. cui nemo vniquam resistit impunè: aut abundare verbis, & rationibus, quæ cum erumpere gestiãt, & prodire foras, illa velle comprimere magni conatus est, & doloris ingētis. *Spiritus*, aut *verba* sunt qui ex aère, id est, spiritu formantur: aut internus impulsus, qui animum quiescere non finit, donec conceptum sermonem foras effundat. *Vterus* aut memoria est, quæ rerum species, aut verborum formas continet, & seruat, aut animus ipse, qui concipit, & concepta paratur. Est autem à parturiente sumpta metaphora, quæ conceptum, & iam maturum factum, vt maximè cupiat, renitaturque, fieri tamen non potest, quia enitatur, atque in lucem edat. Forrasse hinc similitudo ducitur ab vtribus, vel follibus, qui sic vento aliquando distenduntur, vt leui interdum motu

L I rumpant

15.

16.

17.
Spiritus internus impulsus.

18.
Verbosi homines cum follibus & vtribus comparati.

rumpantur. Qui autem loquacissimi sunt & verbis, aut rebus abundant, quæ aut effutiant leuiter, aut detinent superbe, folles dicuntur vento pleni, quorum ferrariis usus est, aut folles habere dicuntur, ex quibus essent, quos concepere, spiritus. ita Iuuenal. satyr. 7.

*Qui venit ad dubium grandi cum codice nomē,
Tunc immensa canispirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus.*

Eodem sensu Persius satyr. 5.

*Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino
Folle premis ventos.*

Id est, non expiras ventos veluti ferrarij folles, dum ferrea massa in fornace candescit. Quod item dixit Horatius lib. 1. satyr. 4.

*Dij bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli
Finxerunt animi raro, & per pauca loquentem
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Vt mauiis, imitare.*

19.
Stulti difficili sermone comprimuntur.

Satis hæc significanter exprimunt ingenium verbosi hominis, qui se à loquendo cohibere non potest. Ex hoc, opinor, loco orta sunt aliqua prouerbia, in Scriptura sacra, quæ studium vehemens loquendi significant, quod cum parturientis dolore, ac mixtu comparatur. Quale est illud Ecclesiast. 19. v. 11. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.* Et ex proximo versu illud eiusdem capituli v. 10. *Audisti verbum aduersum proximum tuum, commori uir in te fidens, quia nõ te dirumpiet.* Neque multum abest ab his verbis Eliu, illud v. 12. *Sagitta infixæ femori canis, sic verbum in corde stulti.* Plura inuenies, quæ hinc sumuntur, aut huc alludunt.

20.
Verbum in spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit,] Aptrissima est, & prouerbialis comparatio, qua explicatur ingenium loquax, & impotens silentij.

Sunt enim nonnulli, quos sic discruciant verba compressa, & cogitationes vehementer inflatæ, vt dirumpant viscera: sicut mustum, id est, humor recenter expressus à vindemia, nisi apertum sit os, per quod furor ille, æstusque despumet, & deferuescat, dolia diffringit. Quare ex rustica disciplina, dolia ad certum vsque tempus non operculantur, aut obliantur. Eodẽ modo quidam in philologis est verborum æstus, & furor quidam, cui nisi adhibeas oris spiraculum, non longè sunt, vt inflati quasi fermento quodam dirumpantur. Huc vt proximè diximus, allusum est Ecclesiast. c. 19. v. 20. vbi homo loquendi auidus, vt conceptum sermonem comprimat adinonetur; *Commoriatur, inquit, in te verbum fidens, quia non te dirumpet.*

21.

Hoc silentij impatiens studium aliis similitudinibus explicant profani. Vnum accipe Persium satyr. 1. vbi scientiam, quæ foras non effunditur, fermento comparatur, & caprifico.

*Tu verale auriculis alienis colligis escas?
Auriculis quibus? & dicas cute perditus ohe
Quid didicisse nisi hoc fermentum, & qua semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus.
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.*

22.

Fermentum inflamat massam; & si diutius in ea sit omnino corrumpit: sic etiam scientia leuiculos homines inflat distenditque tumore typhoq; superbia, vsque adeo insolenter, vt ipsi sibi ipsis intolerabiles sint, & aliis intractabiles; & si illorum ora, quod fieri sæpe debet, aliquando elandantur, cum exhalare non potue-

runt fumos, & ventos, exhalent animam.

Caprificus syluestris est ficus, cuius ea vis est, vt saxa ipsa submoueat, & frangat, quo in lucem è suis conceptaculis erumpat. Quæ dum inter iuncturas lapidum nascitur, saxa difficit, & immania, immensoque sumptu constructa imperatorum monumenta, & excitatas ad æternam memoriam moles, mortales esse non sinit. Qua de re optime Martialis lib. 10. epigram. 2. vbi cum dixisset, nihil manu factum fore perpetuum, vt illud probaret, ostendit Messala superbissimum monumentum à caprificis fuisse disturbatum.

Marmora Messala findit caprificus.

Idem de sepulcris docuit Iuuenal. quæ ad immortalitatem nominis excitauit hominum ambitio, quæ à sterili ficu, id est, à caprifico, dicit esse difficta: ad quæ nempe sepulera

*Discutienda valent sterilis mala robora ficus,
Quædoquidè data sunt ipsis quoq; fata sepulcris.*

Sunt quidem hæc similitudines aptissimæ ad exprimendam ambitiosi hominis inflatam eloquentiam: sed multò significantior est illa, quæ à vino sumitur nouo, seu à musto, quod vim suam, & rabidum ardorem non despumauit, à quo soluuntur dolia, & in minuta frusta laguncula diffiliunt. Cum hoc loco facit illud Luca 5. v. 37. *Nemo mittit vinum nouum in vres veteres; alioquin rumpet vinum nouum vres.*

Verf. 20. *Loquar, & respirabo paululum.*] Vim verborum, quasi pondus aliquod importabile sustinere nõ poterat Eliu: à quo sic premebatur angustè, vt videretur, si non verba ageret, animam acturus. Air igitur velle se loqui, vt laborantẽ spiritum aliquantulũ laxet, & ab illo difficili, atq; molesto pòdere se ipsum exoneret.

Verf. 21. *Non accipiam personam viri, & Deũ homini non æquabo.*] Suam causam, ac studium commendat Eliu dum dicit, in hac disceptatione nihil fore veritate potius: sibi que pro Deo ita constanter esse certandum, vt nulla ipsum humana ratio, aut personarum acceptio transuersum agant à recto sinceròque iudicio. Neque tandem cum Deo comparandum hominẽ, eoque præsertim incumbendum in hoc congressu, vt nihil iam sit Deo omnipotente sublimius, & præ illo humana omnia instar habeant nihili. Hæc est totius orationis summa complexio, hic scopus, quo omnia conferuntur oratoris argumenta: quam sic explicat Hieronym. & ex eo Beda. Iusti, inquit, iudicij mei sententia hæc est, vt neque homini parcam vera dicendo; nec Deo iniuriam faciam, vt eum iniuste aliquid contendam fecisse.

Verf. 22. *Nescio enim quandiu subsistam: & si post modicum tollat me factor meus.*] Ratio hæc grauissima est, quæque homines maxime à peccando, peruersòque iudicio detertere debet: quia incertum est, quando ex hac vita hominibus excedendum sit; certum verò post mortem futurum esse iudicium. Ac tandem posse fieri, vt statim, atque suam disputationem absoluerit, ipsum tollat è viuus ille, à quo creatus est, & ad iudiciũ auocet vbi iudicetur reus acceptæ personæ, aut corrupti iudicij. Vitæ itaque incertitudo, & mors, quæ semper ante oculos oberrat, perpetuò nos admonet, ne quid audeamus, cuius à nobis seuerus, & incorruptus iudex exigat pœnas. Addit S. Thomas, timuisse Eliu, ne satis à Deo concederetur

26.
Mortis timor continet homines à peccando.

cederetut spatij, vt accepta persona, aut iniusti iudicij crimen poenitendo purgaret. Et notat in hoc Eliu cum Iobo concordasse; quod

A retributio peccatorum esset post mortem: alius enim frustra videretur tenuisse Deum offendere propter vicinitatem mortis.

ARGUMENTVM CAP. XXXIII.

DISPONIT artificiosè Iobum Eliu, vt equo animo, & sine offensione audiat, quasi dicturus sit eximium aliquid, & attentione beneuola nō indignum. Deinde ostendit quid in illius oratione minimè probet. Quia nimirum sibi innocentiam arroget, & Deum nimie seueritatis accuset: & quod sæpe interrogatus nunquam tamen ad interrogata responderit. Cui respondet Eliu Deum multis modis solere quid velit, aut quid futurum sit nō obscure significare, per somnia videlicet quæ dormientibus obicit: aut per dolores, & morbos, aut alia valetudinis incommoda; qualia Iobus est passus. Ex quibus ediscere non difficile potuit; quàm iniquè suæ vitæ rationes instituerit. Deinde monet, vt si velit Deum sibi placare, & ad superiorem fortunam saluus redire, de vitæ mutatione seriò cogitet, qui cum prouus sit ad miserendum placido illum respiciet vultu, & liberali manu prosequetur.

CAPVT XXXIII.

A

PARAPHRASIS.

1. **A**Vdi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.

3. Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.

4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificauit me.

5. Si potes, responde mihi, & aduersus faciem meam consiste.

6. Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.

7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi grauis.

8. Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audiui.

9. Mundus sum ego, & absque delicto: immaculatus, & non est iniquitas in me.

10. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11. Posuit in neruo pedes meos, custodiuit omnes femitas meas.

12. Hoc est ergo, in quo non es iustificatus: respondebo tibi, quia maior sit Deus homine.

13. Aduersus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?

14. Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.

1.2.3. Audi igitur, ô Iobe, sermones meos, & sententiarum pondere facunda verba diligenter expende. Ecce nil iam amplius cunctatus disputationem aggredior. Neque agam simulatè, & callidè, sed quicquid in animo concipi, id oratione eloquar sincera, ac simplici.

4.5.6. Cum multa in te, ô Iobe, superiora sint, velut ætas grandior, prudentia, nobilitas, & quæ vulgus hominum admiratur, & laudat; non tamen ideo est cur me despicias, & ab hac literaria ac philosophica congressione repellas. Nam idem qui te, me quoque formauit Deus ex eodem luto, & spiritum indidit, quo vigerem, ac viuerem. Quare nunc homini tibi nō dissimili, laceffenti responde, nisi manis illum prior ad respondendum laceffere.

7. Neque timori tibi sit sapientia me, quam luminum pater ætati adhuc iuuenili, ac rudi cœlitus inspirauit. Quod prodigio alicui videbitur affine: neque graue sit ad iuuenilè eloquentiam animum adueruisse paulisper.

8.9.10.11. Nunc audi quod in tuis sermonibus primū accusè. Dixisti enim quod ipse presens hisce auribus accepi, mundū te esse atque immaculatū. Neque abs te aliquid factū, aut omissum quod meritò alicui existimari posset iniquum. Et nihilominus de te Deū conquestū esse grauius, & te hostilè in modum accepisse crudeliter: & pedes tuos, quasi in neruo forent sic esse constrictos ne sicut antè quæ vellent libero, & expedito ingrederentur incessu.

12.13.14. Te autem non esse iustum, & queri de Deo prorsus iniuste vel hac vna ratione conuincam, quod Deus maior sit, quàm vt homo ab illo exigere rationem debeat, cur hæc, vel illa faciat, quod velle tentare audacis est, & impudentis ingenii. Tu autem cum Deo stomachosius expostulas, quod non tibi ad singula postulata responderit.

15. Per somnium in visione nocturna, quando irrumpit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.

16. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina:

17. Ut auertat hominem ab his quæ facit, & liberet eum de superbia.

18. Eruens animam eius à corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.

20. Abominabilis eis fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis.

21. Tabescet caro eius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

22. Appropinquavit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.

23. Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem.

24. Miserebitur eius, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitius.

25. Consumpta est caro eius à suppliciiis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem eius in iubileo, & reddet homini iustitiam suam.

27. Respiciet homines, & dicet: Peccaui, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.

28. Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.

29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.

30. Ut reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet lucem viuentium.

A Quasi aliter tibi responsurus sit Dominus, quàm antè fecit, aut non tibi satis ad interrogata responderit.

15. 16. 17. 18. Loquitur autem Deus, idque non rarò, cum hominibus altè in suo lectulo dormientibus varias obicit rerum imagines, quibus alloquitur homines, & quid opus sit factò non obscure docet. His admonet, ut qui aliquid moluntur iniustum meliora cogitent, & ab illa recedant semita, quam ingressi sunt, & insolentes abiiciant spiritus, seque Deo totos, & omnino subiiciant.

B Neque dum tales obicit dormientibus species, aliud agit beneuolus, ac prouidus pater quàm ut à peccatore gladium, & exitium auertat.

19. 20. 21. 22. Alio etiam modo loquitur Deus, & peccatorem hominem admonet, & à peccando deterret, dum morbos immittit, & dolores, qui illum cogunt in grabato decumbere. Eoque redigit, ut etiam ossa tententur ab horribili tæbe, & à sua firmitate soluantur, ubi nauseante stomacho eos fastidit, & reiecit cibos, quos prius utpote palato non ingratos appetebat: caro præterea defluit fæda tæbe putris, & nudata à carnibus ossa horrent & albescunt. Et tandem mortiferis compunctus aculeis extremum cogitur exhalare spiritum.

C 23. 24. 25. Quòd si ille idem, quem peccatorum multitudo, & granitas ad mortis hiantes fauces adduxerunt, se peccasse doleat & religioni studeat, & aliquis ex Angelorum millibus, pro illo Deum oret, & quid bonorum egit, antè oculos ponat facile illum ad misericordiam inflectet, eoque adducet, ut ipsi iubeat Angelo, ut quando aliquid in eo videt, quod conceptam iracundiam leniat, illum à morte liberet, & ab statu, in quo videtur, dum pœnas expendit scelerum, iam esse consumptus, ad illam referat conditionem, quam florentem habuit in ætate priori.

D 26. 27. 28. Cum homo Deo supplices obtulerit preces, placabit eum sibi, & faciem eius videbit, à quo etiam respicietur placido, atque sereno vultu. Et cum publica confessione hominibus dixerit se peccasse, & pro scelerum magnitudine leniora subiisse supplicia, accipiet bona, quæ cum peccator esset antè perdidit, seque ipsum ab eo, qui iam impendebat, interitu liberabit.

E 29. 30. Hæc autem quæ dixi de vita bonisque sublati à peccatore, & eidem, si tamen ad se, Deumque rediit, restituti, facit Deus non semel & parcè, sed liberaliter ac sæpè: quem sancium corpore, & rebus spoliatum externis locupletem reddit, & incolumem.

31. Attende Iob & audi me: & tace, dum ego loquor.

32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere iustum.

33. Quod si non habes, audi me: tace, docebo te sapientiam.

A 31. 32. 33. *Quid tacitè, ô Iobe, contra me tecum obmurmuras? quid faciem stomachosius auertis? quasi que à me dicuntur superbè despicias? Audi iam, & aduerte faciem, neque me loquentem impediatis obstrependo. Quòd si quicquam habes, quod obloquaris, aut tuam innocentiam probes, audiam non inuitus? Ut enim cupio te esse, sic etiam aueo te apparere iustum. Quòd si nihil habes, quod in tua cause defensione respondeas, aut quo te sapientem esse doceas, tace, & audi, fortasse ex mea doctrina incipies esse sapiens.*

Verf. I. *Audi igitur eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta, ecce aperui os meum.*]



ACTENVS cum tribus senioribus locutus fuerat Eliu, quos ne videretur aut obseruasse parum, aut contempnissse, rationem reddidit, cur post illorum longam disputationem, ipse quoque quasi succenturiatus disputaturus in stadium descendat. Nunc Iobus ad certamen disponit, vt a quo animo, & sine offensione audiat, quasi dicturus sit eximium aliquid, & beneuola attentione dignum. Quod indicat nouum dicendi genus, in quo eadem sententia quater iteratur: *Audi eloquia mea: ausculta sermones meos: aperui os meum: loquatur lingua mea.* in hac enim verborum geminatione esse apud Hebraeos singularem epigrammatis, res est nota. Sic Moyses Deut. cap. 32. magnum aliquid promittit, dum dicit: *audite caeli qua loquor, &c.* & Isaias cap. 1. v. 2. deinde cum dicit: *loquatur lingua mea in faucibus meis.* videtur à Iobo petiisse loquendi facultatem, quæ res magnam inuit ab auditore beneuolentiam, & gratiam.

A nobilem neque prudentia, aut experientia maior, quàm afferre posset iuuenilis ætas, ab ea congressione retardabant. Quare acutè Eliu eo vsus argumento, quo Iobus dicebat cap. 31. v. 15. sibi non esse contemnendum pauperem; *Nunquid non in utero fecit me, qui illum operatus est?* ipse etiam probat licere sibi cum Iobo disputando congredi, cum ab eodem opifice Deo formatus fuerit, ex eodem luto, & omnis sapientia à Patre luminum deriuata sit, id est, ab eo, qui non minùs ipsi, quàm Iobo spiritum inhalauit, & vitam dedit. Est autem hic allusum ad hominis primi formationem, quem finxit Dominus è limo terræ, & inspirauit illi spiraculum vitæ. Quare cum par sit vtriusque conditio, neque origo dissimilis: neque vlla appareat grauis ratio, cur certamen illud detrectare debeat, hortatur vt se ad respondendum pareret, aut etiam ad lacessendum. id enim valet: *si potes responde mihi, & aduersus faciem meam consiste.* ita S. Thom.

Verf. 7. *Verumtamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non sit tibi grauis.*] Hic ex interpretibus quidam arrogantes in Eliu spiritus agnoscunt: quasi fateatur sibi cum Iobo reliqua esse paria; illud verò sibi esse excellentius, quod maiorem à Deo sapientiam, & eloquentiam singularem acceperit. ita Gregorius, S. Thom. author Catenæ, Caietanus, qui à versu 4. ad hunc vsque locum egisse putant Eliu, quasi spiritu afflatus esset diuino, & longè esset humana sapietia captiue superior. Quare iuxta hæc prodigiosam vocat sapientiam suam, & diuinam similem, vtpote inspiratam à Deo, cum qua comparari nulla potest sapientia, quæ humano comparatur studio, & ætate longa. Hanc porrò sapientiam dicit Iobo non futuram terrori, quod ille metuere se dixerat suprà cap. 9. verf. 34. *Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat: Loquar, & non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.* & cap. 23. verf. 6. *Nolo multa fortitudine contendat mecum: nec magnitudinis sue mole me premat.* Quod si hoc nò timeret, non dubitaret iudicio

4. *Insigniter arrogans indicatur Eliu.*

1.

2.

3.

Verf. 3. *Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.*] Hoc quoque principium valde ad attentionem, & beneuolentiam idoneum maximè apud Iobum, quia eam ob rem non ita bene de amicorum sententia iudicabat. Ait ergo à sermonibus suis non solum abfuturam personarum acceptationem, quòd ante dixerat, sed odium, & inuidiam. Quæ vbi in iudiciis, aut controuersis non intercedunt à simplici corde funduntur sermones, & sententiam puram labia loquuntur.

Verf. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificabit me.*] Multa omnium consensu erant in Iobo superiora, quæ neque attingisse, neque ad illa aspirare potuisse videbatur Eliu. Erat in primis ingenij vigor, & acies à natura, iudicij maturitas ab ætate iam grandi; erat nobilitas splendorque natalium; & variis testimoniis, & signis explorata, & commendata virtus. Quæ omnia adolescentem neque ita

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

cum Domino contendere, & suam cum illo causam disceptare, ut dixit ibidem v. 4. *Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.* Prouocat ergo Iobum Eliu, quasi pro Deo contendat, & Dei in eo congressu personam, causamque sustineat: ac si diceret: Timebas, o Iobe, in iudicium, certamenque cum Domino descendere, ne te sua maiestate terreret, & opprimeret. Sed iam timere noli diuinam maiestatem: neque enim tibi eripiet loquendi facultatem, & tutò poteris in iudicio ius persequi tuum, & tuæ causæ æquitatem tueri. Ego enim illustratus, & instructus à Deo pro Deo loquar, si me iniqui conuiceris iudicij, Deum ipsum conuictum arbitrare: quia nihil aliud in præsentia loquar, quam quod mihi diuina quæque falli, aut fallere non potest, sapientia suggesserit. Hæc autem miraculosa scientia, seu scientiæ miraculum, quæ in suo fonte, id est, in Deo terreret te, in me non terreat, quia homo sum ab eodem, quo tu artifice, & ex eadem materia formatus. Hæc satis indicat auctor Catenæ cum ait; *Quoniam dixerat Iobus, & timor eius non me commoueat; idcirco Eliu, inquit, nihil à me tibi horribile potest accidere, sicut potest à Deo, qui & perturbare te facile potest, & mentem permo- uere, ut plane, quæ contra me habes, proferre non possis. Nec verò est, quod dicas vereri te, ne graui te manu urgeam mea: memini enim cum diceres, nisi id formidares, te, cum Deo certamen susceptu- rum.*

9. Hæc ille acutè: sed sanè persuadere mihi nunquam potui, quantuncunque hunc Eliu siue falsa, siue vera miraculosæ sapientiæ inflaret opinio, eò progressurum arrogantia, ut sibi personam assumeret diuinam, & prodigio- sam, aut miraculosam suam appellaret sapien- tiam; neque id ferret taciturnum à tribus senioribus, qui suo iure poterant iuuenilem illam au- daciam cohibere, & spiritus comprimere im- moderatiùs insolentes. Quare verius existimo quod putat S. Tho. & cum eo Latinorum mul- ti, qui dicunt admoneri Iobum ab Eliu, ut libere, & sine vlla perturbatione respondeat, licet enim sapientiam habeat diuinitus inspira- tam, quod satis probare videtur iuuenilis ætas, in quem non videbatur cadere posse tanta re- rum cognitio, nisi foret è cælo largiter infusa; tamen se hominem esse, neque difficilem fore, si quid pro se afferat Iobus, aut si quæ ab ipso proponuntur, confutare studeat. Hæc autem tenent, aut indicant Latinorum plerique quæ licet non leuem indicent iuuenilis animi arro- gantiam, est tamen minor, quam insinuat su- perior explicatio.

6. Vers. 8. *Dixisti enim in auribus meis.* Incipit ià Eliu postquam Iobum ad disceptationem aptè disposuit, & reliquos ad attendendum erexit, in quo minus sibi Iobi placuerit oratio, quod ipse, dum datur disputandi facultas, improba- re, ac confutare studet. Quò autem suam aliis pietatem, & studium probet, diuini nominis, & æquitatis defensionem suæ disputationi præ- tendit.

7. Vers. 9. *Mundus sum ego, & absque delicto, immaculatus, & non est iniquitas in me.* Quædam Eliu reperit, quæ verè dicta sunt à Iobo: aliis non nihil affingit, quod causam Iobi iniuste premit, & illius gloriam aliquantulum obscu- ret. Alia aut non intelligit, aut interpretatur

A iniquus; in quibus exponendis minus nobis assumeretur opera, quia iam suis locis sufficien- ter, opinor, explicata sunt. Tantum illa digito demonstrabimus, & quid in illis Eliu malitiose, aut inconsideratè peccauerit, ostendemus. Hæc autem verba, quæ in Iobi oratione improbat Eliu, sunt c. 10. v. 7. *Et scias, quia nihil impium fecerim: & cap. 17. v. 2. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.*

8. Vers. 10. *Quia querelas in me reperit.* Has querelas videtur Eliu ex variis Iobi locis col- legisse, in quibus videtur conuictus esse Iobus, eò quod Deus aliquid videatur in Iobo punisse; quod ipse non admisisset, c. 9. vers. 30. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissima manus mea; tamen sordibus intinges me.* cap. 10. v. 15. *Si impius fuero, & mihi est: & si iustus, non lauabo caput saturatus afflictione, & miseria.* & v. 17. *Instauras testes tuos contra me; & multiplicas iram tuam aduersum me.* & c. 13. v. 26. *Scribis contra me amaritudines, ideo arbitratus est me inimicum sibi.* Hoc dixisse videtur Iobus cap. 13. v. 24. *cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum.* & cap. 7. v. 20. *Quare posuisti me contrarium tibi.*

10. Vers. 11. *Posuit in neruo pedes meos.* Hæc habes cap. 13. v. 27. *posuisti in neruo pedem meum:* ubi etiam sunt verba alia, quæ hic repetuntur ab Eliu: *& obseruasti omnes semitas meas.*

11. Vers. 12. *Hoc est ergo in quo non es iustificatus, Respondebo tibi, quia maior sit Deus homine.* Hoc est totius disputationis argumentum & thesis, quam tractat quam longissimè, & accuratissimè Eliu: quia in hoc tanquam in cardine tota vertitur orationis controuersia, his ergo quæstionibus, & aliis innumeris, in quibus hæ- rere posset audax hominum, & curiosorum ingenium, hæc vna ratio abundè satisfacit. Quia Deus homine maior est, sapientia, maiestate, robore, atque ideo plura potest quam homo, plura illi in inferiorum hominum naturam li- cent, quam homini in hominem, quorum est æqua, aut saltem non adeò diuersa conditio. Quare iniquus est, ut quòd seruus de Domino queri, aut querere non debet: neque modestè, ac verecundè potest, id faciat homuncio vilis adeò, cui pro ratione, ac lege, satis est, si dicat, id sibi placuisse. Quare accommodatè ad hæc Iobum accusat Eliu quòd à Deo suorum consiliorum, factorumque rationem petat, quod Dominus suo iure à subiecta sibi familia pet- tit; à Domino autem inferior non facit, nisi prius sanam mentem, & verecundiam exuerit.

12. Vers. 13. *Aduersus eum contendis, qui non ad omnia verba responderit tibi.* Stuporis arguit, & impudetiæ Iobum Eliu, quod sæpè ratione exigat, cur hæc vel illa faciat, quasi esset similis sibi, aut etiam inferior, qui alieno præscripto vi- ueret, non arbitrato suo. Fecisse autem videtur Iobus hoc per sæpe cap. 10. *Indica mihi, cur me ita indices: nunquid bonum tibi videtur, si calumni- eris, & opprimas me opus manuum tuarum?* c. 13. *Responde mihi quantas habeam iniquitates, & pec- cata.* Pro Deo respondit Eliu, licet Deo pro responsione sit satis, imo plus satis, pro sua maiestate, ac iure, id quod in homine, li- cèt Princeps sit, & summam in alios pote- statem habeat, reprehendi solet, idque meriti- tissimè.

Sic vobis sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

Vers. 14.

13. *Deus multis modis loquitur hominibus.*
 Vers. 14. *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsū non repetit.* Variè hic locus exprimitur. Est qui putet ironicè hīc loqui Eliu, quasi reprehēdat Iobum, quod dixerat Deū non respondere; neque aperire cur tot modis ipsūm exerceat, & vexet: cū nō semel aut vno modo locutus fuerit: vel per sōnia, cū ipsūm quietē capere non finit. Quod de se ipso Iobus confessus est c. 7. v. 12. *Si dixerō, cōsolabitur me lectulus meus, & releuabor loquēs mecum in strato meo: terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties.* Vel per dolores varios aut aliis modis, quod statim pluribus refert, & amplificat. Quasi dicat; Quod quereris, o Iobe, quod Deus nunquam tibi ad interrogata responderit, quasi semel tantū, & non secundo tecum, ac sapius locutus fuerit; ostēderitque cur te dūrius acceperit, atque versarit modis. Hęc explicatio difficilis non est: & mihi non displicet.

14. S. Thomas, & cum illo ex Latinis nonnulli, Lyra, Dionysius, Hugo, illud *semel idem* esse putant, quod *sufficienter*. Quod Scripturæ sacræ vsus non respuit. *Semel* (ait Sanctus Thomas) *loquitur Deus, scilicet homini sufficienter ad eius instructionem.* Vnde deinceps non oportet, quod ad singulas hominum interrogationes respondeat. Vnde subdit; & *secundo id ipsūm non repetit: quia quod sufficienter factum est, iterum superfluum esset.* Hęc quoque explicatio facilis, & idonea.

15. *Semel idem quod omnino, & immutabiliter.*
 Verūm in illam magis inclināt animus, quæ Hieronymo placuit, & aliis qui à Hieronymo perquam rarò discedunt, Bedæ, & Philippo, item Caietano, & aliqua ex parte Titelmano, & Stunica. Quatuor apertè hęc de diuinæ vocis immutabilitate capiunt: quasi frustra laboret Iobus, dum diuinæ voluntatis placitum inflectere, & quod semel à Deo dictum est, immutare vult. Quasi quod dictum est, indictum sit, neque quod visum est Deo, scopum sibi destinatum attingat. Sic autem Hieronymus; *Vbi Deus semel loqui significatur, stabilita, ac definita eius sententia demonstratur, loqui enim Deum efficientia eius res intelligitur. Semel loquitur Deus; & secundo id ipsūm non repetit, id est, non immutatur Deus, nisi hoc ipsūm vita nostra mutatio depoposcerit.* Quem vltim tam apud sacros, quam apud profanos habet *semel*. illud familiare est: *ut semel dicam*; id est, ne sit opus hoc ampliùs repetere. Virgil. lib. 1. *Æneid.*

— *Quid ne quid tale timeret*

Procubuit moriēs, & humum semel ore momordit.
 Quidius epist. 5.

Nulla reparabilis arte

Lasa pudicitia est; deperit illa semel.

Neque hoc apud sacros infrequens, lib. 1. Reg. cap. 26. sic Abisai de Saul; *Perfordiam eum lanœa in terra semel; & secundo opus non erit.* Psalm. 88. versic. 36. *Semel iuravi in sancto meo*, id est, irreuocabiliter. Qui dicendi modus in ferendo iudicio legitimo foro frequens est. nam quæ pronuntiauit iudex, vbi suo iam perfunctus est munere, reuocare aut non potest, aut non solet. Iuxta quam inductam à lege consuetudinem dixit Pilatus Ioan. 19. versic. 22. *quod scripsi, scripsi*; id est, quod semel à me dictum, aut decretum est reuocari non potest. In hac porro Iobi causa, quam Dominus, vt censet Eliu, expendit, & punit tanquam iudex, semel Deus suum de Iobo decretum pronuntiauit: quare manes existimat Eliu Iobi querelas, aut pre-

ces, cūm Deus iudiciali more, quod semel statuit, mutaturus non sit.

Nihilominus ex tribus hisce vnā ego conflo sententiam: neque accusari Iobum ab Eliu, quod toties à Deo seueri iudicij, & acerbissimi, diuturnique doloris causam exquirat; cūm iam tam semel ostēderit, aut per somnium, aut ipso supplicij genere: quod scelerum natura, ac grauitati attemperatum est. Neque præterea solere Deum, quæ semel locutus est, secundo repetere; neque opus esse, cūm illius sit immutabile decretum, aut quod ab illo semel pronuntiatum est: Neque præterea fas esse, vt homo à Deo exigat, quod à Domino suo seruus neque solet, neque debet. Porro quod dicit Eliu, Deum loqui semel, neque secundo pronuntiatum esse, accipiendum est tanquam ab eo dictum, qui humano loquitur spiritu ac sensu; qui sæpe errat, non instructus, aut afflatus à diuino: licet hoc sibi superbè, ac falsò arroget Eliu. Nam reuera Deus idem sæpe repetit, vt constat ex Prophetis, per quos Deus homines suorum scelerum, & impendentis supplicij sapius admonuit, vt patet de decem tribuum dispersione, & seruitute longa, & deinde de duarum exilio, ac cede. Sæpe Tyrus, & Babylon, sæpe Idumæa, & Ægyptus de suo interitu à Deo per alios, atque alios Prophetas audierūt. Quare vt sæpe tres amici Iobi, vt antè vidimus, sic etiam Eliu nunc neque semel, neque leuiter errauit.

16. *Deus contra quam putabatur Eliu semel idem ac sapius repetit.*
 Vers. 15. *Per somnium in visione nocturna.* Ostendit Eliu quomodo Deus alloquatur homines, eosque de futuris rebus, & ad salutem necessariis admonet. Hoc quidem verum est, & illustrissima Scripturæ sacræ docent exempla: neque viris sanctis proprium, sed etiam cū viris impiis, gentilibusque commune. De bonis probat Abraham, Iacob, & vterque Iosephus: de sceleratis, atque Ethnicis Pharaon, Nabuchodonosor, Laban. Cūmque somnia multa sint à Deo, eaque quam verissima, sunt tamen à dæmone quamplurima, quæ dormientibus illudunt, & in fraudem inducunt. His, opinor, somniis illusi sunt Idumæi non rarò, vt colligere mihi videor ex ca. 4. vbi Eliphaz quædam se dicit in somno didicisse: quæ, vt ibi ostendimus, oblata fuerunt illi per quietem à dæmone; non inspirata à Deo. Vide, quæ nos ibi pluribus de somniis.

17. *Deus tam viris sanctis, quam improbis locutus per somnium.*
 Vers. 16. *Tunc aperit aures virorum.* Ostendit Eliu, quid nocturnæ species dormientibus oblata in hominum animis efficiat, quod prodit non obscuris indicij, à quo spiritu nocturna illa spectra prouenerint; de quibus statim, Nunc obseruandus dicendi modus in Scriptura non infrequens. Qui cum altero loquitur, suaque illi consilia manifestat, illius dicitur aperire, seu reuelare aures. Quod cū aliquando de homine, frequentius tamen dicitur de Deo, lib. 1. Reg. cap. 9. vers. 15. *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis.* Isaias 48. v. 8. *Neque audisti, neque cognouisti; neque ex tunc aperta est auris tua.* & cap. 50. *Dominus aperuit mihi aurem, & ego non contradico.* & lib. 1. cap. 20. vers. 17. Sic Ionathas ad Dauid: *Renouabo aurem, & dimittam te.* In hoc porro dicendi genere antecedens consequentis loco ponitur; apertio scilicet, aut reuelatio aurium, pro audita. Quidam hanc loquendi formam natam esse putant

ex Hebræorum consuetudine; qui cum antiquis sæculis prolixam alerent comam, eaque aures operirent, si quis arcanum aliquid in illorum aures insuffurrare vellet, deducebat defluentes capillos, & in apertas aures tacito murmure aliquid instillabat. Hæc illorum cogitatio, fortasse vera: de qua ego nihil affirmo; quia aliquid video, quod hanc cogitationem non multum iuuat. Sed ea in re aut nihil est, aut parum momenti.

19.
Unde cognoscatur an aliqua Dæmonis sit illius, vel vera reuelatio.

Verf. 17. *Vt auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum de superbia.*] Quid Deus in hominum animis per somnium efficiat: & quibus iudiciis vera à falsis somniis internoscenda sint docuimus pluribus in nostris commentariis ad illud Isaiæ cap. 48. *neque ex tunc aperta est auris tua.* Hoc ipsum nunc efficit, & docet Eliu. Ait itaque id agere Deum, dum somnia sua hominibus immittit, vt illos à prioribus consiliis, id est, peruersis cogitationibus, studiisque deterreat: ac tandem, vt se ipsos penitus agnoscant; & suæ vilitatis gnari, neque magnificè de se cogitent, neque superbè loquantur. Hæc ab Eliu quàm verissimè dicta sunt, neque enim quæ à Deo inspiratur scientia, spiritus inflat, aut ambitiosis cogitationibus illudit: sed potius quàm sit homo vilis, quàm inops, & miserabilis edocet. Quare si quid in somniis accipit Eliu, id à malo spiritu potius, quàm à bono oblatum esse constat: neque enim eos ad disputationem istam spiritus attulisset, omni ex parte vanissimos, si loquentem in somniis, vt pareret, Deum audisset. Deus enim neque inutilia loquitur, neque vana; timentem hominem reddit, & obsequentem, non præfracti, atque audacis ingenij.

20.
Verf. 18. *Eruens animam eius à corruptione, & vitam illius, vt non transeat in gladium.*] Dum homo à præteritis erratis penitendo recedit, & superbiam communem virtutum omnium teneam, pestemque maximam declinat, animam suam à corruptione liberat, & vitam à gladio: id est, æternam effugit, & temporariam mortem, quæ peccatori accidit tempore non suo, quam affert interdum gladius, & vis externa, non naturæ necessitas, aut ætas longæua, cui suo iure aduenitur mors non immatura. Hæc communiter. Sunt tamen nonnulli, qui vtrunque hemistichium de morte accipiunt temporaria, cum aliquo tamè discrimine. Cum enim mors à causa aliquando nascatur intrinseca, qualis est febris, tabes, aut alius quiuis morbus, qui à naturæ debilitate prouenit, aliquando ab extrinseca, qualis est ruina domus, laqueus, gladius, & quæ aut ab hoste iniuste, aut à iudice equo iure comparantur, prior pars mortem indicat, quam secum affert natura mortalium: posterior, quam infert vis externa, quæ hoc loco per synecdochē significatur in gladio. ita S. Thomas in expositione secunda, Caietanus: qui tamè in corruptione mortem intelligit repentinam, & subitam: qualem subit, qui in foueam incidit, aut laqueum, in quo subito ab insidiatore cōfoditur, sicut à venatore fera: à qua sententia Pineda non abhorret; indicat Stunica, qui animam hinc pro corpore vsurpari putat: & quidem animam vsurpari pro vita, satis est in Scriptura familiare. Neque parum fauet quod *factat* pro qua Vulgatus corruptionem reddidit, foueam significat, & sepulcrum.

Verf. 19. *Incepit quoque per dolorem in lectulo: & omnia ossa eius marcescere fecit.*] Aliud sermonis genus producit Eliu, quo Deus interdum vititur vt homines admoneat, & à peccando deterreat. Mittit enim dolores, & ægritudines, quas per lectulum explicat, quia ægroti plerumque in lectulo decumbunt. Et eò redigit, vt non solum caro, quæ fluxa est, sed etiam ossa, quæ dura sunt, & minus tabi, ac putredini obnoxia, marcescant, & à sua firmitate soluantur. Hoc idem de se dixerat Iobus cap. 30. verf. 16. *Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus.* Vide quæ nos ad illum locum, quæ maximè huc faciunt. Ad quem respexisse videtur Eliu, & ex eo hæc verba in Iobum expressisse: vt ostendat Deum ad illum non semel, sed iterum, ac sapius sermonem habuisse.

Verf. 20. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & anima illius cibus ante desiderabilis.*] Hoc quoque Dei verbum est, quo homines excitat, & informat; cum ad omnem cibum quantumcunque lautum, atque iucundum, nauseat. Qua de re ipse quoque Iobus non pauca, cap. 3. verf. 24. *Antequam comedam suspiro.* & cap. 6. verf. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea.* ibi nos satis hac de re multa, & c. 2. n. 42. nonnulla, quæ satis expediunt, quæ locus iste videbatur exigere.

Verf. 21. *Tabescet caro eius, & ossa, quæ testæ erant, nudabuntur.*] Hæc quoque de se ipso ante dixerat Iobus cap. 19. verf. 20. *Pelli mea consumptis carnibus adhaesit os meum:* & cap. 30. verf. 30. *Cutis mea denigrata est super me; & ossa mea aruerunt præ caumate.*

Verf. 22. *Appropinquauit corruptioni anima eius: & vita illius mortiferis.*] Id quoque Iobus de se confessus fuerat cap. 10. verf. 20. *Nunquid paucitas dierum meorum finietur breui?* & cap. 7. versic. 14. *Quamobrem elegit suspendium anima mea: & mortem ossa mea.* Desperavi, nequaquam ultra iam viuam. Mortifera autem illa dicuntur, quæ proximè sunt, vt exhausto corpori, & carni iam tabida, & in sanicem deffluenti mortem inducant. Cum autem per hæc omnia loquatur Deus: & omnia hæc sibi contigisse fateatur Iobus, consequens est, vt multis, variisque modis diuinum de se responsum audierit.

Verf. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis equitatem.*] Ex his non dubium est, quin Eliu idem senserit, quod tres alij seniores, & amici Iobi, nempe multorum scelerum reum esse Iobum; & propter peccata tot ærumnarum, atque dolorum diritate torqueri. Quare hortatur, vt meliora meditetur, & superioris vitæ corrigat errata, ac tandem speret, si vitam mutet, mutatum quoque iri statum, atque fortunam, qua nihil videtur durius posse contingere. Quod etiam tres illi amici superius admonuerant.

Angelus in Scriptura non vno modo sumitur, frequentius substantiam significat spirituales, qualis est Dæmonum, qui è cælo ceciderunt; & eorum spirituum, qui assistunt Deo, & ad Dei gloriam, & ad hominum salutem vaciis inuigilant ministeriis. Interdum Prophetas, & prædicatores, quibus id datum est à Domino negotij, vt homines errantes, & deuios ad religionem, officiumque traducant. Quo sensu Christus vocatus est Angelus Isai. cap. 9. de Christo iuxta Septuaginta: *Vocabitur nomen*

21.
Dolore, morbo, & aliis multis modis loquitur Deus.

22.

23.

24.

25.

26.
Angelorum nomen, quàm late patet.

Non enim eius in igni cōsiliū Angelus. Malach. 3. *Stetit enim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Item homines, qui Dei sunt nunciij, & Dei causam in terris agunt, Angeli dicuntur. sic Malachias cap. 3. de Baptista: *Eccc ego mitto Angelum meum.* & cap. 2. Sacerdotem Angelum vocat Domini exercituum. Quidam de Prophetis, aut viris sanctis hunc locum accipiunt, per quos Deus alloquitur Iobum, quales videri possunt fuisse tres anaci: & nunc ad extremum Eliu: qui hortatur Iobum, vt se peccatorem agnoscat, & sua peccata pœnitendo deleat.

27.
REGVLA.
Antecedentia turpia per consequentia honesta significatur.

Alij substantias intelligunt spirituales, non tamen beatas, quæ assistunt Deo, & illius conspectu fruuntur, sed quæ de cœlo ceciderunt, quibus Deus interdum ministris vtitur, vt pœnas scelerum à peccatoribus exigat. Ita putant, qui lectionem sequuntur LXX. qui ita conuertit: *Si fuerint mille Angeli mortiferi, vnus eorum non vulnerabit eum.* Vbi sic auctor Catenæ: *Qui extremis cruciatibus exercetur, si per passionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus se conuerterit, impendentem mortem inhibebit, etiam si sexcenta sint quæ mortem accersant, atque laceasant; pœnitentia enim peccatum delet, placatque Deum, vt sententiam reuocet, decretumque rescindat.*

28.

Communiter alij Angelum intelligunt bonum cum S. Thoma quod item indicat Hieronymus, & Beda. Angelos autem bonos de hominum salute esse sollicitos, & eorum causa laborare, satis indicat hic locus qui saltem probat hunc esse cōmunem hominum sensum. Offerri autem Domino hominum preces ab Angelis, habemus Tobia cap. 12. *Quando orabas cum lacrymis, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Apocalypf. 8. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, &c. & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum.*

29.

Nunc videndum cur Angelorum hoc loco meminit Eliu. Ego hic callidi, neque inurbani hominis ingenium agnosco, qui ita hortatur Iobum, vt pœnitentiam agat; vt tamen illius faciem non suffundat pudore. Meminit æquitatis, & veniæ, in quibus nihil est indecori; neque peccati meminit, à quo liberatus est, in quo tantum spectari turpitudine poterat. Quare Angelus inducitur, qui coram Deo Iobi cōmendat æquitatem, quam pœnitendo consecutus est. Hoc artificio, qui urbani sunt, rerum turpitudinem modeste tegunt, & si quid auditu absurdum est, & horridum, verborum honestate dissimulant, & molliunt: idque frequentius à consequentibus, quæ res antecedentes necessariò supponunt, aut indicant. Fieri autem solet, vt cum antecedentes causæ turpes sint, effectus tamen consequentes sine honestissimi. Turpe est operam dare damnatæ veneri; sed nasci ex eo concubitu filium, non ad eò indecorum. Quare minus indecorè dicimus, ex aliqua fœmina puerum esse natum, quàm illam adulterij, aut incestus subisse flagitium. Mors aliquid significat funestum, & triste; funus, & exequiæ aliquid honestum, & gloriosum. Quare homines honestius dicuntur exequiis honestari, quàm vitam amisisse. Fecit hoc Cicero, qui cum à Consulibus ab hoste captis

A remouere vellet captiuitatis ignominiam, & à consulari nomine seruilem notam, non dixit captos esse, sed redemptos Consules; quia redemptio indicat, præcessisse captiuitatem: vt sonet aliquid non ingratum. Hoc puto artificio vnus est Eliu. Hortatur Iobum, vt per pœnitentiam peccata deleat, vt æquitatem obtineat, & ab his ærumnis, quibus vehementer affligitur, emergat. Neque tamen peccati, aut pœnitentiæ meminit; sed æquitatis, & libertatis à morbo, quod opus est pœnitentiæ; neque aliquid olet turpe, aut ingenuo homine indignum.

Vnus de millibus.] Non ignorabat Eliu Angelos esse, id est, spirituales substantias, quæ assistunt Deo, quòd discere potuit ex historia Abrahami: ex quo genus per Esau traxerunt Idumæi, cum quo sæpe locuti sunt Angeli, vt constat, & ex historia Iacob, quæ eodem prope tempore contigit, quo cum luctatus est Angelus, & familiariter locutus. Quod etiam nouerat Eliphaz, qui capit. 4. versic. 18. dixit: *Et in Angelis suis reperit prauitatem.* Esse autem Angelos magno in numero, dixit supra Baldad cap. 25. vers. 3. *Nunquid est numerus militum eius?* Vterque discere potuit à Iacob, de quo Genes. 52. *Fueruntque obuiam Angeli Dei: quos cum vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc.* Qui dicendi modus multitudinem indicat.

C Vers. 24. *Miserabitur eius, & dicet, libera eum, vt non descendat in corruptionem.*] Cum Angelus, qui pro Iobo stat coram Deo, quanta fuerit illius morum, vitæque mutatio, proposuerit, obtinebit facile à Deo, qui pronus est ad miserandum, peccatorum veniam, & salutem, quam varia corporis cruciamenta sustulerant. Quare præcipiet statim Angelo custodi seu patrono Iobi, vt à mortis faucibus, in quas coniectus existimari potuit, illum quæprimum extrahat, ne quod erat reliquum, & proximum omnino contabescat. Hæc est S. Thomæ, Hieronymi, communis denique sententia. Quidam illud *miserabitur*, & alia non pauca ex sequentibus Angelo tribuunt; minus tamen aptè.

Inueni in quo ei propitius.] Verba hæc Dei sunt, sicut priora. Quæ satis indicant, quàm sit Deus ad miserandum pronus, cum in nobis querat causas, quæ ipsum ad misericordiam inflectat, quod singularis est misericordiae. Non amat condemnationem nostram, qui vsque ad eò bene cupit, vt sinus in nobis, capacitatemque desideret, in quam sua munera largus effundat. Non furit in nos præceps ab ira, studio quo vindictæ, qui aliquem optat, qui se medium, & intercessorem opponat, qui extentum brachiū à vulnere suspendat. Ezech. cap. 22. v. 30. *Quasiui de eis virum, qui interponeret sepem & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni. & iterum c. 13. vers. 5. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Mirum est hominem gentilem hoc de Deo tam ingenuè, & magnificè sentire.

E Vers. 25. *Consumpta est caro eius à suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.*] Hæc quoque verba Dei sunt, qui miseretur illius hominis fortunæ, cuius caro est à morbo, tabeque consumpta, quæ scelerum pœna fuit. Qui iam mirior, quasi à peccatore iam exegerit pœnarum satis; iubet, vt iam quasi deposita senectæ, id est, squamosa

30.

31.

32.
Deum ad misericordiam pronum ipsi nouere gentiles.

33.

squamosa & exusta, ac perforata cute; ad florem redeat, & nitorem iuuenilis ætatis.

34.
Pœnitentia
admirabilis
virtus.

Hunc locum variè reddunt Septuaginta, & iuniores interpretes. Septuaginta quidem; *Renouauit corpus eius sicut rectorium in pariete, & ossa eius impleuit medulla, & molliet carnem eius sicut paruuli.* Quæ sic explicat autor Catenæ; *Quemadmodum hi, qui vitium facientem, & labantem parietem vident, liniendo calce renouant, atque restitunt, sic Deus illius corruptum corpus renouabit, & ad pristinam dignitatem excitabit, ac ferme iterum conformabit.* Chaldaus: *Attenuatur caro eius magis quam caro puerilis, reuertetur ad dies adolescentiæ suæ.* Pagninus: *Tenerior efficietur caro eius carne pueri.* Eodem penè modo Vatab. & Caietan. Tygurina; *Recipiet caro eius vegetabilem vim, etiam maiorem, quam in pueritia habuit.* Hispanica translatio: *enmollecio carne suayamas qua meñez. torno a Dios de su iuuentud.* Vnde orta fuerit tâta in cõuertendo varietas, neque facilis est negotij, neque necessarij. Vulgatæ translationis facilis est, & iam à nobis explicata sententia. Porro *dies adolescentiæ*, aut quod idem propè est, *caro pueri*, pro sanitate perfecta sumuntur prouerbiali specie. In corpore enim pueri non est squamosa cutis, qualis est à lepra, nulli apparent vibices, nullæ maculæ: quia nullum, vt plerumque fit, antecessit vlcus, aut maligna qualitas. Talis dicitur fuisse caro Naaman cum à lepra mundatus est, libr. 4. Reg. cap. 5. de qua dicitur: *Restituta est caro eius, sicut caro pueri.* In hac porro sanitate, atque munditia optimè exprimitur pœnitentiæ vis admirabilis; de qua nos pluribus in nostris commentariis ad illum locum.

35.

Vers. 26. *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit; & videbit faciem eius in iubilo: & reddet homini iustitiã suam.*] Duas huic loco explicationes adhibet S. Thomas: Altera est, non satis esse ad obtinendam sanitatem, & veniam, si alij pro nobis orent, licet illi sancti sint viri, aut cœlestes spiritus, nisi peccator suas quoque preces adiungat. Altera est contra id quod Iobus antè dixerat, non posse se cum Deo contendere, aut coram eo ponere iudicium. Ait ergo Eliu facilem ad Dei iudicium aditum esse, si homo preces afferat; non querelas, si sua accuset peccata, non in Deo iustitiam, æquitatẽque desideret. Quæ posterior explicatio, vt à me proposita est, magis videtur ad textum, solumque capitis, eamque ego præ ceteris lubens amplector. Cum igitur homo Deo supplices obtulerit preces; placabit eum sibi, & faciem illius intuebitur benignam, & placidam, à quo eo respicietur vultu, quo cœlum, tempestatesque serenæ, vt de suo Ioue cecipit quidam ex profanis.

36.
Merita per
pœnitentiã
redimuntur.

Et reddet homini iustitiã suam.] Varias hic locus expositiones admittit. S. Thomas tunc reddi homini iustitiã suam dicit, cum merita remunerat, quando peccati tollitur impedimentum. Aut quia opera consequentia peccato sublato digna sunt mercede, quam Dominus iudex iustus rependit: aut quia merita mortificata, quibus nulla debetur merces, dum homo peccator cum Deo, à quo recesserat, in gratiam non redierit; rediuiuo homine per gratiam, ipsa quoque quodammodo ad præmia reuiuiscunt. Et sic peccatori iam rediuiuo, ac grato, sua à Deo priorum operum non imme-

more, iustitia redditur. Alij putant, *reddi iustitiã* nihil esse aliud, quam homini iusto largiri, quod illi deberetur, puta valetudinem prosperam, rerum abundantiam, & quæ ab hominibus numerantur in bonis. Hanc autem Dei liberalitatem fidelem, *iustitiã* appellat Eliu, qui putabat in hac vita tantum torqueri peccatores, & iustos à Deo cumulari bonis; quod non semel amici Iobo obiecerant, neque ab illorum sensu recedit Eliu. Vt ergo Iobo iuxta horum hominum cogitata, quando erat peccator, rerum omnium iactura, dedecus, tabes, vermesque debebatur, sic eidem iam iusto, quia vitam mutauit, & mores, & supplex orauit, omnia debentur bona. Deinde quia talia fortasse audierat à Deo antiquissimis Patribus promissa, qualia audiuit Ezechiel c. 18. ve. 21. *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea: & fecerit iudicium, & iustitiã, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor; in iustitiã suã, quam operatus est, viuet.* Vtraque expositio probabilis, in posteriorem magis propendet assensio.

Vers. 27. *Respiciet homines, & dicet, peccauit: & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi.*] Quidam illud *respiciet*, ad Deum referunt. ita ex Gersonitæ sententia Eugubinus, indicat Caietanus, apertè Vatablus: sensu quidem ad mores valde accommodato, minus tamen ad textum. Quasi Deus id vnum expectet, vt benè homini faciat, quem peccatum ipsi reddidit infensum, & immensis vexationibus obnoxium: vt se serid, & ex animo peccatorem fateatur, & suis meritis digna recepisse supplicia, imo & multò leuiora, quam suorum scelerum grauitas exigebat. Quæ explicatio & Dei clemẽtiam commendat singularẽ, quem vox illa placat, & ad misericordiam inflectit: & pœnitentiã vim, quæ temporis momento cum animi vera conuersione, conditionis miseræ conuersionem inducit.

Sed est sententia communis, & meo iudicio omnino vera, hæc ad peccatorem hominem iam tamen alium, & Dei amicum pertinere; qui cum Dei benignitatem in seipso tam esset abundanter expertus, & carbones haberet super caput ardentes; & ex Dei bonitate suorum peccatorum grauitatem agnosceret; conuersus ad homines sua confitetur peccata, & Dei clemẽtiam pleno ore commendat, dum ait se multo leuius fuisse punitum, quam pro suorum scelerum magnitudine. Hæc porro acutè, & callidè in Iobum contorquet Eliu. Nam cum sæpe dixisset Iobus grauiorẽ se subire pœnas, quam sua mererentur errata, futurũ dicit Eliu, vt sententiã mutet, & se sustinere fateatur non indebitas pœnas, immo multò leuiorẽ; quam exigeret scelerum magnitudo. Quare in supplicij modo tam abest, vt Dei acerbitatem accuset, vt illius potiùs agnoscat gratiam, & humanitatem extollat.

Vers. 28. *Liberauit animam suã, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.*] Hic humilis confessionis est, & pœnitentiæ fructus. Nam qui iam eò erat angustiarum adductus, vt nihil esset propius, quam vt mortem oppeteret, efficiet ille pœnitendo, vt ex illo se periculo subducatur, & spiritum ducat vitalem, quem iam pene videbatur efflasse. Illud *videre lucem*, idem est quod

37.
Deus cupit
& peccatori
pœnitentiã
expectat.

38.

est quod *vincere* in hoc maxime libro, vbi *caligo*, & *tenebra* mortem; *lux* autem, *sol*, & similia vitam significant, vt statim v. 50.

39. *Verf. 29. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus.*] Hæc omnia, nempe restitui amissas corporis vires, & ablatas opes, & rerum omnium iacturam resarciri, cum homo per poenitentiam culpas diluit, & totum se diuinæ voluntati permittit, vidit, opinor, sepius Eliu: quia cum Deus, id quod optabat, cum dolores infligeret, consecutus esset, rediit ad sanam mentem, & officium peccatore, non vltius vexationem illam producebat. Quod cum sæpe faciat Evangelico sæculo, illo tamen antiquo multo sapius; in quo iustorum opera temporariis bonis pensabantur. Atque ideo de terrenis bonis promissiones audiuntur frequentes: qualis est vita longa, bonum nomen, rerum abundantia, quæ cum humana vita finiuntur. Hæc porro tribus vicibus concessa dicuntur, id est, sæpe. Hoc enim sonat, & valet ternarius numerus in Scriptura tam sacra, quam profana. Neque id cum vno tantum, aut altero, sed cum lingulis, qui ad Dei gratiam per poenitentiam redierunt, & Deo iam amici & grati receperunt; id quod prius ingrati, atque inimici perdidierant. Alij tres hinc agnoscunt modos, quibus Deus peccatorem alloquitur, vt illum ad meliorem mentem, & statum adducat: loquitur enim, vt vidimus, per terrores, & morbos, & alia, quæ hominum iudicio infortunia censentur. Sed est hæc interpretatio dyriuscula, & quæ multa contorquet. Quare priorem libentius amplector, ita vt Deus sæpe dicatur admonuisse peccatorem illis modis, quos proximè tetigit Eliu, & quæ bona sustulerat, reddidisse, cum ille mutauit mentem, & se totum diuinæ

A voluntati subiecit. Ita cum S. Thoma sentiunt complures alij.

Verf. 31. Attende Iob, & audi me: & tace dum ego loquor.] Quemadmodum Iobus sæpe cum stomacho similes voces ab amicis audierat; sic etiam verisimile est, hæc quoque verba Eliu durius accepisse: neque dubiis id signis ostendisse, auertendo nimirum, aut distortuendo faciem; aut aliquo alio modo, quo audici, aut sciolo adolescenti silentium indiceret. Quod videtur impatienter tulisse superbus adolescens, quem de vana opinione sapientiarum tumor inflabat. Atque ideo quasi sapientia, auctoritate, & annis Iobus esset inferior, silere illum iubet, & attentius audire: neque tandem sibi obstrepere loquenti.

Verf. 32. Si autem habes quid loquere, responde mihi. Loquere: volo enim te apparere iustum.] Plus sibi iuris assumpsisse videbatur Eliu, dum Iobum inurbanius, atque imperiosius alloquitur, quam modestiæ ratio, & iuuenilis ætas postulabat. Quare sermonem suum moderatur, ac temperat, & iubet, vt loquatur, si quid habet, quod superioribus opponat, neque se id agere, dum illum instituit disceptandi modum, vt illum aut damnet, aut confundat, sed vt ea disputatione, aut melior fiat, aut iustus appareat. Quæ ratio satis videtur idonea, vt conciliet abalienatum, aut sedet, & leniat liberiori dicendi modo exulceratum animum.

Verf. 33. Quod si non habes audi.] Si verò nihil habeat, quod pro se respondeat, aut alteri obiciat, monet, vt contineat se, neque loquenti obstrepat; sed audiat attentè, & à sapiente philosopho, & cælestibus instructo disciplinis, audiatur, quod ignorat.

ARGUMENTVM CAP. XXXIV.

I M à Iobo nihil expectaret Eliu, seque ab illo contemni putaret, viros aduocat, qui presentes aderant quasi sapientes, à quibus petit, vt ipsi indicent, an iuste accusetur Iobus, & sua verba ab illo tanquam inania iudicari debuerint. Deinde cum alia Iobi peccata proponit, illud maxime miratur, & amplificat, quòd Deum iniquitatis, & mendacij coarguat. Quem ea ratione corrupti iudicij suspitione vendicat: quia creator est omnium, & quod mortalem iudicem à recto transuertit, à nemine quicquam aut sperat, aut metuit: atque ideo eadem principes ac pauperes libertate aut damnat, aut absoluit. Neque eam ob rem à quoquam notari, aut iudicari debet. Ad extremum sese rursus ad Iobum conuertit, à quo cum rursus contemni se suspicaretur, in illum multo quam ante stomachosius inuehitur.

CAPVT XXXIV.

A

PARAPHRASIS.

1. **P**RONUNCIANS itaque Eliu, etiam hæc locutus est:
2. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:
3. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat.

1. 2. 3. 4. Post hæc suam pertexens narrationem hunc in modum locutus est Eliu. Quando durius ad meam orationem Iobus afficitur, audite vos, qui adestis, viri sapientes & auscultate diligenter: vt enim guttur de sapore, & suauitate, sic aures de sono, & verborum

4. Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.

5. Quia dixit Iob: Iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.

6. In iudicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque villo peccato.

7. Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam:

8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?

9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.

10. Ideo viri cordati audite me, absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.

11. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis.

12. Verè enim Deus non condemabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.

13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.

15. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.

16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculata vocem eloquij mei.

17. Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? & quomodo tu cum, qui iustus est, in tantum condemnas?

18. Qui dicit regi, Apostata: qui vocat duces impios.

19. Qui non accipit personas principum: nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim ma-

borum pondere diiudicant. Nolo à Iobo expectare iudicium, qui cum audire nolit, neque ipse audiendus est. Inter nos ipsi videamus, & quid æquius de tota causa censeri debeat, pronunciemus.

5. 6. Et primùm expendamus quòd impiè Iobus, & impudèter effatus est, diu ait iustum se esse, & suum à Deo perisisse iudiciu, & ad alia indigna dictu, & auditu fœda. Turpe etiam addidisse mendacium, dum ait, cum nihil admisisset supplicio dignum, grauissimo tamen se esse à Deo vulnere percussum.

7. 8. 9. Quis est, o viri sapientes, tam insigniter impius, & ad omne scelus vsque adeo proiectus, quem Iobi non superet insolens audacia? Qui nihilo difficilius subsannat alios, & impudenter insultat, quam sitiens bibit aquam, qua ardorem astuantis stomachi restinguat; qui bonorum, atque sapientium congressum fugitat, & illorum appetit societatem & vsu quos scelerum magnitudo nobilitat; quorum exprimit mores: & probat ingenium. Qui etiam ausus fuerit dicere, placiturum esse Domino neminem, etiam si ab illius voluntate, ac semita nunquam recesserit.

10. 11. 12. Quando ab insipiente nihil sanum obtinere possum, vos, qui sapientes, & cordati estis, audite me: id enim ago, vt omnipotentem ab omni iniquitatis suspitione vendicem. Ac tandem doceam iustum esse iudicem, qui hominum errata, ac merita debita mercede, aut supplicio non iniquo compenset. Neque Deus vllum sine causa damna-bit, aut frustra torquetur.

13. 14. 15. Hic porrò qui iustus est, & orbem totum formauit, non alium praposuit, qui illum suo administraret arbitratu; atque ideo, quæ in orbe sunt iniquè fieri Deo administrante non possunt; si verò Deus hominem vellet, aut vniuersum quod creauit omnino delere, cum id facere sua voluntate posset, non esset opus calumnias struere, aut iudicia subuerrere, quod faciunt iniqui; sed satis esset, vt omnem carnem, & rerum vniuersitatem dissolueret, illud tantum voluisse simpliciter.

16. 17. Tu quoque, o Iobe, si quid habes mentis, audi quod iam dicam; quod si attentè consideres magno tibi erit vsui. Si sanari desideras, neque ab alio salus, quàm à Deo sperari potest, quomodo illum iniquitatis arguis, & peruersi ac violati iudicij tam apertè condemnas?

18. 19. Illum, inquam, condemnas violati iudicij; qui ab homine quantumcumque potente nihil sperat, aut metuit? Qui duces, qui pietatem prodiderunt, nulla adhibita vocis moderatione, impios appellat: qui Reges qui



num eius sunt vniuersi.

20. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.

21. Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

22. Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

23. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.

24. Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25. Nouit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.

26. Quasi impios percussit eos in loco videntium.

27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt:

28. Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes & super omnes homines?

30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccatopopuli.

A qui defecerunt à recto, quasi nullis essent alligati legibus libera siue compellatione, siue conuitio apostatas vocat. Qui personam non accipit tyrannorum, & Principum, si quando cum paupere controuersiam inierint. Quia vt creator est omnium, sic etiam omnium æquè curator est: & sicut leges statuit, sic etiam illarum est custos, & vindex.

20. 21. 22. Morientur enim non solum lento morbo, tabèque consumpti, sed repentino etiam interitu sublati, excitato ad noctis medium, quod tempus magis est insidiis opportunum, populari tumultu. Neque opus erit ad tyranni, ac violenti cedem militares cogere atque armare acies, cum rem possit Deus sua tantum voluntate peragere. Neque illius oculos, quos habet vigiles semper, & attentos, latere possunt humani gressus, neque fugere quantuncumque dissimulata clandestina consilia.

23. 24. Quare necesse non est, vt homo coram Deo in iudicium veniat, vt illum de suis rebus doceat; speretque retractatum iri iudicium, cum nulla accedere Deo possit rerum cognitio, quæ de priori consilio aliquid mutet. Cui ea est in Reges, ac tyrannos potentia, ea libertas, vt illos momento temporis de solio deturbet, & illorum loco alios cum eadem, aut etiam maiori auctoritate sufficiat.

25. 26. 27. 28. Neque hoc faciet inconsideratè, ac temerè: nouit enim quales isti fuerint, futurive sint, atque ideo, vt vniuersi administrationi prouideat, illorum gloria tenebras, id est, turpem inducet ignominiam, & tandem extinguet. Neque aliud in eis præter impietatem punire voluit: abstulitque de viuentium numero, vt illorum supplicium terrori omnibus esset & exemplo. Acceperunt illi suis meritis non indebitas pœnas, cum scientes, volentesque recesserint à lege, neque voluerunt quid ab illa præscriptum esset intelligere, vt sibi ab omni flagitio temperarent. Sic autem in pauperes fuerunt iniuri, vt clamare compulerint ad Deum, & illum iniuriarum vindicem appellare. Quorum ille voces audit non grauatè, & illorum ulciscitur iniurias.

29. 30. Si Deus alicui, quicumque ille fuerit, pacem, seu potestatem tradiderit, quis erit tam uasanus, & audax, qui illum iniquitatis, aut insipientie condemnet? si faciem auerterit, & se alicui contrarium, & iratum exhibeat, quis erit qui faciem eius placatam aspiciat, cum illam Deus ad furorem finxerit, & se ipsum inexorabilem ostenderit. Quod si aliquando tyrannum, impiùmque in excelsum extiterit

31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.

32. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum ultra non addam.

33. Numquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui & non ego: quòd si quid nosti melius, loquere.

34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

35. Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

36. Pater mi, probeatur Iob vsque ad finem; ne desinas ab homine iniquitatis.

37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis Deum.

A rit locum, & publico aliquo ornauerit magistratu, non eo facit consilio, ut extollat, & ornet, sed ut per illius insanum, & barbarum ingenium subditorum peccata coerceat, & puniat.

31. 32. 33. Longiorem de Deo sermonem instituisse videor; si tu, ô Iobe, rursus de illo agere volueris; sanè per me licebit: si quid peccavi, libenter patiar abs te renocari, ac corrigi, neque erroris, falsitatisque conuictus ultra progrediar. Sed heustu, ô Iobe, videris, ut vultus ipse præ se fert, orationem meam agrius accepisse, quasi in ea iniquitatem, aut stultitiam deprehendas? sed ea de re turbari noli: neque tu illius Deo, sed ego pœnas dabo, quin potius si quid melius nosti idipsum in præsentia nobis eloquere.

34. 35. De Iobo, utpote de amente, & stolido nihil curo, neque cum illo ulterius verba faciam. Viri mecum sapientes loquantur, verba enim cum Ioba, & operam perdo, cum in illo neque ingenium sit, nec disciplina, quæ capax sit eruditi sermonis.

36. 37. Quocirca, ô Eliphaz, qui mihi pro parente es, & vos viri sapientes, & religiosi, urgete hominem non iniquum solum, sed etiam blasphemum, eoque adigite ut de Deo, ut par est, religiosè loquatur; neque linguam, aut religiosum impetum continete: quia blasphemiam addidit sermonibus impiis, constringatur, & sua temeritatis pœnas luat, & tunc si libeat, lacessat Deum, & ad legitimum iudicium accersat.

Verf. I. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me.]

1. **N**OLUIT Iobus inuitatus respondere verbis Eliu, quia iam iisdem criminationibus sufficienter responderat, quas tres amici non minùs inurbanè, atque arroganter obiecerant. Aut quia indignum putabat adolescentem, qui sibi seniles partes vsurpauerat, cui se facilem, aut docilem præberet, cum nihil afferret ad præsentem statum, & necessitatem opportunum. Quare cum ab illo nihil expectaret æquum qui longè aberat ab ipsius cogitatione, conuertit se ad alios, qui præsentés aderant, quos sapientes, & eruditos vocat, qui fortasse ex eadem schola, magisteriòque prodierant, ut ipsi videant an iuste accusetur Iobus, & sua verba ab illo tanquam inania, & sine fructu exhibitari debuerint. A quibus attentionem perit, his, qui verborum pondera expendere voluerunt, necessariam.

2. Verf. 3. *Auris enim verba probat, & guttur est, gustu diiudicat.*] Hæc, opinor, attentionis captandæ forma familiaris erat Idumæis: sic Iobus supra cap. 12. verf. 11. *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comidentis saporem.* Nisi di-

camus Eliu ad hæc Iobi verba respectasse, sicut ad alia fecit non semel. Cur sibi præberi attentas aures postulet Eliu, ea ratio est, quia aliter nemo de alicuius verbis ferre potest sine errore iudicium: quia de verbis aures iudicant: sicut gustus de cibo. Et quemadmodum ad discernendum saporis varietates fauces; sic ad verborum sonos, & deinde sensus cognoscendos aures admouemus.

Verf. 4. *Iudicium eligamus: & inter nos videamus, quid sit melius.*] Toto hoc capite vno, aut altero verbo excepto auertit sermonem à Iobo: & ad tres amicos, aut etiam ad alios viros sapientes, qui spectatores aduenerant, sermonem conuertit. Petit igitur, ut attentè considerent, quid Iobus dixerit, & quid ipse Eliu in illo non probet: quibusque rationibus illius verba, cogitationesque confutet: ac tandem pro sua prudentia iudicium eligant, ferantque de tota causa: & quid æquius videatur, & iustius, tandem pronuntient.

Verf. 5. *Quia dixit Iobus, iustus sum: & Deus subuertit iudicium meum.*] Repetit verba Iobi, & illa aliis expendenda proponit, parum tamen

tamen fideliter, & alio sensu, quàm à Iobo A
concepta. Quòd declarat id quòd proxime
subditur, vbi non solum ex sententia Eliu
Deus subuertisse dicitur iudicium, id est, nulla
habita ratione meritorum, suum illi ius, atque
iustitiam peruertisse; sed ad iniustitiæ crimen
mendacij quoque labem turpissimam adiun-
git.

5. *Eliu falsa
quadam ob-
iicit Iobo.*
Vers. 6. *In iudicando enim me mendacium est:
violenta sagitta mea absque villo peccato.* De men-
dacio nihil habemus in verbis Iobi: neque
fas est tale aliquid de viro sanctissimo suspi-
cari. Sed Eliu, vt erat ingenio acuto, ex ver-
bis Iobi illa efficiebat, quæ suis argutiis ex
pronuntiatis aliter significantibus alienum
aliquid, atque captiosum exprimunt sophis-
ta: vbi planè peccant non solum scelerate, B

dum mendaces ipsi mendacij alios insimulant,
sed etiam ineptè: neque enim quod ex ali-
cuius verbis argutando colligimus, continuo
sequitur id ab illo directo, & vt aiunt, for-
mali sensu fuisse prolatum. Quo sensu Iobus
illa dixerit, quæ his criminationibus accusat,
& damnat Eliu, diximus suis locis, vbi illa à
scelere, & errore vindicauimus: neque illa
hoc loco repetere necessarium est. Vnde ista
collegerit Eliu, non satis apparet, ex variis
sumpsisse locis, & ex multis vnam conlasse
sententiam, verisimile est. Dixit Iobus cap.
19. vers. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non
equo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cin-
xerit.* & cap. 27. vers. 2. *Viuat Dominus, qui ab-
stulit iudicium meum à me.* Ex his intulit Eliu à
Deo subuersum esse iudicium, id est, iniquè
iudicasse: cum tamen longè alius sit sensus.
Et grauius est in Deo hæsisse mendacium,
quando videtur significasse, se Iobi causam
a quo explorasse examine, & iusto punisse sup-
plicio; cum tamen neque legitimi iudicij ra-
tionem habuerit, neque meritorum Iobi sta-
tera iusta pondus expenderit. Illud de violenta

6. *Deus Iobum
non vt iudex
punit, sed vt
Dominus &
pater exer-
cet & pro-
bat.*
sagitta absque peccato sumpsit, vt apparet ex
cap. 6. vbi cum dixisset; *Vtinam appenderentur
peccata mea, quibus iram merui, & calamitas,
quam patior, in statera quasi arena maris hæc gra-
uior appareret: quia sagitta domini in me sunt.* &
illa loca nos, & quæ his sunt affinia variis
modis à culpa vindicauimus, eo maxime sen-
su, quem hic adduxit Sanctus Thomas quem
omnium maxime probaui. *Iob, inquit, suum
iudicium ablatum esse dixerat: quia pœnas sibi ir-
rogatas esse existimabat, non ex iudicio punien-
tis culpam, sed ex prouidentia probantis iustitiam.*
vnde supra cap. 13. dixerat, *probaui me quasi au-
rum, quod per ignem transit. Non autem quicun-
que non vitur iudicio, subuertit iudicium, sed so-
lum ille, qui iudicium profert iniustum. Sic ergo
interpretatus violenter est, quod Iob dixerat: Deus
abstulit iudicium meum, ac si dixisset, Deus
subuertit iudicium meum iniuste iudicando.*

7. *Violentia est
quod est co-
tra legem: na-
turale quod
secundum le-
gem.*
Violenta sagitta mea absque villo peccato. Sa-
gitta per synecdochen pro quocunque telo,
immò quocunque supplicij genere vsurpatur,
idque in Scriptura sacra non infrequenter.
Sicut etiam nomen arcus frequenter auditur.
Dicitur autem *violenta sagitta*, aut quia dura
est, & vim habet mortiferam, quia in homi-
num corpus altius adigitur. Aut quod verius
puto in re iudiciali iudicioque legitimo, il-
lud violentum est, quod non est à lege; si-

Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

cut naturale aliqua ratione dici potest, quod
lege tantum est, quæ forma est quædam, & vi-
ta reipublicæ. Quare in re iudiciali naturalis
vocari potest dolor, quem infert gladius, aut
equuleus quem alicui scelerum leges admo-
uent, aut inculcata consuetudo: naturalis
item mors, quam iura, & leges sceleratorum
hominum vim, & audaciam frangunt, &
coercent. Contra supplicium, aut mors, aut
dolor vocari potest violentus, quia prohibe-
tur, aut non admittitur à lege, quæ reipubli-
cæ forma est, & quali à propria natura non in-
fligitur; sed illa potius renuente. Neque alio
sensu hic accipitur ab Eliu, qui obiicit Iobo,
falsò tamen, vt diximus, quòd dixerit sub-
uersum iudicium à Deo, & se pati absque vl-
lo peccato. Quod si ita esset, violentum esset
supplicium, quia lex tantum insequitur, pe-
rimisque peccata; contra innocentes verò
nunquam porrigit gladium.

8. *8.*
Vers. 7. *Quis est vir, vt Iob, qui bibit sub-
sannationem quasi aquam.* Hæc etiam Eliu ad
alios, quos eruditos vocat, & sapientes;
quibus persuadere nititur, vsque adeò pro-
fligatæ vitæ, atque pudoris esse Iobum, vt
non facilius bibat aquam, quàm iniquitatem,
& subsannationem, id est, culpam illam, quæ
alteri alienum affingit crimen, aut illi insultat,
quali inerti, ac stolido, vt magnorum
scelerum manifestè conuicto. Quæ crimina
Deo Iobus imposuisse acculetur ab Eliu habes
hoc capite, & sequenti. Illud bibere sicut a-
quam iniquitatem, aut subsannationem, pro-
uerbialem habet speciem, de qua nos plura
cap. 15. versic. 16. vbi Eliphaz dixit: *Homo, qui
bibit quasi aquam iniquitatem,* vide quid nos
ibi,

9. *9.*
Vers. 8. *Qui graditur cum operantibus iniqui-
tatem, & ambulat cum viris impiis.* Licet hic
loquendi modus societatem indicet, quam
frequens vsus, congressusque alit, atque con-
firmat: quo sensu dicitur Prouerb. 1. vers. 15.
ad adolescentem, quem alij ad conuictum
studiorum, vitæque societatem inuitant, di-
cuntque: *Sortem mitte nobiscum; mansupium
vnum sit omnium nostrum.* Ad hunc, inquam,
dicitur: *fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pe-
dem tuum à semitis eorum.* Aliquando tamen
non tam significat vitæ familiarem consue-
tudinem; quàm similitudinem morum, cum
aliqui licet vitæ genere, atque instituto, &
locorum diuersitate distantes; conueniunt
tamen similitudine, & exemplo, ita, vt qui-
libet aliorum exprimat mores, & ingenium;
ita vt si hunc noris, ceteros noris. Hoc sensu
dicitur Psalm. 1. iustus non stetit in via pec-
catorum, id est, non fuisse peccator: quod
idem est, atque non ambulasse cum pecca-
toribus. & Psalm. 49. versic. 18. *Si videbas fu-
rem, currebas cum eo: & cum adulteris portio-
nem tuam ponebas.* Id est, eras fur, & adul-
ter. Hoc, opinor, sensu dicitur Iobus ab
Eliu ingredi cum operantibus iniquitatem,
& ambulare cum impiis; quia illum ini-
quitatis, & impietatis accusat. De alia enim
societate non ausus esset quicquam affir-
mare, quia semper improborum societatem
exhorruit, neque vnquam cum impiis con-
uersatus est. Huic affinis est ille dicendi mo-
dus; quo qui moribus sunt similes fratres
M m 2 appel

appellantur. Prouerb. 18. vers. 9. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* & Ecclesiast. 34. vers. 27. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Quam explicationem probat, quod proxime sequitur.

10.

Verf. 9. *Dixit enim, non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.*] Persequitur quod de Iobi vita, & moribus dicere instituerat; & affirmat vsque eò audacia progressum Iobum, vt dixerit nihil Deo esse curæ piæ ne aliquis, an impiæ viuat, totum ne se ad diuinam legem, & voluntatem artemperet; aut à diuina voluntate ad alia omnia totus abeat. Ex quibus Iobi verbis id collegerit Eliu, incertum est: collegisse potuit homo callidus ex illo cap. 9. vers. 22. *innocentem, & impium ipse confirmat.* aut cap. 10. vers. 15. *si impius fuero, va mihi est: & si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione, & miseratione.* Vel certe ex eo collegit, quia se iustum Iobus sæpius appellat, & durè se vexari queritur. Vnde Iobi hanc interpretatur mentem, quasi putauerit non placere hominem Deo etiam si cum domino perpetuò currat, id est, ab eo nunquam oculos, & animum auertat: sed illum habeat suarum actionum viuum quoddam exemplar. *Currere cum Deo*, idem est, quod ambulare cum Deo, aut coram Deo, id est, ad Dei exemplum, & similitudinem viuere; eo sensu, quo proxime dicebat Eliu de Iobo: *Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis.*

11.

Verf. 10. *Ideo viri cordati audite me. Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.*] Cùm nihil sanum à Iobo expectaret Eliu, quem sceleratum esse, & insipientem crederet, neque speraret futurum facilem, aut docilem auditorem, conuertit se ad viros cordatos, & sapientes, & apud illos quantum ingenio, atque sapientia possit, ostendit, dum Iobum impietatis accusat, & Deum ab omni impietatis & iniquitatis suspitione vendicat. Est autem huius disputationis præcipuum caput, & argumentum, quod paucis verbis hic propositum est; *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.* in quibus verbis eadem sententia ponitur. Quod fieri solet, quando aliquid attentius audiri volumus, & in animo retineri constantius. Illud, *absit à Domino*, affectionem indicat animi, qui scelus aliquod à se, vel ab alio deprecatur, & horret; quasi aliquid alienum, & indignum, quod in alicuius ingenium, aut aliorum suspitionem cadat. Sic Iosephus cùm iudicem ageret Genes. 44. vers. 17. dixit: *Absit à me, vt sic agam. Qui furatus est scyphum ipse sit seruus meus.* Genes. 18. vers. 25. sic Abraham ad Deum: *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio.* & Mat. 16. vers. 22. dixit Petrus Christo, *Absit à te Domine: non erit tibi hoc.* Et idem Actor. 14. 14. *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune; & immundum.*

12.
Opus & labor pro eorum mercede.

Verf. 11. *Opus enim hominis reddet ei: & iuxta vias singulorum restituet eis.* Hæc aperta sunt; incipit Eliu probare, Deum æquum esse iudicem, & hominum opera pro illorum meritis debita, ac iusta mercede compensare. *opus, labor*, & similia, pro ipsorum pretio, aut mercede vsurpantur. Isaia 32. *erit opus iustitia*

A *pax*, id est, merces operis iusti. Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij cui vsque mane,* id est, operis merces. Psalm. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis,* id est, laborum pretium. Reddet igitur Deus homini opus, id est, operis mercedem.

13.

Verf. 12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra: nec omnipotens subuertit iudicium.*] Explicatio est superioris versus, cui aut addit nihil Eliu, aut certe parum: ait enim à Deo neminem sine causâ damnari, aut frustra torqueri. Quare si quid homo patitur durum, graua præcesserunt peccata, quæ Deus leuero supplicio mulctare, aut expiare vult. Neque iustorum, & innocentium iudicia peruertit, quibus adimit nihil, quod ius, & ratio porrigunt; neque infligit mala, à quibus illos æquitas, & religio reddit immunos.

14.

Verf. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*] Si quæ hominibus in vniuersali rerum administratione fieret iniuria, non sanè fieret à Deo, cui summa placet æquitas, sicut vehementer displicet quodcumque iniquitatem, & iniuriam redolet. Fieri tamen solet, vt cùm Princeps iustus sit, æquitatis studiosus, & amator, acerrimus legum, & vigilantissimus custos; at qui ab illo constituti sunt iudices, & præfecti, longè alia meditentur, & curent. Qui dum priuatis inseruiunt rationibus, communes prodant: & quæ ad rem pertinent publicam, susque deque habeant. Non autem sic Deus, qui sicut terram, & orbem fabricatus est; sic etiam illum sua prouidentia, atque iustitia moderatur: neque curam illam cum aliis partiri voluit. Atque ideo nihil in hominum causis sit peruersè, nihil iniuste; quia à Deo sunt vniuersa, qui iniquitatis argui, aut ignorantia nullo modo potest. Hæc est ratio Eliu. An verò illa aliqua ex parte labore, non disputo. ita Sanctus Thomas, & cum eo nonnulli alij. Sunt, qui ita hunc locum accipiant, Deum, qui iustissimus est, & æquitatis amantissimus, non passurum, vt quisquam rebus administrandis præsit, qui non sit iustus, atque ideo nihil ab his, qui pro Deo res humanas, & publicas iurant, contra ius, & fas administrari. Ita indicat Hieronymus dum ait; *Nunquid alium rectorem posuit, qui a creatoris iustitia discreparet: ipse ergo quam potens conditor, tam pius est moderator, quia opus suum agnoscit, & diligit.* Eadem Philippus, & Beda sumptserunt ex Hieronymo; vbi duas Hieronymus rationes adducit, cur Deus innocentem hominem neque damnet, neque cruciet: quia opus suum agnoscit; atque ideo nouit an dignum videatur quod benignè, aut quod hostiliter prosequatur. Deinde quia illud amat, non est vlllo modo credibile innocentem hominem sibi que amicum sic accipiendum esse crudeliter, vt ab illo pœnas exigat indebitas: & in illius lacrymis ipse triumphet: & quod dixit Iobus capit. 9. de pœnis innocentium rideat.

15.

Alij ideo putant ex Eliu sententia Deum nullo modo impium, aut iniquum existimandū quocūque modo homines aut extollat, aut deprimat, mulceat, & oblectet, aut insequatur, & torqueat, quia voluntas illius lex est, quam non

non contemnit, aut violat, cum facit quod illi probatur, aut libet. Neque quenquam habet superiorem, qui ab illo suarum rationum, aut operum rationem exigat. Quid his verbis significare voluerit Eliu, incertum: quaelibet harum explicationum neque abhorret à textu, filoque sermonis; & facit ad confirmationem propositi. Aliis alia placent, recte ne an secus, non disputone, que an vera sit quacumque illa fuerit Eliu sententia. In ea enim decipi potuit, sicut in aliis deceptus est: quod item de tribus amicis Iobi alibi ostendimus.

16. Vers. 14. *Si direxerit ad eum cor suum: spiritum illius, & flatum ad se trahet.*] Omnipotentem, & fabricatorem vniuersi appellauit Deum Eliu, ex quo videtur hoc loco colligere Deum facillime posse delere omnia, sicut creauerat, vel nutu tantum, & voluntate sua. Quare, si iniustus esse vellet, aut iniquus, & non solum homines, sed ipsam rerum vniuersitatem delere, non esset opus calumnias struere aut iudicium subuertere, quod faciunt mortales, & iniqui iudices, sed satis esset ad rerum vniuersarum excidium illud tantum voluisse simpliciter. Hanc ego sententiam simplicissimam puto, verèque germanam: nonnulla tamen obseruanda.

17. Primum dirigere, aut apponere cor, idem est, quod velle, aut ad aliquid curandum aduertere, seu inclinare cor, siue ad bonum de rebus, siue ad malum statuendum. Quomodo cap. 7. dixit Iob; *Quid est, quia visitas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Deinde illud ad eum, variè ab interpretibus exponitur. Quidam referunt ad vniuersum, ita vt facile sit vniuersa dissoluere, quod putant Hieronymus, Philippus, & Beda, Titelmanus, & in manuscriptis Legionensis. Neque mihi displicet, licet statim ex rerum vniuersitate ab animantibus exemplum sumat, quibus spiritus inest, & flatus. Eugubinus, & Stunica illud ad eum, neutraliter exponunt, in hunc sensum: *si Deus ad id voluntatem suam fleteret* (verba sunt Eugubini) *vt esset malum, vastitas, impietas, iniustitia in hoc mundo. Si cuperet malum, vtique ad se spiritum, vitamque cunctorum colligeret, vitam ipsius mundi cunctam aboleret.* Hoc etiam videtur sentire Lyra, & vt Eugubinus docet, Hebræorum magistri.

18. S. Thomas, Caietanus, & plures alij in eo pronomine hominem intelligunt, idque ex eo videtur dici posse probabilis, quia in homine spiritus est, & flatus, qualia in alijs animantibus non sunt, maxime si in Spiritu animam intelligamus, id est, incorpoream substantiam, & Angelicam similem, vt nonnulli volunt. Ego in his non video multum esse discriminis. Neque spiritus, aut flatus, nimis vtgent aduersus illam sententiam, quæ ad rerum vniuersitatem hæc Eliu verba latè diffundunt. Quia sicut mori dicuntur illa, quæ esse desierunt, non inuita metaphora, etiam si vitam non habuerint; sicut etiam latari dicuntur, aut lugere; sic etiam viuere eadem dici possunt, sumpta ab animantibus metaphora, quorum vita spiritu, id est, spiratione, & flatu continetur. Nihilominus placet magis posterior ista sententia: quia offensionis habet minus, & satis probationis ad institutum, & mentem Eliu.

Gasp. Sandij Comment. in Iob.

A Inter flatum, & spiritum hoc nonnulli statuunt esse discrimen, quod spiritus animam, & flatus vitam, quæ ab anima provenit, & conseruatur, significat. Ita Hieronymus, & ex eo Philippus, & Beda. *Spiritum dicit animam, quæ viuificat hominem, & flatum ipsam presentem vitam, quæ corporibus nostris per arbelicum ex hoc aère ministratur.* Ego opinor, idem esse hoc loco spiritum, & flatum, quod etiam visum est olim, cum explicarem illud Hæc cap. 41. *Dans flatum populo, qui est super terram & spiritum calcantibus eam:* Quod etiam eo loco senserunt Cyrillus, Dionysius, Hugo, & alij quidam: quia sicut esse super terram, & calcare terram idem sunt, sic etiam idem esse videntur flatus, & spiritus, qui vtrique voci artificiosè respondent. Hoc etiam visum est Pinedæ nostro. Dicitur autem Deus trahere ad se spiritum, & flatum, cum respectu ad primi hominis formationem: quia illi spiritum inspirauit, & flatum, cum in terream molem inspirauit spiraculum vitæ. Hoc ergo spiraculum, & flatum retrahit ad se Deus, id est, auferet, & talem relinquet hominem, qualem inuenit, antequam vitali illum animaret spiritu. Qui dicendi modus inusitatus non est in Scriptura. *Ecclesi. 12. Spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum. & Psalm. 103. Auferes spiritum eorum, & deficient: & in puluerem suum reuertentur.*

C Vers. 15. *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.*] Ex hoc loco videtur sumpsisse David, quod proximè ex Psalmo 103. retulimus.

20. Vers. 16. *Si habes ergo intellectum, audi, quod dicitur.*] Auertit sermonem ab alijs, & refere ad Iobum, quem insipientem iudicat, dum de illius intelligentia dubitat. Pollicetur autem grande aliquid se dicturum, quod non putat assecuturum esse Iobum, quantumcunque vim excitet intelligendi: vsque adeò in suo sibi ingenio, atque sapientia placet.

D Vers. 17. *Nunquid qui non amat iudicium sanari potest? Et quomodo tu eum, qui iustus est, in tantum condemnas?*] Hic locus variè redditur, & exponitur: neque facile est tam varias conciliare sententias. Septuaginta; *Vide tu eum, qui odit iniqua, & perdit malignos, esse æternum iustum.* Chaldaeus; *Num odio habens iudicium custodietur?* Tigurina: *An qui odit iudicium chirurgos imitaretur? illum ne impietatis suggillabis, qui iustus, & potens est?* Ex Hebræo alij communiter vertunt; *Qui odit iudicium dominabitur.* ita Pagninus, Vatablus, Isidorus, Caietanus. Hispanica translatio: *per ventura aborrecente iudicio ligara?* Hæc tamen multiplex translatio orta est ex verbo Hebraico *צָבַח*, *chabas*, quod propriè ligare, aut fasciis obligare significat; ex qua propria significatione aliæ multæ oriuntur metaphorica. Ligare superioris est potestatis, quæ ligat, & coercet reos, innocentes soluit; quæ potestas, & opus iudicium comitantur. Atque ideo, qui ligat, dominari dicitur. Quomodo ex Hebræo recentiores penè omnes interpretes transtulerunt. Et quidem leges, vt docet Sanctus Thomas 12. quæst. 9. articulo 1. à ligando dicuntur, quia legibus tanquam vinculis homines in officio continentur.

M m 3 Quia

Quia verò chirurgus, & medicus vulnus ligant, & contracta ossa, ut illud obducant, & sanent, ista consolident, sit ut *צבן chobes* pro medico sumatur, & chirurgus, ut *Isaia*; ubi *Vulgatus* transtulit *medicum*. Quando ille, qui eligeatur ad populi gubernaculum, dixit: *non sum medicus*. Vbi quida sub hoc nomine Regem intelligunt; quia hic legibus suis ligat populos, & pœnis coercet: facitque in suo regno quod medicus in affecto corpore. Quia verò, qui hoc modo ligat, sanat ægrotum, id certè spectat in ligando vulnere, sit ut *ligare* idem interdum valeat, quod *sanare*. Quod adhibuit, ut vides, *Vulgatus* interpres. Ex his conciliari possunt, quæ tam videbantur esse dissimilia. Sed est adhuc difficile: quia si *sanari* legas passivè; non activè *sanare*; non bene sicut alij volunt, præter *Vulgatum*, hæc in Deum conveniunt, quem hic alij Regem, & dominum, alij medicum vocant; hi enim magis homines regunt, sanant, & ligant; quam ab aliis reguntur, sanantur, & ligantur.

23. Si *sanare* legas activè, ut in aliquot Latinis codicibus invenimus, sensus est commodus, quique optimè confirmat, quod sibi proposuerat *Eliu* in hunc sensum. Si Deus tam nostra curat diligenter, si ligat vulnera, si sanat morbos, qui fieri potest, ut iudicia pervertat humana, & frustra condemnet innocentes? Aut, ut alij volunt, indignum esse Deum, qui regnet, aut non tam diu regnaturum fuisse, si iudicia perverteret, & non potius summam secutus esset æquitatem.

24. Ego omnino cum *Vulgato* passivè lego *sanari*: sed adhuc dubito, an illud sanari ad Deum; vel ad lobum referendum sit: si ad Deum referas, hic sensus videtur non omnino violentus, & durus: si Deus iudicia perverteret, & iniquum agitaret imperium, non posse alligari supremo illi statui, in quo rebus omnibus præest, & illas moderatur; aut non posse sanari, id est, sanum esse, incolumem, & inconcussum in suo regno. Tunc autem ex humano sensu & iuxta id, quod inter homines plerumque contingit, loquitur *Eliu*. Videmus enim homines, qui æquitatè non servant, & iudicia pervertunt, aut corrumpunt, non diu cum imperio esse, sed à populo male accipi, depellique non ab imperio solum, sed etiam à vita. De quibus experientia edoctus cepit *Iuvenal. satyr. 10.*

Ad generum Cereris, sine cade, & vulnere pauci

Descendant Reges, & sicca (id est, incruenta) morte tyranni.

Quæ ratio quàm plurima peccat; neque mirum est Gentilem Philosophum, & ætate iudicioque iuvenili tam errare perititer, & crasse in re Theologica, maxime cum ad illud certamen sicut tres alios seniores, demon incitasset, & his rationibus ad oppugnandum lobum astutè munisset.

25. Communis est Latinorum, & meo iudicio vera sententia; illud *sanari* referendum esse ad lobum, qui tunc, ut constat, languebat graviter, & visus est queri sic sanè, non sine fundamento coniecit *Eliu*, cum audiret illum suam innocentiam commendantem, dolentem-

A que, quod torqueretur gravius, quàm pro suis meritis. Tunc autem facilis est, & communis sensus. Desideras, o *Iobe*, sanari, neque vllus est, qui huic morbo possit medicinam facere præter Deum, quomodo igitur ab illo sanitatem speras, qui iudicium non amas, cum Deum, qui iustissimus est, iniustitiæ accusas; & illum peruersi, ac violati iudicij tam aperte condemnas?

26. Vers. 18. *Qui dicit Regi, Apostata; qui vocat duces impios: qui non accipit personas, &c.*] Iniquus est, qui a Deo dicit, aut putat iudicia subverti, cum personas non accipiat, sed ad ferendum iudicium vnam in rebus omnibus aspiciat æquitatem. Quare non veretur, cum Reges, duces, ac tyrannos cum paupere disceptant, illique aut falsum aliquid imponunt, aut illum suis fortunis evertere contendunt, appellare impios, & apostatas, qui sine lege vivunt. Qui quodcumque libet, id sibi licere putant. Ideo autem personam non accipit, quia creator est omnium; sic etiam curator est; & sicut leges statuit, sic etiam illarum custos, & vindex esse vult. Quare illos qui eas cupiditate, aut libidine impellente violant, impunitos abire non sinit. In hunc, qui sic res humanas moderatur, & temperat, quis adeo erit temerarius, aut stolidus, qui crimen conferat violati iudicij? ubi *Latinus* *apostata*, *Hebraic. est. בליאל Belial*, id est, sine iugo, exlex. Quam vocem *Vulgatus* variè conuertit, nempe *impium, iniquum, iniustum, prævaricatorem*: qualis est, qui suis se affectibus, non diuinis legibus moderatur.

27. Vers. 19. 20. *Subiò morientur: & in media nocte turbabuntur populi: & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.*] Ostendit *Eliu*, quàm Deus longè absit, ut personam accipiat tyrannorum, & Principum, cum illis non solum exprobet impietatem, appellatque sceleratos, & apostatas, sed etiam regno priuet, & vita; idque ea ratione; ut quiuis intelligat immisam plagam fuisse diuinitus, morientur enim non solum lento morbo, tabèque consumpti, sicut lobus eo tempore moriturus videbatur, sed repentino interitu, qualis est à ruente domo, quæ incautos opprimat, aut à populari seditione, quæ reipublicam turbat, & in tyrannum, in quem intestinum concepit odium, hostiliter irrupit. Ac tandem obruncat, tollitque de medio violentum hominem, qui dum suam expleat cupiditatem, aut tyrannicam rabiem, neque parcat vlli, neque rationem habet honestatis, aut fidei: quod plerumque fit nocte, quia illa magis est insidiis opportuna. Cuius rei eo tempore, quo hæc dicebantur ab *Eliu*, exempla non deerant, licet tradita non sint antiquis monumentis: quia sæcula illa illiterata, & rudia historiis caruerunt: ex quo factum est, ut quædam notatu non indigna protus interierint. Sed sunt tam in sacra, quàm in profana historia exempla non pauca eorum, qui dum imperium exercent tyrannicum, facto in eis populari impetu mortem obierint non incruentam: sicut paulò antè de Principum fato cecinit *Iuvenalis*: Dicuntur autem hi absque manu periisse, quia externas cogere acies, & alienas manus conducere, necessarium non fuit ad Reges extinguendos, cum

26.

27.

28.

Tyranni à suis populari seditione oppressi.

cum

cum satis in illos arderent domesticorum, & subditorum odia; qui in communem hostem incredibili conspiratione conspirarunt; aut quia eò adegerant Reges pessime de sua republica meritos, ut antequam irruerent hostes, mortem anteuertent; & sua sibi manu mortem consciuerunt. Qualis in factis fuerunt Zambri Rex Israel, de quo lib. 3. Reg. cap. 16. qui cum videret se vrgeri à potentiore hoste, & omne desperaret effugium, *ingressus est palatium, & succendit se cum domo Regia.* Quod item fecisse Iudæos tradit Iosephus lib. 3. de Bello cap. 14. & idem de Sardanapalo scribit Iustinus lib. 1. vel fortasse absque manu dicitur auferendus tyrannus, quia illum internus dolor, & subitus extinguet; non vis extrinsecus allata.

29. In his arbitror voluisse Eliu designare Iobum, quem tyrannum putabat, aut què à tribus amicis talem acceperat. Quod enim à suis malè acceptus fuerit; & domo pulsus foras emissus, & ad sterquilinum vsque turpiter abiectus, diximus supra Prolegomen. 4. qui etiam sine manibus videtur esse consumptus, quia intrinsecus habuit, quo tabesceret.

30. Vers. 21. *Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.* Ad rectum syncerumque iudicium, quod in Deo negasse Iobus, falsò tamen arguitur, id est maximè, & omnino necessarium, ut iudex probè, penitusque cognoscat illa, de quibus est instituta controuerfia, ne quemquam damnet, quem debuisset liberare, & illum liberet, quem recta ratio, legesque condemnant. Ab hac siue iniuria, siue ignorantia, Deum vendicat Eliu, dum ait, Deo nihil esse clausum, nihil occultum; & illum omnia hominum consilia, atque opera spectare attentè, & accuratè discutere. Quare frustra peccator homo latebras quærit, frustra vimbram, & velum simulationis obtendit iniquitatibus suis; quantuncunque enim artificio tegere voluerit peccata sua, non secus diuinis oculis erunt manifesta, quam si ea illuminaret meridiana lux.

31. Vers. 23. *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium.* Cum Deus abditissima quæque videat; neque homo peccator aliquid ad Dei iudicium afferre possit noui, quod ille non viderit, non est cur speret retractatum iri iudicium, quod tunc fieri assollet in humano foro, cum noua accedit rerum cognitio, quæ de priori consilio aliquid mutat. Huc inclinat S. Thom. qui addit, tacitè his verbis condemnari Iobum ab Eliu, qui c. 23. v. 3. dixit; *Quis mihi tribuat, ut cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? ponam coram eo iudicium.*

32. Vers. 24. *Conteret multos, & innumerabiles; & stare faciet alios pro eis.* Hæc contra Principes, & tyrannos dicuntur, quorum Deus non accipit personam, de quorum numero putat esse Iobum, quem hoc loco, & hac oratione præcipue pungit Eliu. Ait igitur, in Deo eam esse potentiam, eam in tyrannos, virosque opibus, atque autoritate Principes libertatem, ut illos momento temporis de solio depellat; & alios eorum loco cum eadem, aut etiam maiore autoritate sufficiat. Quod accidisse affirmat Iobo, aut illi euenturum esse minatur. Contigisse porrò hæc aliquando ante Iobi sæculum verisimile est, licet id ignoremus. Aliis deinde

A temporibus sic accidit frequenter, ut laboris videatur otiosi id velle confirmare.

Vers. 25. *Nouit enim opera eorum; & idcirco inducet noctem, & conterentur.* Nouit Deus quales fuerint, futuri que sint in posterum hi tyranni, ac Principes: atque ideo, ut vniuersi administrationi prouideat, illos conterit, ut meliores substituatur, ideo illorum splendori noctem obducit, & gloriosos antea reddit inglorios, deposita corona, & assumpto gregali, atque seruili sacco, aut sublatis de viuientium numero. Id enim valet *nox*: in qua ærumnosum aliquid quocunque in genere significatur. Seu certe idè hoc loco valet *nox*, quod stupor, aut ignorantia, quæ excœcant homines, quātunuis acutos, & solertes, nequid faciant prudenter: sibi que caueant ab impendente malo, quod indicat S. Thomas.

Vers. 26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.* Hi tyranni, qui de statu deiecti sunt, non de causa ceciderunt à Domino percussi, nisi quia impiè vixerunt. Non enim Deus commouetur affectu, quo homines quòd interdum rationes minus æque, & sanæ à iudiciorum integritate transuertunt. Illud enim *quasi*, sicut alibi sæpe non similitudinem sed veritatè significat: Quare idè valet quod *utpote*, propterea quod, aut quia in loco videntium, ut S. Tho. indicat, percussi sunt nempe cœcitate, & in auias cogitationes abducti, quia eo tempore, quo videre poterant, & euitare impendentem ruinam, noluerunt sibi de meliori euentu prouidere. Ideo Deus in loco videntium, id est, in meridiana luce noctem inducet, ita ut cum alij apertè videant, sibi que caueant ab imminente clade; ipsi tamen errent cœci, & ad saxum offendant, in foueam cadant, & in profundum deuoluantur præcipites. Hoc idem Deus minatus est impijs per Amos cap. 8. vers. 9. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Et Ieremias cap. 15. vers. 9. *Occidit sol, cum adhuc esset dies.*

D Alij putant illud in loco videntium, idem esse quod publicè, id est, in omnium conspectu: ut tyrannorum supplicium terrori alijs esset, & exemplo. Neque aliud videtur esse, quod Dauidi peccatori dictum est lib. 2. Reg. ca. 12. vers. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum illud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Vtraque sententia probabilis, vtraque optimè cadit in Iobi supplicium, quam sine dubio his verbis compungit, & exagitat Eliu.

Vers. 27. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias eius intelligere noluerunt.* Hi autem scientes volentesque recesserunt à Deo: neque attenderunt animum ad diuinam legem ut quod ab ea præscriptum esset, intelligerent, quominus sibi ab omni flagitio temperarent. Ut autem ab hoc libro plurima expresserunt Scriptores alij facti, ut quæ proximè audiui-mus ab Ieremia, & Amos; sic etiam Dauid hunc locum in Psalmum 35. vers. 4. contulit, vbi de impio dixit: *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Vers. 28. *Ut peruenire facerent ad eum clamorem egeni: & audiret vocem pauperum.* Illud ut consecutionem dicit, non habitudinem finalis causæ: non enim ideo isti tyranni oppreserunt pauperes, ut clamarent ad Deum, & illum iniuriarum vindicem appellarent; sed ut

33.

34.
Impij cœci
sunt & errant,
cum alij sūt
in meridiana
luce.

35.

36.

37.

ex illorum exuuiis aliquod sibi compendium captarent fecerunt tamen dum pauperes inclementer urgent, vt clamarent ad Deum, quorum ille voces audit non grauatè, & illorum vlciscitur iniurias. Hæc verba Iobum designant, de cuius tyrannico dominatu, aut putat, aut simulat Eliu conquestos esse pauperes. Porro clamare ad Deum pauperum iniurias, & spolia à potentioribus direpta, aut negatam mercedè, in sacris literis sapius audimus. Exod. 22. *Vidua, & pupillo non nocebitis: si leseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.* Deut. 24. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue advena, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum.* Et Iacob cap. 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, que fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit.*

38.

Verf. 29. *Ipsò enim concedente pacem, quis est, qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum, & super gentes, & super omnes homines?* Hic locus in varias patet explanationes, & sensus, in quos item variè distrahantur interpretes. Ego omiſſis aliis illum puto non alienum, qui dicit liberum esse Deo, vt supremo Domino, vniuersique moderatori, de rebus pro sua potestate, suo arbitratu liberè statuere, siue condemnare, siue pacem concedere hominibus, vt illos in abundantia, & rerum omnium tranquillitate viuere permittat. Sed addo mihi videri magis idoneum sensum, & omnino germanum, qui hanc libertatem ad tyrannos tantum coarctat, & eos, qui impiè viuunt, & reipublica pacem assidue turbant, dum publicas rationes produnt, vt suas, priuatàsque constituent. Non poterat inficiari aut ignorare Eliu esse aliquos impios, qui in magistratu essent, & fœliciter viueret. Quod latè probat Iobus suprà c. 12. & c. 21. cuius ille orationè audierat. Atque ideo illius rationibus respondendum putabat, cum sententiam hoc loco videretur astruxisse contrariam. Reddit ergo rationem cur scelerati nonnunquam dominari permittantur à Deo sequenti versu; non quidem, vt tyrannum, atque impium extollat, & ornet, sed vt per illius insanum, & barbarum ingenium subditorum peccata coërceat, & puniat; sicut carnifici gladius porrigitur, & excelsus locus, vt homicidæ, & proditori caput amputet, aut è sublimi loco præcipitem agar. Quare honor ille, vel potestas non datur carnificis, aut tyranni meritis, sed illius in peccatoris iugulum armatur manus. Id planè docet versu sequenti, qui sane aliter cum præcedentibus, nisi duriuscule contexi non poterat. Non improbo quod alij putant, quòdque nuper dicebamus, esse probabile: sed dico, hoc mihi videri minus difficile, & expeditum magis. Quare ad hanc cogitationem explanationem attempero.

39.

Ipsò enim concedente pacem, quis est, qui condemnet. Quasi dicat, si Deus impio imperium, potestatemque permittat, sinatque vitam agere tranquillam, quis illum ideo reprehendet, aut damnabit, quasi iniquus sit iudex, aut quid hominum merita postulent, ignarus. Cum illi causa non defuerit grauis, & honesta, cur illi

gladium, & potestatem tradat. Neque si dicas, non esse condemnandum tyrannum, aut impium, cui Dominus pacem, & abundantiam indullit, longè aberit ab hac cogitatione sententia. In hunc sensum; *Quis condemnabit hominem specie impium, qui nempe talis communiter habetur, si Deus illi pacem, honoremque tribuerit, cum Deo pro suprema potestate id faciat, neque cur id faciat, ratio desit idonea.*

Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum? Ille dicitur vultum abscondere, qui indignatus est, qui alios ad suum aspectum supplicem non admittit, se denique aliis inexorabilem præbet. Sic Iobus suprà cap. 3. verf. 24. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Isai. 54. verf. 8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te.* & iterum cap. 59. verf. 2. *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* Erit igitur sensus; Si Deus ab impio seu tyranno faciem auerterit, seu absconderit, id est, condemnauerit, & illi se contrarium ostenderit, quis erit, qui vultum eius contempletur. Quasi dicat, quis faciem illius placatam aspiciet, & benignam, cum illam Deus ad furorem finxerit, & omnino se inexorabilem ostenderit. *Videre autem alicuius faciem* ex Hebræorum idiomate, idem est atque benignè ab aliquo, atque familiariter accipi. Sic Iosephus dixit fratribus suis Genes. 43. *Non videbitis faciem meam.* Et 2. Reg. ca. 14. *Dauid de Absalom, Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Esther cap. 1. verf. 14. *Septem viri Principes dicuntur videre faciem Regis, & primi post Regem residere soliti.* Hæc verò eò etiam spectant, vt Iobum callidè affligant, & lacerent, cum existimetur semper fucatam habuisse sanctitatem, & hypocriti suam dissimulasse malitiam: quare vt ab hac, quæ videri poterat inertia, Deum defendat, ait.

40.

Auerrere, vel abscondere faciem ab aliquo, indignationem, videte faciem, fauorem signifi-

Verf. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Hic locus satis à nobis proximè explicatus est. Est autem hæc sententia quam verissima, licet proposita ab autore non bono. Cuius habemus alias in Scriptura similes. Isai. 3. verf. 4. inter alia incommoda grauissima hoc etiam addit in prophetia minaci; *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis:* Osee 13. verf. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Quem locum hîc grauius tractat Gregorius, & Irenæus libr. 5. cap. 24. & alij Patres non semel. Vide Pinedam, qui hac de re latius. Illud non omittam, quod eam in rem perquam optimè adduxit Plutarchus de fera numinis vindicta c. 4. *Deus quibusdam in aliis tanquam carnificibus usus est ad sumendam de aliis malis pœnam. Quod verum esse de plerisque tyrannis arbitror. Quemadmodum fel hyana, & phoca, aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad sanandos morbos vitæ: sic nonnullis morbu, & pœna indigentibus Deus iniiciens tyranni alicuius fauitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem non antè, id quod excruciat, ac turbabat, sustulit quam vitioso morbo liberasset, ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, Orthogoras Myro, & Clistenes Syconius.* Hæc Plutarchus.

41.

Deus regnare permittit impio propter hominum peccata.

Verf. 31. *Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.* Quia longam sibi loquendi

42.

Locus impio traditur sublimis non tam ad eius honorem quam ad eius suppli-

quendi facultatem sumperat Eliu, ne videretur egisse minus prudenter, & urbanè, admonet iterum Iobum, ut ipse quoque de Deo loquatur: ut si quid minus verè, aut cautè dixisse existimetur, illud aut retrahat, aut explicet. Hic observandum ad, & in aliquando in Scriptura idem esse quod de, ut diximus in nostris commentariis super Acta, ad illud ca. 2. *David enim dicit in eum.* ubi exemplorum satis: ad illa adde ex Ieremia duo cap. 22. vers. 11. *Hac dicit Dominus ad Sellum*, id est, de Sellum, & cap. 27. vers. 19. *Hac dicit Dominus ad columnas, & ad mare, & ad bases;* id est, de columnis, &c.

Ad & in aliquando idem quod de.

43. Superbi cum laudari volunt de suis alios erratis interrogant.

Verf. 32. *Si erravi tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.* Placuerat sibi, opinor, in suis verbis Eliu, & laudem sibi captabat ab his, qui aderant, quam tamen pudicè, atque honestè exigere non poterat apertè, & sine simulatione. Ergo quam manifestè non audet, artificiosè extorquere contendit. Est autem artificium familiare superbis, & ambitiosis, quia eo consilio continere se videtur, & abiicere, ut laudentur ab aliis: quod vitium heu nostris sæculis sic increbuit, ut nusquam non occurrat etiã in claustris. Quod optimè docuit hinc Gregorius, *Arrogantes*, inquit, *viri habere inter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt. Hac videlicet faciunt, non quo de dictis suis ambigant, sed quo ab audientium iudicio fauores quarant.* Et paulo post, *Sicut saepe contingit, ut bona loquatur, & mali multa Eliu fortia paulo superius se dixisse meminerat, & securus idcirco, ne fortasse errauerit, requirebat. Neque enim requireret si se errasse credidisset. Est namque, ut dixi, propria arrogantium fraus, ut tunc de errore requirere studeant, quando se nouerint non errasse.* Quod superbiè genus eo grauius est, quo sub humilitatis umbra turpitudinem celat. De quo sic Hieronymus; *Multo illa deformior est superbia; quae sub quibusdam humilitatis signis later. Nescio enim quomodo turpia sunt vitia, cum virtutum specie celantur.*

44. Verf. 33. *Numquid à te Deus expectat eam, quia displicuit tibi?* &c.] Coniectare licet ex verbis Eliu tam in hoc, quam in præcedenti versu, hæc verba Iobum audisse inuitum, tulisseque molestius, idque aut ore distorto, aut auersis oculis, aut alio corporis motu significasse. Cui ideo dixerit Eliu, non esse cur hæc verba tam tulerit impatienter, cum suum fuerit peccatum, nõ Iobi, si quid in illa oratione peccatum, quam tam sibi displicuisse significat. Non, inquit, à te Deus expectat eam, nempe iniquitatem, de qua abs te doceri studeo, quam non tu dixisti, sed ego. Neque tamen ego ideo reprehendendus videor: neque enim hæc dixissem, nisi abs te quodammodo prouocatus, ut Dei causam tuerer, quam abs te violari, aut oppugnari videram. Quare si quid tibi melius occurrit, liberam facio loquendi & obloquendi facultatem: age igitur expecto quid dicas. Hæc satis verisimiliter, neque ex multis sententiis vllam inuenio impeditam minus.

45. Verf. 34. *Viri intelligentes loquantur mihi: & vir sapiens audiat me.*] Cum inuitatus, & quasi laceffitus Iobus adhuc taceret, existimasse videtur Eliu illud ex ignoratione, & stupore

A ortum esse silentium. Quare de Iobo quasi de amente, & stolido nihil curat. Neque cum illo putat ulterius producendum esse colloquium. Quare viros aduocat intelligentes, qui ad loquentem sublimia, & grandia eruditas, & elegantes aures aduertant, cum in Iobo neque ingenium sit capax, nec disciplina, quæ tanti viri, eximique philosophi sapientiam capiant.

Verf. 36. *Pater mi, probetur Iob usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.*] Videtur in Iobum succensere grauius Eliu: quia ipsius orationem responsione dignatus non est. Quare illum sapientiæ vocat, & disciplinæ prorsus expertem, & quem manu nequit, lingua vulnerat, & addit insuper imprecationem diram, cui tamen speciem religionis, & pietatis obtendit, precaturque Deum ut suam causam, nomenque defendat à maledica, & petulante lingua: neque desinat in sua impietate obstinatum hominem torquere: donec edoctus flagellis, dicat iustitiam, & diuinam maiestatem reuereri. Appellat autem Hebraico idiomate, quod videtur Idumæi habuisse commune, Iobum *hominem iniquitatis*, id est, insigniter iniquum. Vocat item Deum *Patrem suum*, aut quia sic Deum salutabant Idumæi: aut quia hæc vox in filiis, qualis videri volebat Eliu, amorem indicat, & obseruantiam. Et sanè *Patrem* nomen esse religionis, & diuinitatis, probat Turnebus lib. 18. c. 8. & Seruius ad illud 2. Georg. *Huc ades o Lenæe pater.* Vnde Iupiter, Mars, Apollo, Bacchus patres salutantur. Quo artificio homo callidus declinare voluit odium, & inuidiam ab his, qui aderant, quorum aliqui non malè censerì poterant in Iobum animati. Hæc omnes communiter aut tenent, aut indicant: à quibus ego non discedo. Sed addam præterea, quod mihi videbatur non improbabile, & magis ad textum, neque tamen lectori meo persuasum.

D Suspiciabar illum, quem suum appellat patrem Eliu, esse Eliphazem, qui pater appellari poterat, & quia natu maior, & quia sapientia primus: quare cum illo seorsum tanquam omnium Principe locutus est Deus. c. 42. appellarat autem eruditæ aures, quæ sapientiam suam, quam vulgarem esse non putabat, acciperent; nunc eosdem hortatur, ut hominem virgeant iniquum, & blasphemum, & eò tandem adigant, ut de Deo, ut par est, religiosè loquatur, neque linguas contineant, aut religiosum impetum coerceant, donec hoc ab ingenio peruicaci obtineant. Cum hac porro explicatione benè consentit, quod statim subditur.

E Verf. 37. *Quia addit super peccata sua blasphemiam: inter nos interim constringatur.*] Quia hinc ad superiorem vitam impiè, atque tyrannicè, transactam, blasphemiam nunc addit contra Deum, constringamus illum: pro nostra in hominem impiam autoritate, & sentiat in nobis esse, quos diuini nominis violati dolor tangat, & zelus. Et tunc si libet, laceffat Deum, & ad iudicium legitimum appellet, & prouocet. Quasi dicat, talem esse relinquendum ex eo conflictu, ut Deum deinceps blasphema lingua ad iudicium prouocare non audeat. Est autem hinc meo iudicio euidentis ironia.

ARGUMENTVM CAP. XXXV.

INSTIMVLATVS acrius Eliu, quia à Iobo se contemni arbitrabatur, in illum non minus quàm ante impatienter inuebitur, & quadam obicit impia, atque stulta, quæ aut ipse fingit, aut ex verbis Iobi malè ratiocinando componit: Quæ dum sapienter confutare se putat, impiè ipse, & insipienter agit. Arguit quidem Iobum quasi aliquando dixerit Deum ex hominum peccatis aliquid captare compendij, dicitque Deo neque quicquam accedere posse lucri ex hominum iustitia, neque ex eorum iniquitate nocumenti, quia Deus in cælo procul ab hominibus est, quò hominum opera, qualiacumque fuerint, peruenire non possunt: qui grauis est, & infantilis error, cum Deus ubicumque locorum sit, & vniuersa compleat. Docet tamen, licèt illi ex hominum factis, atque consiliis nullus usus aut nocumentum adueniat, Deum tamen hominum preces, & clamores audire: quòd si illos à tyrannorum inclementia non liberat, in causa esse illorum peccata, quæ Deus igne iribulationis punire, aut expiare vult; & ideo maximè quòd in creatorem, & benefactorem Deum ingratum habent, & immemorem animum. Ad extremum admonet Iobum, vt Deum sibi studiorum mutatione placet, sin minus plura ab illius indignatione & grauiora metuat.

CAPVT XXXV.

A

PARAPHRASIS.

1. **I**gitur Eliu hæc rursus locutus est:

2. Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceret: Iustior sum Deo?

3. Dixisti enim: Non tibi placet quòd rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccauero?

4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.

5. Suspice cælum, & intueri, & contemplantur aethera quòd altior te sit:

6. Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatae fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

7. Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iustitia tua.

9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.

10. Et non dixit: Vbi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

1. 2. 3. 4. Cum Iobus nihil ad obiecta responderet, inchoatum sermonem continuauit Eliu, dixitque: Quid tibi in mentem venit, ò hominum stultissime, vt iniustum diceret esse Deum, aut te illo saltem iustiorum esse diceret? Dixisti placere Deo, quòd rectum non est, & illum aliquod ex hominum peccatis captare compendium. Respondebo igitur sermonibus tuis insipientie plenis, & docebo amicos tuos, quorum nunc infantiam admiratus sum: quomodo Dei causam, & nomen à maledico sermone tueantur.

5. 6. 7. 8. Suspice cælum, & aetheream regionem attentius intueri; vbi suum sibi Deus domicilium locauit; ex quo si sapias, facile cognosces, quàm sit supra te longè sublimior: vnde etiam colliges ex tuis siue honeste, & iustè, siue impiè, & sceleratè factis, ad Deum nihil posse pertinere, cum ad sublimem illius locum hominum conatus, atque consilia non aspirant. Quare illi nihil aut opis afferes, aut nocumenti. At homo qui eodem tecum loco, atque ordine viuunt, tua saepe opera, ac patrocinio inuari, & tuis insidiis, ac fraudibus ledi, ac violari potest. Quare illi tua iustitia proderit, aut nocebit impietas.

9. 10. Et ideo homines ad Deum clamant, vt tyrannorum frangat potentiam, aut ulciscatur iniurias; quia à tyrannis opprimuntur, quos tamen Deus interdum audit, licèt illis non tangat dolor, aut iniuria. Interdum verò illos malè iactari tyrannorum, atque impiorum

A *piorum vexatione permittit, quia creatoris sui nomen non agnoscunt illorum beneficiorum immemores, quæ nocturnæ quietis silentio celebrare debuerunt.*

11. Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.

12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

13. Non ergo frustra audiet Deus, & Omnipotens causas singulorum intuebitur.

11. 12. 13. *Illud verò beneficium est maximum quod instar obtinet omnium, quod homini data est intelligentia, & mens, quæ non iumenta solum, sed etiam volucres longissimo superat intervallo. Propter horum beneficiorum ingratiam oblivionem non audiunt, cum vociferantur oppressi, quando illos improborum hominum superbia diuexat. Quare Deus non sine causa quorundam preces non admittit, aut respicit, quia in illis nulla inuenit merita, quæ ipsius misericordiam flectant, atque sollicitent.*

B *Deus non sine causa quorundam preces non admittit, aut respicit, quia in illis nulla inuenit merita, quæ ipsius misericordiam flectant, atque sollicitent.*

14. Etiam cum dixeris: Non confide-
rat: iudicare coram illo, & expecta eum.

15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.

14. 15. *Ergo, ô Iobe, cum de Deo adeo fueris impie locutus, ut Deo providentiam, & curam tam aperte negaueris, licet tanta blasphemia aliquid hæcenus pœnarum exolueris, plura tamen ab eius indignatione etiam atque etiam expecta. Neque enim satis dum expiatum est scelus, & adhuc habet iacula quæ in tuum caput ultor intorqueat.*

C *Ergo, ô Iobe, cum de Deo adeo fueris impie locutus, ut Deo providentiam, & curam tam aperte negaueris, licet tanta blasphemia aliquid hæcenus pœnarum exolueris, plura tamen ab eius indignatione etiam atque etiam expecta. Neque enim satis dum expiatum est scelus, & adhuc habet iacula quæ in tuum caput ultor intorqueat.*

16. Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

16. *Quare, ô viri sapientes, frustra Iobus, & insipienter loquitur, & orat, dum de Dei queritur inclementia, aut à tot malis liberari desiderat. Cum impie loquendo diuinam in se concitet iram, neque illam morum mutatione placare studeat.*

Verf. I. Igitur Eliu hæc rursus locutus est.]

A *CRIVS* iam agit Eliu instimulante furore, quem ex Iobi taciturnitate conceperat, quia se putabat ab illo haberi despiciatui. Illud igitur confectionem indicat. hortatus enim fuerat viros sapientes, è quorum numero se esse putabat, ut Iobum vrgerent, rationumque vinculis constringerent, ut ab illo exculperent errorem illum intolerabilem, qui ipsius animo penitus infederat. Consentaneè igitur ad hanc cogitationem, ad disputationem intercisam reuertitur, & multa obiicit impia & stulta, quæ in hominem religiosum, & prudentem convenire non possunt: quæ aut ipse fingit, aut malè ratiocinando colligit ex verbis Iobi, quæ aut non intellexit, aut in alienissimos sensus malitiosè detorsit.

A Deo in iudicium cap. 23. v. 3. ostendere videbatur, iustiorē esse suam, quàm Domini causam. Sed hæc ut suis locis, & proximè capite præcedenti docuimus, sensum habent modestum, & piū.

Verf. 3. *Dixisti enim, non tibi placet, quod rectum est: vel quid tibi proderit si ego peccauero?* Neque hæc verba vsquam à Iobo dicta inueniuntur. Sed ex verbis Iobi veris, atque simplicibus, malitiosè, & callidè cauillatur Eliu, & hanc utcumque blasphemiam concinnat. videtur autem ex illis verbis hanc expressisse sententiã, quæ legimus cap. 9. v. 22. *Innocentem, & impium ipse consumit.* & statim, *de pœnis innocentum rideat.* & cap. 10. *Quare mundum me esse non pateris? si impius fuero, va mihi est; & si iustus, non leuabo caput.* Quare ut malè meditabatur Eliu, iudicasse videbatur Iobus ex hominum pœnis aliquid lucri captare Deum, quæ putabat humanis iudicibus esse similit, qui hominū ideo peccatis gaudet, quia habent, quos iudicent, & cōdemnent, & ex illorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo etiam medici grassari morbos optant, precanturque hominum, maximè locupletum, corpora tentari, ut aliorum incommoda ipsis diuitias pariant. Ita puto secum cogitabat Eliu, dum hæc verba affingit veritati, & adscribit Iobo: dum ait illum dixisse; *Non tibi placet quod rectum est.* Significat Deo virtutem, & pietatem non placere, quia non habet ex quo

2. *Verf. 2. Nunquid aqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres, iustior sum Deo?* Quasi dicat: quid tibi in mentem venit, ô homo hominum stultissime, ut iniustum diceres esse Deum, aut te saltem illo iustiorē prædicares? Vbi hæc dixerit Iobus non habemus, neque ostendere potest Eliu, & sunt sine dubio longè falsissima: unde tamen aut malitiosè, aut insipienter intulerit exploremus. Dixerat Iobus aut dixisse videbatur se iustum esse, atque innocentē, & tamē à Deo iniuste puniri. & ca. 19. v. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non aequo iudicio afflixerit me.* Et cum Iobus cupere se dicebat venire cum

ex quorum damnatione compendium capter, cum dixit, *Quid tibi proderit, si ego peccauero?* Indicat ad Deum ex hominum peccatis aliquid voluptatis, & lucri peruenire. Quis hæc de homine non prorsus insano cogitaret? Sanè talis iudicabatur Iobus ab Eliu, cum dixit de illo cap. 34. vers. 35. *Verba illius non sonant disciplinam.* Adde ad extremum Gregorij verba, quæ absque dubio verissima sunt; *Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Iob dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut & superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia inuectione procedunt, etiam inuebendo mentiantur. Et cum non possunt reprehendere iuste, quæ sunt, reprehendunt mentiendo, quæ non sunt.*

Verf. 4. *Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.*] Satis piam causam suscepisse videri poterat Eliu, nisi ipse confinxisset peccata, quæ cum stomacho reprehenderet, & statuisset scopum sibi, quem iaculando peteret. Vult itaque respondere non Iobo, quia Iobus nihil eorum dixerat, quæ hic contumeliosè confutantur; sed suis somniis, atque deliriis, quæ alterius innocentia falsò, atque prudentia supponit. Sed prouehitur ulterius huius arrogantia, neque enim tantum Iobum reprehendere, atque docere vult, sed etiam tres amicos illius, qui & maiores erant natu, & sapientia opinione præstantes. Existimat enim illos tale de Iobi sermonibus tulisse iudicium, quale ipse aut parum attentus, aut prorsus ignarus informarat. Cùmque ad hæc, quæ ipse tantoperè nunc exagitat, nihil contra attulissent, imperitos illos iudicabat, neque habere aliquid à sapientia præter nomen solitarium, & vacuum. Quod satis ostendit, amplificauitque cap. 32. Ait ergo respondendum esse Iobi sermonibus impietatis, & insipientia plenis, & docendos Iobi amicos, quomodo Dei causam, & nomen à maledico sermone tueantur, & Iobo de ipsorum exultante victoria silentium indicant.

Verf. 5. *Suspice caelum, & intueere, & contemplare aethera, quod altior te sit.*] Eò spectat hæc disputatio Eliu, vt probet nihil ab homine siue boni, siue mali, ad Deum peruenire posse, atque ideo nihil Deum ab homine in iudicando, ac puniendo spectare compendij. Argumentum verò, quo ad huius pronuntiati confirmationem vritur Eliu, illius indicat insignem ignorantiam. Concludit enim in cælo Deum, ita vt neque terram, atque vniuersum compleat, neque cum hominibus sit. Ita putat Hieronymus & Beda; quod arrogantem illum Philosophastrum crassæ cuiusdam ignorantia coarguit. Tota enim ea ratio in locorum distantia, ac diuersitate consistit, quasi ad Deum, qui tanto ab hominibus interuallo discluditur, peruenire nihil possit, peruenturum vtique, si prope nos esset, aut vbi à nobis adiri, aut conueniri difficile non esset.

Verf. 6. *Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicata fuerint iniquitates tua, quid facies contra eum?*] Ex hac locorum tanta distantia efficit Eliu, ex hominum peccatis nihil Deo accedere posse nocementi, quia ad illius tabernaculum, cælestique domicilium, hominum conatus, & scelerata consilia non aspirant. Quomodo verò peccata contristant Deum, aut per opera nostra Deo aliquid accrescat, aut pe-

reat, tractant subtiliùs scholastici doctores. vide S. Thomam 1. 2. q. 21. art. 4. & ibi interpretes illius.

Verf. 7. *Porrò se iuste egeris, quid donabis ei?*] Sicut ex hominum peccatis Deo nihil inferitur damni, sic neque ex illorum iuste, atque honestè factis, nihil accrescit boni: in vtramque enim partem valet illa ratio, si tamen aliquid ratio valet Eliu, quia nimirum Deus in altis habitat, & ad illius sedem nostra qualiacunque facta non perueniunt. Quæ ratio valeret plurimum, si de hominibus esset institutus sermo, nam si locum elegissent præaltum, atque omni ex parte munitum, qui nullum hostibus præberet accessum, nullum timerent malum ab hostili manu: & quidem iuxta hominum sensum de Deo ita nonnunquam loquuntur homines. Sic sanè David P. salm. 90. *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Quid si hoc modo loqueretur Eliu, haberet, quo suam sententiam assereret ab errore: sed quòd aliter senserit, suadet facillè, quod proximè succedit.

Verf. 8. *Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia.*] Quasi dicat, homo, qui tecum commoratur, quem conrectare potes, & affligere, qui tua sæpe opera, & patrocinio iuari potest, leuari tuo potest auxilio, & tua violentia atque calumnia torqueri. At Deus, qui altius posuit tabernaculum suum, quàm quo attoni possit humana facultas, neque timet ab homine violentam manum, aut ab illius cauet insidiis, neque ab illo quicquam expectat emolumentum, aut auxilium implorat.

Verf. 9. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.*] Probat quòd proximè dixit, hominibus hominum impietatem nocere, & miserorum ab aliis leuari posse calamitates. Alioquin qui calumniis violentorum, & tyrannorum manibus opprimuntur, non clamarent, eiularèntque, vt vel Deus, vel homines potentes, ac pij suppetias ferrent laborantibus; & vim iniustam, iusta vi repellerent. Quos dominus interdum audit, & licet illum proximè non tangat dolor, aut iniuria noceat: tangit tamen misericordia, quæ alienum dolorem facit suum: & quæ inferuntur aliis, irrogari sibi deputat iniurias. Et tacitè reprehendit Iobum, quòd negasse videbatur, vt falsò putabat Eliu, diuinam prouidentiam: cum bonos ab improbis vexari permetteret, ac violenter opprimi. Et rationem reddit, cur miseros tyranni insectentur impunè, vbi etiam indicat, cur Deus Iobum assiduè, miserabiliterque clamantem non audiat.

Verf. 10. *Et non dixit, vbi est Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte.*] Clamat miser, & eiulat, cum violentorum vrgent calumnia, & vexat improbitas: neque auditur, ac liberatur à Deo. Non quia non possit, sed quia homo, qui talia patitur, non meretur: quia cum propter alia beneficia gratias non agat, neque Dei recerdetur à quo creatus est, neque vbi sit Deus inquirat, ad quem preces dirigat, & vota, indignus est quem Deus placido respiciat vultu, & se contra vim aliorum armatam protectorem opponat.

Illud

11.

Illud qui dedit carmina in nocte, varias habet explicationes. Septuaginta ita legunt; *Qui dedit carmina in nocte, custodias.* Quem locum varie exponunt Græci, Catena auctor hic diuinam protectionem videtur cognoscere, qui ita præest hominum custodia, sicut imperator, qui castris inuigilat, cauetque assidua ac singulari prouidentia, ne quid illis durum, & repentinum accidat. Atque ideo noctem in quatuor diuidit vigilias atque custodias militari more. Chrysostomus hoc idē sentit, sed aliter explicat. Ait enim Deum prouidisse, ne quid homo patiatur à feris: dum enim illæ noctu vagantur, illi domi se continent, & somnos capiunt. Origenes nocturnas hæc custodias Angelos putat; *Vniuersum*, inquit, *huius temporis spatium nox est: & quidem custodias, atque excubias opus fuit, quæ hanc ipsam noctem tuerentur, ut illi, inquam, qui sunt in custodia collocati, nocturnasque vigilias agunt, eos, qui versantur in nocte, à latronibus, à belluis, ab hostibus defendant. Sed quinam custodes sunt, nempe qui castra metantur, Angeli.* Iuxta quam expositionem indigni iudicantur homines, quos Deus in adueritate respiciat; & protegat, qui tot cumulati, in dō & onerati beneficiis, neque quas possunt vices referunt Deo, neque illorum grata memoria recordantur.

12.

Nox in quatuor vigilias diuisa, quæ buccina clangore distinguuntur.

Neque Septuaginta lectio cum translatione vulgata conciliatur difficilè: quæ enim à vulgata dicuntur *carmina*, eadem non malè dicuntur à Septuaginta *custodia*, nam qui excubias agunt nocturnas, aut clamant assidue, aut clangunt buccina, denique aliquo modo se vigilare significant. De clamoribus, qui etiam appellari possunt *carmina*, est illud Isai. cap. 62. vers. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* De buccinarum clangore, qui nocturnas vigilias distinguit, multa reperimus apud profanos, quæ Idumæis quoque fuisse communia non est improbabile. Sicut tertius, aut quartus lapis, pro certo locorum spatio sumitur, sic tertia, vel quarta buccina, aut tertius vel quartus tubarum clangor, pro tertia, vel quarta custodia seu vigilia noctis vsurpatur. Vegetius lib. 1. cap. 81. & Frontinus lib. 1. cap. 5. à buccinatore dicunt diuisas esse vigilias. Silius Italicus lib. 7. distinguunt dicit mediam, id est, tertiam vigiliam, à secundo buccinæ clangore.

--- Mediam somni cum buccina noctem

Diuideret, itaque excubias sortitus iniquas

Tertius abrupta vigilaret ad arma quiete.

Hæc de Septuaginta translatione, quæ neque cōsistenda est, neque admodum discrepat à vulgata.

13.

Sed clariùs vulgata, & ad Hebraicum textum accommodatius; *Qui dedit carmina in nocte.* Quæ verba varie exponunt interpretes. S. Thomas, Caietanus, & Lyra hæc carmina illustrationes esse putant, visionesque nocturnas, quibus instruuntur homines, & de morum conformatione, aut futuris rebus admonentur. Alij in *carminibus* cælorum ornatum, & ignearum formarum admirabilem ordinem, & pulchritudinem intelligunt, quia nos ad diuinam sapientiam carminibus celebrandam inuitant. Ita communiter Hebræi, & Hebræorum asseclæ, Eugubinus, Vatablus & alij. Sunt qui in nocte tribulationes intelligunt, & quicquid in malis numerat mortalis infirmitas; in *carmini-*

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A tatem diuinis laudes, aut alacritatem, quæ non solum patienter sustinet, sed etiam libenter subit, & appetit ærumnas. ita Gregorius, Hieronymus, Beda, Titelmanus.

Hæc ego licet omnino probare non possim, improbare non audeo. Quid autem minus mihi videatur difficile, paucis ostendam. Et primum obseruo vsitatum esse in Scriptura, ut actio, pro illius, (ut dicunt Logici) obiecto adhibeatur. Sic arma, aut minæ inimicorum, quia terribilia sunt & formidanda; terror dicuntur, aut pauor, aut timor noster, Isai. 8. *Timorem eius ne timeatis*, id est, arma. Et paulò post, *Dominus ipse pauor vester, & ipse terror vester*, id est, timendus est vobis. Sic *visio* pro spectro, *spes* pro re sperata, & ut ad rem propius accedamus, *laus*, & *laudatio* pro re laudata, seu laudabili. Psalm. 115. de Deo, *laudauerunt laudem eius*, id est, facta laudabilia, & illustria. Ieremia 17. *Quia laus mea tu es.* Quod item apud Latinos vsitatum. Virgil. lib. 1. *Æneid.*

En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudis. Sic etiam hic *carmina*, seu *cantica* sumuntur pro rebus, aut beneficiis celebrari dignis: qualia sunt innumera, quæ à Deo in homines collata sunt. *Qui dedit carmina*, id est, qui largitus est dona immortalis carmine, & æterna laude celebranda, & quorum nunquam est deponenda memoria. Illa porro carmina data ideo dicuntur in nocte, quia laudando Deo nocturnum silentium magis est opportunum. Quare sæpe Deus aut laudatus dicitur, aut laudandus in nocte. Psal. 41. versiculo 9. *In die mandauit Dominus misericordiam suam; & nocte canticum eius*, id est, cantabo in nocte, quæ in die accepi beneficia, & Psalm. 118. versiculo 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psalm. 133. versiculo 2. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Thren. 2. versiculo 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Et Sapient. 16. versiculo 27. Hebræi pro celestibus acturi Deo gratias, ante solem surgere iubentur. Sic autem ibi de Manna; *Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, ut notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam.*

Vers. 11. *Qui docet nos super iumenta terra: & super volucres cæli erudit nos.* Inter alia carmina, id est, beneficia celebranda carminibus, illud est pro mille, quod homini data est intelligentia, & mens, quæ sunt reliquis animantibus negata. Quæ faciunt, ut quicquid est in vniuerso bonorū, id homo ad suum vsum, voluptatēque conuertat. Quid enim est tā abstrusum, atque reconditum, quid tam dissitum, aut infra nos, aut supra nos, quod nō inueniat ratio, faciātque suum, ac tandem sibi admoueat, atque coniungat: & quod homo viribus, aut velocitate obtinere nequit, id ingenio suo, innatæque solertia consequitur. *Efficimus* (inquit Cicero lib. 2. de natura Deorum) *domitu nostro quadrupedum uestiones, quorum celeritas, atque vis nobis ipsis affert vim, & celeritatem. Nos onera quibusdam bestijs, nos iuga imponimus: nos elephatorum acuti simis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur. Nos è terra cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras.*

N n Et

14.

REGVLA.
Actio pro illius obiecto.

15.

Carmina pro rebus carmine celebrandis.

Nox orationis & diuinis laudibus opportuna.

16.

Mens homini data, cui Deus res natura maximas, innumera, que subiicit.

Et post pauca; *Quid verò? Hominum ratio non in celum usque penetrauit? Quare cum Deus homini rationem indidit, & mentem, terram illi, mare, aëra, & cælum quodam modo subiecit, & materiam dedit continui cantici. Indidit sane Deus animantibus aliis suam quoque intelligentiam, seu instinctum, & impetum naturalem ad opera plane admirabilia, de quibus non pauca postea à cap. 39. Sed illa præ hominum intelligentia, aut nullo sunt aut exiguo loco.*

17. *Verf. 12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.]* Hæc quæ de diuinis in hominem beneficiis dicta sunt, quæ homines ad carmina, id est, ad perpetuam laudem, & commendationem inuitant parenthesis videntur esse à reliquis discludenda, & coniungenda cum versu 9. ubi clamaturi dicuntur à tyrannis oppressi. Qui ideo hic dicuntur non audiendi, quia tot onerati beneficiis, neque Deo gratias agunt illorum largitori, neque ab illo se quicquam accepisse recordantur. Horum autem verborum gerimana est, facilisque sententia, hanc ob causam, ingrati videlicet obliuionem, non esse à Deo audiendos gemitus, aut admittendas preces miserorum, cum illos improborum hominum superbia, & tyrannica potentia vexauerit.

18. *Verf. 13. Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum. intuebitur.]* Rationem adhuc magis aperit, & amplificat, & docet non sine causa Deum quorundam preces nonmittere, sed potius illos hiantes relinquere, & miserabiliter clamantes, quia videlicet in illis nulla inuenit merita, quæ ipsius misericordiam sollicitent, & flectant. Et licet alij aliter sentiant, quia hæc auctores variè dissentiunt, ego consequenter superiora hæc ad miseros, & oppressos pertinere arbitror, qualis tunc erat Iobus, qui cum clamaret vrgentibus malis, clausas tamen videbatur Dei aures habere, aut inexorabilem animum, quia vt cogitabat Eliu, frustra clamabat, qui cum Deo sibi nullam inierat gratiam, beneficiorum memor, atque laudator, sed potius oratione blasphema, atque impia illius animum procul auertisset. Ait igitur Eliu, Deum singulorum causas diligenter expendere, neque ignorare, quid quisque faciat, cogitève. Quare si hunc audit, benignèque compleditur: illum verò deserit, & in suo squallore tabescere permittit, nõ esse sine causa, illum enim piũ, & humilem esse nouit, hunc verò impiũ, superbũ, & totius humanitatis expertem. Quare licet aliquando serò, quia patienter expectat, vt meliorem amplectatur viuendi formam, punit tamen aliquando, & à sua misericordia prorsus excludit. Hæc videtur satis ad textum, & mentem Eliu ac-

A commodata sententia. Alias omitto, quia variè sunt, nec omnino soluta, & ego longus esse nolo. Sed hic obseruandum, negationem prioris hemistichij repetendã esse in posteriori: quod apud Hebræos vsitatum est, in hunc sensum; Non ergo Deus sine causa à miserorum precibus aures: & non sine causa ab illorum miseris oculos auertit.

Verf. 14. Etiam cum dixeris, non considerat, iudicare coram illo, & expecta eum.] Hæc manifesta ad Iobum, quem monet Eliu, vt suam causam semper expendat, morèsq; discutiat coram Deo: id est, illum suum esse iudicem accuratè consideret, id enim valet, *iudicari eum Deo.* Etiam cum apud se cogiter Deum humana neque curare, neque aspicere, ita vt plura expectet vulnera, & maiora rerum, & corporis incommoda; neque enim exaulta sunt diuinæ vires, aut exaturatus furor, quem peccatorum prouocauit multitudo, & grauitas. Hæc satis videntur dici consequenter. Possunt tamen aliter exponi, & fortasse meliùs, ita vt illud *cum dixeris, non sit quo tempore dixe. is, sed quandoquidem dixisti.* Tunc verò hic erit sensus; Graue fuit peccatum illud quod tunc admisisti, cum dicere ausus es tantam in Deo obliuionem esse, tantam inertiam, vt nostra non consideret: illud itaque tecum, & coram Deo, etiam atque etiam considera: nam licet illud Deus tam acerbè videatur punire cœpisse, non tamen omnino supplicium sumpsit: adhuc brachium habet extentum, adhuc in pharetra sagittas habet, quas in tuam caput, & præcordia iaculetur: illorum adhuc expecta tuorum scelerum rigidum vltorem.

Verficulo 15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.] Hæc aperta sunt, & cum proxima explicatione consentanea: tantum enim dicit Iobum pro meritis non satis dedisse pœnarum, sed amplius esse aliquid, quod timere debeat.

Verf. 16. Ergo Iob frustra aperit os suum: & absque scientia verba multiplicat.] Colligit Eliu quid hac sua disputatione efficere voluerit, neque id esse putat incertum, aut exiguum. Hæc illius opinio est, aliorum, qui melius philosophantur, non item. Infert enim, verba Iobi fuisse nihil aliud quàm vacuos, & sine mente sonos: in quibus nihil esset quod scientiam oleret, aut sanam mentem. Dicitur autem os suum aperuisse frustra, aut quia nihil dixit, quod viri probent prudentes, & pij, aut quia dum petit à tot rerum, & corporis incommodis liberari, assequatur nihil, quia lingua petulanti, atque impia diuinam in se inflammauit iram, neque illam oratione supplice, & morum mutatione placare studet.

ARGV

ARGUMENTVM CAP. XXXVI.

APTATA Rhetorum more benevolentia, atque attentione inchoatam disputationem persequitur Eliu, & Deum ab omni iniquitatis suspitione liberat, docetque potentes homines, non quia potentes, sed quia peccatores, à Domino puniri: à cuius indignatione neque alieni sunt pauperes nisi manus, aut animum à scelere contineant. Deinde iustitiæ, & æquitatis amantibus fœlicem promittit fortunam, & rerum abundantiam. Quare hortatur Iobum, si ad priorem statum aliquando redierit, in re iudiciali nullo habito personarum delectu æquitatem seruet, traditque præcepta ad iudiciorum integritatem opportuna valdè. Et primum monet, ut medietur secum sapientem esse Deum, & potentem omnia, à quo timere omnia debet quicumque de illo audacter aliquid, aut temerè loquatur, ut autem illius sapientiam, ac magnitudinem ostendat, canticum repetit longum, & ab antiquis etiam sæculis cantari solitum in quo admirabilia quædam explicantur, & sanè non ineleganter, quæ diuina solertia quotidie ad hominum siue salutem, siue supplicium operatur.

CAPVT XXXVI.

A

PARAPHRASIS.

1. **A**ddens quoque Eliu, hæc locutus est:
2. Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pio Deo loquar.
3. Repetam scientiam meam à principio, & operatorem meum probabo iustum.
4. Verè enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.
5. Deus potentes non abiicit: cum & ipse sit potens.
6. Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.
7. Non auferet à iusto oculos suos, & reges in folio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.
8. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.
9. Indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.
10. Reuelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut reuertantur ab iniquitate.

1. 2. 3. 4. Neque hic constitit Eliu longa, & ideo insuavis oratio, cui aliquid continenter attexuit, dixitque, ut sibi auditorem Iobum beneuolum redderet, & attentum non longè se progressurum esse dicendo; & eò præsertim orationem incumbere, ut Dei causam pro virium suarum facultate tueatur, cuius nomen Iobus audaci lingua vidauerat. Repetam, inquit, quod pridem mecum meditatus sum, quodque esse volui mea philosophiæ primum, maximumque principium; nempe in factore meo nullam inueniri posse iniustitiæ labem. Neque quicquam è Iobe, affragam veritati, neque tu, ut opinor, scientiam meam, & eius fundamentum improbabis.

B

5 6. 7. Et primum hoc statuo, non ideo homines à Deo contemni, atque abiici, quòd potentes sint; quia aliter Deus eodem seipsum iudicio damnaret, cum & ipse sit potens. Sed in hominibus potentibus impietatem, & violentiam punit, dum causam tuetur, & ulciscitur pauperum. Non enim Deus à iusto quicumque fuerit oculos auertit; neque iustum Regem à folio deturbat, in quo perpetuò sublimis sedet, & pacificè regnat.

C

8. 9. 10. Quin si pauperes ipsi egestate premantur, neque ab illa minus quam à ferreis vinculis constringantur, si tamen illi tyrannorum ingenium, & mores imitati violenti fuerint; & aliis cooperti flagitiis, non lenius quam tyranni ac Reges punientur. Alloquetur tamen illos Deus, non molli atque paterna voce: sed seuera, & graui ut corripiat,

N n 2 & pun

11. Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.

12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & confumentur in stultitia.

13. Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum uincti fuerint.

14. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.

15. Eripiet de angustia sua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius.

16. Igitur saluabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

17. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciûmque recipies.

18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te:

19. Depone magnitudinem tuam ab-que tribulatione, & omnes robustos fortitudine.

20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.

21. Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

A & pungat, & ad aequitatem, & iustitiam adducat.

11. 12. 13. Qui si audientes se diuina exhortationi præbuerint, fœlices implebunt, atque gloriosos dies: sin autem diuina contempserint monita, prout illorum exigit uasanus stupor, ante suum tempus gladio cadent. Hi enim qui sanctitatem simulant, & honestatis fucata specie turpitudinem celant, furorem in se diuinum acuunt; neque dum diris urgentur incommodis utiliter clamant, quia non benè cum hypocrisi conuenit supplex oratio.

B 14. 15. Hi mortem oppetent infœlicem, & subitam, qualis solet in tempestate, aut subita ruina contingere. Et vita tam erit ignobilis, & sordida, qualis eorum esse solet, qui suos instituerunt mores effœminatè, ac molli-ter, longè aliter accidet his, qui ut pauperes sunt, sic etiam ad suum statum consentaneè vitam agunt piam atque humilem longè à tyrannorum ambitione diuersam. Hos enim benignè alloquetur Deus, & à malis urgentibus eripiet.

C 16. 17. Quòd si meliora, ô Iobe, mediteris, & in voraginem, cuius est os angustum, & sine fundo immensa profunditas, fueris demersus, inde te Deus propitijs eximet, & mensam prius inopem omnium ciborum suauitate complebit. Hactenus te quasi magnorum scelerum ream iudicauit, & vehementer afflixit; si honestè deinde uixeris non minus tua merita liberali atque paterna manu compensabit.

D 18. 19. Si quando verò diuina te beneuolentia ad priorem fortunam & iudicalem potestatem reducat, ne rursus ab illo deturberis, eò tibi diligenter enitendum est, ne ira præceps, aut conturbato animo ad iudicandum accedas, nec te donorum multitudo à rectè iudicandi uia aliorsum at. Teque ipsum in ferendo iudicio ita moderare, ut deponas inflatos spiritus, & ad aliorum te mediocritatem accommodes; ne illis tribulationi sis aut terrori. Neque te potentium fortitudo à rectè iudicando deterreat, sed illos quasi è media turba euocatos equali cum alijs lege constringe.

E 20. 21. Illud præterea caue ne ad altam noctem opus iudiciale producas, quando in tenebris, & solitudine multa audent homines; qua in luce, hominûmque conspectu non audent. Tunc enim ascendent populi frequentes, quorû turpis est causa, ut ea pro se dicant, quæ in luce, & spectantibus alijs probare non possint. Neque committas, ut quando iterum cum imperio ac potestate fueris ad iniquitatem, blasphemiamque declines, ad quam te cum iaceres in sordibus proiecisti.

22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.

23. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?

24. Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri-

25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.

26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inestimabilis.

27. Qui aufert stillas pluuia, & effundit imbres ad instar gurgitum.

28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.

30. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

31. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.

32. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adueniat.

33. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.

A 22. 23. Quod autem de Deo iudicè reuenter, ac pie loqui debeas, multa non hortantur solum, sed etiam cogunt: primum, quia æquissimus est, & sapientissimus legislator, & usque ad eum fortis, ut rebelles quoscunque puniat, & in officio inuitos licet, & repugnantes contineat. Quis erit tam audacis ingenij, qui illius tentet scrutari consilia, aut tam stupide mentis, qui in illius operibus aliquid iniquum deprehendat.

B 24. 25. 26. Memento, ô Iobe, illius carminis antiqua parentum nostrorum, & recentis memoria celebrati, in quo docemur diuina opera esse magna, neque posse ab humana intelligentia cognosci. In quo cantico iam vulgari, ac trito hæc quæ dixi, præcipue popularis etiam turba cantillat. Cuius carminis hoc est exordium, cognosci quidem ab hominibus Deum, procul tamen, & obscure. Ecce enim magnus est Deus, ad quem mentis nostræ acies quantumcumque perspicax aspirare non potest, cuius annorum numerus notari non potest, aut cognosci, cum illos vna tantum metiatur æternitas.

C 27. 28. Cuius imperio sic obsequuntur nubes, ut alibi terram sic relinquunt aridam, ut nulla in illam gutta stillat ex cælo; alibi sic assiduis irrigent imbribus, ut illam vasti aquarum gurgites oppluisse videantur. Quod eò magis est mirabile, cum nubes, ex quibus decidunt pluuia, tam inæqualiter, æqualiter interdum totam terram operiant.

D 29. 30. Si illi placuerit momento temporis nubes expandit, ita ut totam circumfundant terram, & ipsos quoque maris terminos operiant, non secus, atque si quis vellet explicare tentorium, quod inuolutum gestabat in via. Quæ nubes non aliter illuminantur, & collucent fulgure, quam principum tentoria distincta gemmis lapillisque micantibus.

E 31. Per illas fontibus supplicia, & infontium meritis mercedem rependit. Per has minatur mala, & promittit quæ ex terra mortalium vita sperari possunt alimenta.

32. 33. Lucem verò ea facilitate dispensat, diffundit ac condit, qua nos illa ostendimus, aut claudimus, quæ gestantur in manibus, quæ explicata porrigimus manu, & eadem contracta negamus. Illam porro lucem, quasi possessionem propriam suis Deus amicis promittit, & annunciat, dicitque illos visuros esse post tenebras lucem, & ad illam reuersuros esse fortunam, ex qua prius ad modicum tempus exciderunt.

Verf. II. *Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quid pro Deo loquar.*]



ONGAM orationem habuerat Eliu, & non temerè existimabat, & Iob præcipuè, & aliis, qui aderant, accidisse molestam. Quare in exordio id præstat, quod Rhetores monent, quando auditores existimantur esse defessi, neque libèter audituri quod reliquum est. Tunc enim promittitur oratio breuis; & in qua res dicantur eiusmodi futuræ, vt nihil vulgare sonent; nihil non magnum, nihil non religiosum & pium, in quo audiendo neque opera ponatur inutilis, neque ingrata, aut difficilis attentio. Quare sermonem dicit se facturum pro Deo, cuius Iobus nomen exagitauerat audaci lingua. Quæ res facillè inuitaret, attentasque redderet curiosas, ac religiosas aures: quales erant illorum, qui priùs contra Iobum pro diuina prouidentia, atque æquitate certauerant. Obseruat autem hoc loco Gregorius in Eliu, in quo arrogantium hominum agnoscit ingeniù, interdum qui in sua sibi sapientia placent, dum suæ student gloriæ, diuini ambitioni suæ nominis reuerentiam prætere. *Quia sæpe, inquit, arrogantes sibi sentiunt silentij reuerentiam non deberi, Domini nonnunquam potentiam, de quo quasi loquuntur, insinuant, ac sub prætextu illius, sibi silentium exigunt, quod minimè merentur: & dum specie tenus Deum proferunt, auditum sibi ex reuerentia eius exigentes, se student magis ostendere, quam illius facta predicare.*

Verf. 3. *Repetam scientiam meam à principio: & operatorem meum probabo iustum.*] Comparata vtcumque beneuolentia, & attentione, quod opus est exordij, qua de re instituenda sit disputatio edocet. Et primùm ne quid temerè dixisse videatur, quod ab audacia iuuenili timeri poterat, ait nihil à se dicendum quod non fuisset priùs accuratè, ac diu meditatus; imò ab eo ductum sibi fuisse philosophiæ principium: id enim valere arbitror, *scientiam meam à principio*, de quo mox. Et tandem, vt gratum se ac memorem ostendar beneficij, quod à Domino recepit, cum ipsum in vitalem hanc, & communem auram, & lucem euocauit ex nihilo, iustum illum contra Iobi calumnias, atque blasphemias probaturum esse dicit. Illud *scientiam meam à principio*, quidam sic exponunt, alius repetam, & à suo principio rem deducam. Quod Septuaginta indicant, cum ita transferunt; *Suscipiam scientiam meam de longè*. Quod recentiores etiam faciunt, quibus adde Chaldæum, & Hispanicam translationem, quæ ita reddit: *leuantare mi saber de luone*. Et clariùs Tigurina; *Afferam enim, quod cognitum habeo, verum non pressius agens*. Et communiter omnes sic accipiunt, à suis principiis, & fontibus disputationem esse ducendam. Sed cur hæc communis explicatio minus placeat, facit quod priùs Eliu breuem promiserat orationem; ne quid ab ipso molestum acciperent auditores, quos ad reliquam disputationem habere volebat non difficiles. At quod breuitate promissa consecutus fuerat homo non stultus, aut obliuiosus, id totum in orationis exordio de-

struxisset, si longè, id est, à suis principiis sermonem ordiendum esse proponeret. Quare placet potius, quod antè cogitabam, dixisse nimirum Eliu diu se illa quæ dicturus est, fuisse meditatam, & illud suæ philosophiæ fuisse principium, vt bene de Deo sentiret, & vbique locorum, & gentium illius consilia, & opera probaret. Neque translationes aliæ vna excepta Tigurina contrarium probant. Illud enim *de longè* non magis dicit repetendum esse aliquid à fundamentis, & rerum origine, quàm quod longè antè illud tempus in suorum studiorum principio didicisset.

Verf. 4. *Verè enim absque mendacio sermones mei.*] Hoc quoque ad attentionem, & beneuolentiam facit, dum nihil dicit affingendum esse veritati. Quibus verbis oratorio more Iobum pertrahit in inuidiam, quasi mendacibus figmentis diuinam fidem, & prouidentiam oppugnaret.

Verf. 5. *Deus potentes non abiicit, cum & ipse sit potens.*] Erat Iobus potens, & Rex, vt norunt omnes, & nos supra Proleg. 4. pluribus ostendimus: putabatur etiam ab Eliu, & ab aliis etiam plurimis impius & hypocrita, quia dæmon illos in falsam illam cogitationem impulerat. Cum autem nonnemo existimare posset ideo Iobum à Deo horribili plaga fuisse percussam, quia potens erat, & potentium nomen inuisum putaret esse Deo, qui se pauperum patronum esse affirmat, ideo primùm hanc de Deo suspicionem ex suorum auditorum animis remouet, dicitque non ideo homines à Deo contemni, atque abiici, quòd potentes sint. Quod ea ratione probat, quia si potentes eo damnaret nomine, quòd potentes sint, se ipsum vtique damnaret, cum & ipse sit potens. Quis autem nisi inuerecundus, & amens illum arguat, atque condemnet ob illud scelus, quod à se, vt maximè cupiat, remouere non potest. Cur autem Deus potentes oderit, & cruciet statim edocet.

Verf. 6. *Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.*] Contingit, idque multo frequentius, quàm vellemus, vt qui potentes sunt, illi quoque sint impij, audaces ad omnia, quique existiment licere sibi quidquid libeat, imò & sibi ius datum à natura, vt alienis opibus vtantur pro suis: vnde pauperum sequitur spoliatio, indigentia, luctus, & clamor, què exaudit Deus, & illorum consolatur mœrorem, & iniurias vlciscitur. Non igitur Deus Principes, & potentes punit, & cruciat, quia potentes sunt, sed quia impij, sed quia potestatem suam tyrannico corrumpunt imperio, quia pauperes euertunt, & opprimunt, quia dum suæ student gloriæ, diuinam produnt, & abiiciunt. Hinc efficit Eliu puniri Iobum, non quia opibus abundaret, & Regio splendore fulgeret, sed quia Regio nomine, & potestate abusus, spoliasset pauperes, quorum Deus suscipit, & iudicat causas.

Verf. 7. *Non auferet à isto oculos suos, & Reges in folio collocat in perpetuum.*] Hæc aperta sunt

3.

4.

5.

Deus potentes nō odit, quia potentes sunt, sed alias ob causas.

sunt magis, quam vera, fauerent quidem, si modo vera, partibus Eliu. Nam si Reges qui iustitiam colunt, stabile habent, atque perpetuum Regnum, nunquam à Regio solio depulsus esset Iobus, & ad sterquilinijs sordes, & ignominiam abiectus. Hoc fundamentum commune cum alijs Iobi amicis habuit Eliu, qui temporarium hoc supplicium, seu veriùs incommodum indictum tantùm esse sceleribus putabant, quasi iusti ab huiusmodi malis prorsus essent immunes. Quod sine dubio omnes à diabolo didicerant, qui acutè nouerat illud magnam Iobo allaturum esse molestiam.

6. Verf. 8. 9. *Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.*] Hæc plus quam proxima veritatis habent, licet enim Deus patronus dicatur, & pater pauperum, si tamen illi scelerati fuerint, & inflato spiritu, aut spirante minas, tyrannorum, & Principum mores imitentur, eodem illos Dominus insectabitur modo, quo tyrannos crudeles, & impios. Vt enim Deus non abiicit potentes, quia potentes sunt; sed quia inflati opibus, & abusi potentia tenuiores opprimunt, & à Dei obseruantia impudenter recedunt; Sic etiam non fauet pauperibus, quia pauperes sunt, sed quia humiles, modesti, addicti Dei voluntati, & qui in Deo spem locarunt suam. Nam si illi crudeles fuerint, raptores, violenti, non alio illos loco Deus habebit, quam potentes, & qui tyrannicos spiritus imbiberunt. Hoc autem modo Iobum in paupertate, ac dolore, cum clamat assiduè, à Deo tamen exaudiri negat, quia regios adhuc alit spiritus, neque adhuc tyrannicum exiit ingenium. Vbi obseruandus dicendi

Deus non fauet pauperibus, quia pauperes, sed quia modesti, & humiles.

7. *Pauperes in summis erit angustis despiciat Deus, si inflato sint animo.* modus, quo pauperum significatur, aut ferinus animus, qui ad aliorum diripienda bona, aut etiam cædem anhelat: aut præceps alius, & immoderatus affectus, qui tamen non erumpit in opus, quia à paupertatis incommodis impeditur. Sicut multi tandiu furorem à vindicta cohibent, manus à rapina, lasciuos motus à damnata venere, quia clausi tenentur in custodia, neque manus à manicis, neque pedes à vinculis expeditos habent. Sic quos paupertas impedit, neque quicquam ad vim, & cædem facultatis concedit, licet manus habeant inermes, animos tamen habent armatos; & spirantes iram, quæ explere non possunt. Hos itaque pauperes iudicat Deus, & punit seuerè: non secus, ac tyrannos, quia tyrannico sunt animo, etiã si manus habeant innocentes. dixit hoc perquam optimè Seneca epist. 42. cuius hæc verba referre libuit;

8. *Multi in humili fortuna tyrannicos habent, & superbos spiritus.* *Multorum, inquit, quia imbecilli sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires sua placuerint, quam illa que iam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicanda nequitia desunt. Sic turtor serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortune fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt.*

9. *Deus ea loquitur peccatori, quæ à peccando deterreant.* Verf. 10. *Reuelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquatur ut reuertantur ab iniquitate.*] Hos autem viros, siue pauperes qui vitam semper tenuem, & indigentem duxerunt, qui tamen spiritus alunt insolentes, cum sint paupertatis vinculis impediti, (qui vocari possunt violenti, quia violentiam meditantur,

A licet ad tyrannica studia vires sint infirmæ) siue ex Regio solio ad paupertatem, & æqualem miseris fortunam descenderint, hos, inquam, viros alloquitur Deus. Neque enim illorum prorsus curam abiicit, hortaturque, vt saniora, quam antea cogitent, seque ipsos ita comparent, vt dignos inueniat quos completatur amantet, quos cumulet bonis, & ornet honoribus, quos vel habuere nunquam, vel quia illis abuli fuerunt intemperanter, amiserunt. Quid portò sit *aurem reuelare*, diximus nuper ad illud cap. 33. verf. 16. *Tunc aperit aures virorum.*

B Verf. 11. *Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.*] Sicut quæ proximè diximus, etiam hæc eò spectant, vt Iobum, qui vinculis paupertatis, & dolorum constrictus à Domino tenebatur, ne, vt cogitabat Eliu, ad vim, rapinas, & cædes euolaret, ad pœnitentiam adducant, promittunt enim omnia quæ homines amant, & deputant in bonis, & quibus dum abundaret Iobus, fortunatus censebatur: Quales sunt opes, & terræ cumulati fructus, quæ ad finem vsque dicuntur non defectura; id enim valet, *complebunt dies suos in bono*: id est, ad sepulcrum vsque Dominum suum iam vita functum comitabuntur. Qualis item Regia dignitas, subditorum obseruantia, & apud omnes prudentiæ & sanctitatis opinio, & quæ ipsius nomen reddunt venerabile, & gratum, hoc enim promittit illud, & *annos suos in gloria.*

C Verf. 12. *Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.*] Contraria contrariis opponit, & promissioni minas, his, qui se admonitioni diuinæ obsequentes præbent dies promittuntur secundi, & læti, & anni gloriosi, nunc iidè, si diuina monita respuerint, diræ obiiciuntur, & horribiles minæ; dicuntur enim subituri gladiatorum acies, in quibus omnia intelliguntur corporis vulnera, & valetudinis incommoda, quæ non erunt paucorum dierum, sed quæ vitam adæquent, neque deficient prius quam vita deficiet. Illud *in stultitia deficient*, aut significat tales homines, qui diuinam admonitionem, aut reprehensionem non admittunt, donec è viuis excedant, iudicandos insipientes, & stolidos: vel propter stultitiam, stuporèmq; mentis obstinatæ morituros. In porò idem esse quod propter, factis est notum his qui mediocriter in Scriptura

10.

11.

Peccatorem quis exiis maneat.

In idè quod propter.

E Verf. 13. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei: neque clamabunt cum vinciti fuerint.*] Hæc verba licet de hypocritis, id est, de his, qui artificiosè sanctitatem simulant, vniuersè dici videantur, directò tamen Iobum appetunt, eumque maximè cruento spiculo compugunt. Cum enim paupertatis illum vinculo constringerent, & talia pateretur, qualia ad tempus illud hominum nemo, quod ego legerim: tamen vt malè meditabatur Eliu, tam longè aberat, vt mutaret mores, & ad Deum supplex clamaret, vt ad rapinas, vim, & tyrannidem,

12.

nidem, blasphemiam addiderit, & quem antea ad iram prouocarat hypocritis, nunc blasphemiam instigat, & inflammat vehementius.

13.
Mori pacificè seu in tempestate quid.

Verf. 14. *Moriatur in tempestate anima eorum, & vita eo um inter effeminatos.*] Eadem iterum, atque iterum inculcat Eliu, & malam Iobo, atque immaturam mortem denunciat, & vitam ignobilem, & turpem: moritur ille in tempestate, cui vis, aut alia quæuis causa grauis & turbida vitam adimit, neque illum pacatè naturæ vis mitior, aut necessitas extinguit. Quod opponitur morti pacificæ, qua videlicet homo in scriptura dicitur *in pace mori*. Sic lib. 3. Reg. capit. 2. præcepit Dauid Salomoni filio ne canos Iob, quem expertus fuerat infidelem, ad sepulcrum deduceret pacificè. Quo loco diximus, *pacificè*, aut *in pace mori* illos, qui non vi extrinsecus allata perierunt, sed aut senio confecti, aut morbo consumpti: ita ut non tam homo à ferro, aut hominum iniuria, aut subita ruina, aut tempestate, quàm à natura ipsa mortali videatur extinctus. Hoc puto significari *in tempestate*, quæ plerumque repente ingruit, & securum hominem, ante suum tempus abripit, & perimit, ut in naufragio experiuntur quotidie, qui absorbentur à fluctibus; & quos vibrata è nubibus fulmina conficiunt. *Mori itaque in tempestate*, idem est, quod immaturam mortem oppetere. Quod expressere Septuaginta dum vertunt *ev vólnsi*, id est, *in iuuentute*, quod item alij penè omnes ex Hebraico textu transtulerunt, licet non eodem sensu. Nam quidam *in iuuentute* ætatem considerant immiruram, & infirmam, & hoc communiter, alij stuporem, & ignorantiam, ut expressè reddidit Tigurina; *Moriatur*, inquit, *anima eorum per iuuenilem stoliditatem.*

14.
Effeminatorum vile nomen.

Et vita eorum inter effeminatos.] Effeminati illi dicuntur, qui molles alunt, imbelles, & muliebres spiritus, qui nullo, aut certè vilissimo sunt apud omnes loco: aut certè qui muliebria patiuntur, & venali pudore quæstum faciunt omnino nefarium. Qui ut mulierum in modum aliorum se libidini prostituunt, sic virile nomen amiserunt, etsi non omnino femineæ: licet ita nunquam, effeminati tamen appellantur. Hebraicè dicuntur *דשק קדשם*, qui sunt iidem, qui pathici, seu cinædi. Hi verò tam sunt omnium opinione viles, & abiecti, ut qui sordidissimi sunt, eorum dicantur esse similes. Simulatoribus itaque & hypocritis mortem, denunciat Eliu intempestiuam, & celerem, qualem afferre solet inexpectata tempestas: & vitam non magis honestam, & decoram, quàm ducunt effeminati, qui aut muliebri sunt, aut imbelli spiritu, aut muliebrem in modum aliorum libidini succumbunt. Ceterum vsitato scripturæ more, inter illos aliquis esse dicitur, qui illis similis est, ut Psalm. 25. versic. 17. *Lauabo inter innocentes manus meas.* Neque apud profanos exempla desunt, & in hac ipsa materia optimum habes apud Iuuenalem satyra 2. vbi inter cynædos esse dicitur, qui ea notatur infamia.

—Castigas turpia cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cynædos.

Aliud effeminatorum genus adduximus in

A nostris commentariis in libr. 2. Reg. ad illud cap. 3. de Abner; *Nequaquam ut mori solent ignaui, mortuus est Abner.*

Verf. 15. *Eripiet de angustia sua pauperem: & reuelabit in tribulatione aurem eius.*] Redit ad versum 10. in quo de paupere egerat, quem allocutus est Deus, ut iniquitatem detestatus, ad meliorem se referat viuendi modum. Interposuerat autè quædam à versu 11. quæ claudi poterant parenthesis, quia nonnihil ab instituto filo videbantur aliena. Si autem hæc cum illo versu 10. coniungas, non erit difficilis consecutio, ac sensus, dixerat enim; *Reuelabit quoque aurem eorum, ut corripiat, & loquatur, ut reuertantur ab iniquitate.* Nunc post parenthesis addit; *Eripiet de angustia, &c.* Quali dicat, si pauper ille, quicumque sit, diuinam vocem gratis acceperit: & meliora quàm antea, meditetur, eripiet illum Dominus de paupertate, & angustia, & cum grauiore vrgeant ærumnæ, alloquetur illum, nimirum verba, non quæ timorem afferant, sed potiùs, ut detergant, non ut contrahant, sed ut diffundant atque exhilarent contractum animum.

Verf. 16. *Igitur saluabit te de ore angusto latissimo, & non habente fundamentum subter se.*] Hæc inferni, ac damnatorum carceris videtur non aliena descriptio, à quo liberandus dicitur, qui maturo consilio, se à peccatorum sordibus opportuna pœnitentia purgauerit. Gehennalis namque custodia, angustum videtur os habere, quia cum facile fontes admittat, & deuoret, nõ tamen deuoratos semel, aut euomit foras, aut exire permittit. Deinde verò latissimè se explicat, quia plurimos capit, & cõtinet, neque fundamentum habet, id est, fundum, in quo consistat, propter quod abyssus dicitur, id est, locus impermeabilis; quo dicendi modo ingens significatur profunditas. Eodem propè modo infernus damnatorum carcer describitur Apocal. capit. 9. cum respectu, opinor, ad hunc locum, vbi vocatur puteus Abyssus, id est, puteus, seu vorago immensæ profunditatis, quæ nullum habet fundum. Et quidem *Abyssum* pro subterranea damnatorum, demonumque custodia sumi, locus hic Apocalypseos docet, & ille Lucæ 8. *Rogabant eum (nempe demones) ne imperaret illis, ut in Abyssum irent.*

Sed mihi videtur probabilis, loqui hîc Eliu de loco aliquo certo, & noto, profunditatis immensæ, cuius angustum esset os, & sinus latissimi, qui prouerbiali specie pro loco sumeretur caliginoso, & horrido, in quam custodia, aut supplicij gratia demitterentur rei. Qualis apud Hebræos fuit puteus ille in quem demissus fuit Ieremias capit. 38. *Summisserunt Ieremiam foveis in lacum, in qua non erat aqua, sed lutum.* & quale fuit apud Athenienses Barathrum. Ut autem hi loci pro locis ærumnosis, & obscuris sumuntur, vbi homines, & durè torquentur, & vitam agunt morti quàm simillimam, sic puto apud Idumæos vicinõsve populos altitudinis immensæ aliquam fuisse voraginem, in quã conicerentur magnorum criminum rei, vnde aut nunquam aut non nisi difficile, ac rarè extraherentur. De hoc lacu nos aliquid ad locum Ieremiæ, de quo proximè, & in cap. 12. Actor. Ait igitur Eliu, etiam si Iobus, aut alij in tales dicantur ærumnas coniecti, ut videri possint in voraginem illam, aut barathrum demissi: inde tamen

15.

16.
Inferni descriptio.

17.

tamen à Deo liberatum iri, si modò mores mutant, & se factori suo ex animo subiiciant.

18. *Requies autem mensa tua erit plena pinguedine.]* Libertatem promiserat ab omni angustia in puteo, & carcere significatam, nunc rerum omnium ad vsus, & delicias abundantiam promittit, quam in mensa significat, quam lautè instruunt adeps, & pinguedo, id est, adipati, splendidi, ac delicati cibi, quos sumit in requie, id est, securo animo, quem neque dolor ullus affligat, neque metus conturbet, neque vlla malorum suspicio sollicitet.

19. *Verfic. 17. Causa tua, quasi impij iudicata est: causam, iudiciumque recipies.]* Mirum est quam variè hunc locum versent, & accipiant interpretes, quorum si velim proponere, & explicare sententias, longus sim. Ego hìc duas in Iobo personas, aut status, temporaque considero: aut Eliu, vt reor, duos in Iobo considerabat status; alterum in quo impiè vixerat, & tyrannico spiritu, neque à Deo continebat audacem, & petulantem linguam: alterum in quo se peccasse cognosceret, & de placando Deo cogitaret. Prioris temporis, atque status dicit Iobum iam expendisse pœnas, dum spoliatus bonis, orbatus filiis, & toto percussus, atque fœdato corpore eò redactus est, vt tantum non obierit extremum diem. Hoc autem est, *iudicatam esse Iobi causam quasi impij*, id est, tale subiisse supplicium, quale à Deo impiis, atque blasphemis infligi solet. Et quia forensi agitur, & iudiciali modo, quia Iobus in iudicium venire cum Deo desiderabat, iudiciali, atque forensi verbo vsus Eliu. *Iudicatam* dicit, id est, perditam causam, quando quidem iussus est impietatis pœnas, & blasphemiae expendere. Nihilominus in statu secundo, ac meliori promittit restitutum iri integram causam, à qua iam exciderat, & iudicium, ita vt quodammodo reuocata videantur, quæ de ipso priùs statuta fuerant, & eò postliminio cum honore redeat, vnde fuerat cum ignominia depulsus. Quod tunc futurum pollicetur, cum mores mutet, & pœnitendo diluat, quas superbiendo contraxerat sordes.

20. S. Thomas, quem ex Latinis nonnulli sequuntur, hìc duo tempora in Iobo considerat: quæ acutè explicat, & valde ad superiorem Eliu distinctionem accommodatè. Dixerat enim potentes, & principes non ideo malè à Deo iactari, quia potentes sunt, sed quia pietatem & religionem abiecerunt, quare impietatem damnat, non potètiã, illam tamen ab impiis remouet, quia illos dominari, & inferiori multitudinì præesse non vult. Quod si impietatem abiciat, & suos mores ad modestiam, & sanctitatem informet, recipient causam, & iudicium: id est, potentiam, & auctoritatem, quam amiserunt, quia hæc cum religione, & æquitate perquam bellè, cum ambitiosa & barbara tyrannide nullo modo conueniunt.

21. *Verf. 18. Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.]* Iuxta ea, quæ proximè magis probabamus, duplex huius loci potest informari sententia: Altera est, vt Iobum iacentem, & abiectum instruat Eliu, quomodo ad florentem fortunam, à qua ignominiosè ceciderat, reuocari posset: & ideo præcepta quædam tradit rectè viuendi, quæ ad finè vsque capitis producit, quæ dignum, idoneumque faciunt administratione publica, quique

A cum potentia, ac splendore viuat: Altera, vt instruat iam florentem, & priori fortunæ restitutum, quomodo instituere debeat viuendi, atque administrandi modum, ne rursus in eandè, aut etiam maiorem relabatur inopiam, & ærũnam. Cùmque vtraque videatur expositio probabilis, hæc tamen posterior placet magis, quæ probat S. Thomas, & cum eo Dionysius, & Lyra. Illa porrò documenta quæ tradit Eliu, optima sunt, quæ natura ipsa docet, & vsu ipso principes edocti pernecessaria communibus rationibus esse didicerunt. Primum autem documentum est, ne quis ira præceps, aut conturbato animo ad iudicandũ accedat, neque enim qui sui impos est, de aliorum causa rectè iudicabit; neque is æquum se præbebit, quem amertem cœca illa animi violentia præcipitat. Prope autem est, vt innocentes opprimat, si in illos tunc temporis incurrit, quando furore cœcus æquum ab iniquo discernere non potest. Hoc documentum omni tempore maximè necessarium est illi, qui multitudinì præest, ne qua in illo immoderatio affectio dominetur: sed præcipuè dum alienas iudicat causas, & suum cuiq; ius seruare sanctè, atque legitime debet.

Nec multitudo donorum inclinet te.] Hoc quoque non solum vtile præceptum, sed etiam necessarium, quod in Scriptura sæpe audimus, & experientia docet, iniustum esse sæpe venale iudicium. Non hìc adducam ea loca, quæ optimum iudicem, & principem informant, quia multa sũt, & è suis fontibus hauriri facillè possunt, tantum digitum ad fontes intendam, quos lector studiosus adeat. Quam ira aliena esse à iudicibus debeat, docuit apud Isaiam Christus cap. 42. Cùm enim optimus magister explicuisset omnia iudicis integerrimi munera, multo melius quàm hìc præscribit Eliu, vt Isaias tradidit cap. 11. v. 3. tamen deinde cap. 42. de illius in iudicando clementia, & mansuetudine multis agit; *Iudicium, inquit, Gentibus proferet: non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, &c.*

D Optimam iudicij formam, & exemplar proposuit in se ipso Iobus c. 29. vbi quem in iudicando, & reque publica administranda modum tenuerat, expressit: quare hac Eliu admonitione, aut informatione nõ egebat. Alia inuenies præcepta data iudicibus non longè ab hoc sæculo, à viro Madianita socero Moyis Exod. 18. & alia à Iosaphath lib. 2. Paral. c. 19. neque pauca Eccles. c. 7. Deut. c. 6. Quæ tu ad hunc locum refer, & ab illis huic adde auctoritatem, & pondus. De muneribus est illud Deuter. 16. *Non accipias personam, nec munera: quia munera excœcant oculos sapientum, & peruertunt causas iustorum.*

E *Verf. 19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.]* Si hoc sit consilium Eliu, non quod Iobus seruet, vt ab illis emergat ærumnis, in quibus tunc iacebat despectus ab omnibus, quod nobis videbatur non difficile, sensus est facilis: hortatur enim ne cogitatione repetat antiquum gradum, ex quo cecidit; aut gloriam, in qua diu sibi immoderate placuit: feratque absque tribulatione, id est, patienter, & alacri animo calamitatem, quam vt ipsum à superbia, tyranni

22.
Optimi iudicis partes.

23.

rannicâque inclementia liberaret, Deus imposuit. Neque meditetur quid alij interea possint, quæ sint in maiestate, ut sibi fortunati sint, aliis obseruandi, atque conspicui, sed quæ sibi expediat durius à Domino tandiu fuisse vexatum. Hæc iuxta priorem explicationem, quæ sanè contemnenda non est.

24.

Si verò illa expositio placeat, quæ S. Thomæ maximè placuit, hæc etiam expositio non displicebit, quam S. Thomas adhibuit, nempe ut si Iudex pro tribunali sedeat, aut Rex in solio, deponat superbiam, & inflatam animi magnitudinem, seque ad aliorum mediocritatem, aut etiam tenuitatem accommodet, absque tribulatione, id est, antequam iterum à Deo in eandem compingatur conditionem, & angustiam, ex qua Dei beneficio nuper emerit. Neque tamen ideo abiiciendus est animus, atque constantia, quæ in iudice, & principe tanta esse debet, ut omnes robustos viros, qui opibus, atque autoritate valeant, constanter iudicent, & in eorum caput pro meritis, quod leges iubent, liberè, atque audacter decernant. Quod etiam Eccles. cap. 7. versiculo 6. præceptum est; *Noli querere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates; ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in equitate tua.* In posteriore porò hemistichio repetendum est verbum priori præpositum in hunc sensum: deponere robustos à fortitudine: id est, ne fortes esse consideres; sed illos quasi ex media turba euocatos, æquali cum aliis lege constringe.

25.

In proterabili
do potentiorum
iudicio multa
equitatis
impedimèta.

Verf. 20. *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.* Nox pro re obscura ac dubia sumitur, in qua significatione sumit S. Thomas, qui admoneri putat Iobum, ne diu robustorum, id est, potentium hominum iudicium suspendat, relinquatque dubium, & obscurum: futurum enim dicit, ut homines, qui illorum subsunt imperio, aut qui illorum crudelitatis tyrannicæ conscij sunt, aut scelerum adiutores, armati, aut ferro, aut donis, quæ non minùs oppugnant animos, & iudicia, transuertunt, quam vis armata, & ascendant in iudiciū, & cōturbent omnia, ac tandem viri potentes iudiciū potestatem datam à republica, aut principum, legumque seueritatem effugiant. Quare intererit plurimū, ne nox protrahatur, id est, ut statim inquiratur in causam, expendantur merita, & si quid deprehendatur iniustum admisisse viri isti potentes in eorum caput agatur lege. Hæc optimè S. Thomas in explicatione secunda.

16.

In nocte non
bene iudicā
tur causa.

Ego aliter exponebam, neque meam cogitationem in medium afferre grauabor, de qua lector statuat, ut volent; suspicabar primū noctem in significatione propria esse sumendam, quæ maximè opportuna est insidiosis, clandestinisque conuentibus, in quibus multa contra leges, contra fidem, atque pudorem agitantur consilia. Atque ideo neque honestum est, neque tutum ad multam usque noctem exercere iudicia, quia multa occultantur tenebris, quæ lux proderet: cum ea, quæ in luce sunt, accuratius discuti, & non sine testibus peragi soleant, quorum oculos iniqui etiam iudices vententur.

27.

RECVLA.
Absolutum
pronomen pro

Deinde suspicor illud *pro eis*, quod apud Latinos pronomen reciprocum non est, sumptum esse pro reciproco, & idem valere-

A quod *pro se*. quod in Scriptura sacra infrequens non est, ut diximus supra capit. 27. versiculo 23. ad illud, *Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum.* & probauimus ad illud Abac. capit. 1. *ex semetipsa iudicium.* vbi diximus non rarè cum reciproca est significatio, absolutum, & cum absoluta, reciprocum adhiberi pronomen. Absolutum posuit Zacharias capit. 12. versiculo 10. *Plangent eum plangente, quasi super unigenitum.* Quod planè docuit Ioannes Apocal. 1. qui respectans ad hunc locum dixit, *plangent se.* In hunc sensum explicuimus illud Isaia 25. de Moab, *Humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius:* id est, gloriam suam cum allisione manuum suarum. Huius ratio est, quia affixum pronomen tertiæ personæ apud Hebræos non magis ad reciproci, quam ad non reciproci usum patet. Quod si hæc tibi cogitatio placeat; hunc sensum, opinor, probabis non difficile; Ne ad altam noctem opus iudiciale producas, quando in tenebris, & solitudine, multa audent homines, quæ in luce, hominumque frequentia non audent. Tunc enim cum venale iudicium non impedit pudor, neque publicus rumor, & offensio clamat, ascendent populi frequentes, quorum turpis est, atque odiosa causa, ut pro se dicant, ea nimirum quæ cum in die probare non possint, tenebras offundunt nocturnas, quibus suam tegant turpitudinem, & infamiam, & iudices, aut astu decipiant, aut munerum largitione corrumpant.

B Alij admoneri hinc Iobum existimant, ne segnis sit, & iners in curanda republica, & quod in illa moderanda impendere debuit, illud somno, aut otio tempus indulgeat; neque producat noctes dormiendo, aut operam dando nocturnæ voluptati, & eam ob causam ad ignauium otium, & indignas Principe delicias, aliquid de diurno tempore decerpant, adiungatque nocturno, sperans venturos interim esse populos, qui dum ipse stertit, rem tueantur publicam, & ab ea omne periculum auertant; sed est expedita magis explicatio prior.

C Verf. 21. *Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cepisti sequi post miseriam.* Norat, ut apparet, Eliu nunquam ante miseriam loquutum esse Iobum verba blasphemix. Fecisse alia auarè, & crudeliter, & omnino tyrannicè cogitabat, licet sua illum cogitatio falleret, & linguam exeruisse blasphemam non putabat, quod nuper dixit cap. 34. v. 37. *Quia addit super peccata sua blasphemiam. Super peccata,* nimirum antiqua, *recentem blasphemiam.* Monet igitur, ut etiam linguam à blasphemia temperet: quam hoc loco vocat *iniquitatem*; nam licet ab iniquitate in administranda republica illum hactenus deterruerit, quia tamen blasphemiam peccatorum omnium maximum putabat; ideo antonomasticè illam *iniquitatem* vocat.

D Verf. 22. *Ecce Deus excelsus in fortitudine: & nullus ei similis in legislatoribus.* Hinc non difficile colligo, *iniquitatem* proximè sumi pro blasphemia, quia quæcunque ad finem capitis referuntur, eò spectant, ut Dominum iustum esse probent; & illius leges esse omnium optimas, & spectare omnia, illisque commode, atque opportunè providere, in quibus, ut falsò

28.

29.

30.

falso meditabatur Eliu, Deum Iobus impia lingua perstrinxerat. Deum primum *excelsum* vocat, atque ideo indicat, illum non posse omnino, aut plane ab homine cognosci, quia non ad illius sedem sublimem attollit sese hominum quantumcunque perspicax intelligentia, deinde *fortem*, quem nemo ex illa sublimi statione deiciat, aut turbet: nisi mauius illud *excelsum in fortitudine* coniungere in hunc sensum; *Excelsus est supra omnes in fortitudine: qui videlicet possit tyrannos, & principes in nihilum redigere, si quæ indicta sunt ab eo præcepta violauerint.* Et hoc mihi potius. Sed adhuc Deus videri cuiquam posset iniustus, cum suarum se legum vindicem præbet, quia leges esse poterant iniustæ, sicut omnibus ferme sæculis, ac Gentibus plurimæ sunt, à rerum Dominis, seu legislatoribus inductæ, quæ sine peccato observari, aut à principibus factæ, ac rectæ conservari non possunt. Eam ob rem addidit, inter legislatores neminem cum Deo posse conferri. Alij enim multas tulerunt iniustas, multas inutiles, indecoras non paucas: Neque tantum habuerunt potentia, vt ad illarum observationem subiectos sibi populos adigerent. At Deus nullam tulit legem, non iustam, non utilem, non decoram, cui potestas est, eaque maxima, qua puniat rebelles, & in officio inuitos licet, & repugnantes contineat.

ius optimarum legum lator, & vindex.

31. Versiculo 23. *Quis poterit scrutari vias eius: aut quis potest ei dicere, operatus es iniquitatem.* Ideo proximè dicebamus Deum excelsum vocari, quia nemo illius vias, & rationes scrutari potest, neque iniquitatem abiicere, cum neque in illius legibus quicquam appareat iniustam, neque à quoquam illius possint explorari consilia. Vide quæ supra diximus ad illud capit. 9. versiculo 12. *Quis dicere potest, quid ita facis? & plura deinceps in eodem capite continenter.*

32. Versiculo 24. *Memento quòd ignores opus eius: de quo cecinerunt viri.* Vulgatum videtur fuisse, & frequenti sermone usurpatum ab Idumæis, vicinisque populis inscrutabilia esse opera Dei, quæ mortalium nemo assecutus fuerit, assequique possit, quantumcunque acres ingenij sui vires excutiat. Quod notum esse Iob ostendit Eliu, cum dicit, *memento quòd ignores opus eius.* Vnde autem hoc potuerit, debueritve cognoscere, docet, dum ait, *de quo cecinerunt viri.* de quibus verbis multiplex est hominum cogitatio. Quidam dicunt hos viros amicos esse Iobi, qui paulò ante de Deo verbis locuti sunt magnificis. Alij religiosos viros diuinis aliquando vacasse laudibus, easque numeris inclusisse poeticis, & cecinisse ipsos, & aliis tradidisse cantandas. Alij aliter, in hunc sensum omnes, aut paulò ab hoc sensu diuersè. Quid mihi in re obscura visum fuerit probabilius ostendam.

33. Ante Iobi saculum numerosa cantica.

Et primum obseruo ante hoc Iobi saculum cantica fuisse numerose composita; eaque solemnè, atque legitimo ritu cantari solita, quod habemus ex capit. 4. Genes. versiculo 21, vbi Iubal pater fuisse dicitur canentium in cithara, & organis. Et si credendum est Hebræis, aliqui psalmi compositi fuerunt ab his, qui Iobi ætatem longè præcesserunt, vt ab Adamo, Melchisedec, Abraham. Sanè solemne fuit Idumæis ante Iobum canticum, in quo excitaba-

A tur Leuiathan, vt diximus supra ad capit. 3. ad illud, *maledicam ei, qui maledicunt diei.* Quod carmen solemne, atque legitimum fuisse diximus his, qui diras alicui, & durum precarentur exitium.

Deinde mihi plus est quam verisimile, verba quæ sequuntur canticum esse vulgare, quo homines etiam rudes diuinam sapientiam celebrabant, quæ ex his, quæ quotidie sensu capimus, manûque contrectamus, vbique se prodit. Quod canticum, quod reliquum est capitis complet, & maiorem capitis sequentis partem absoluit. Quare à communi hominum sensu vulgari ode significatio probat excelsum esse Deum, & illius inscrutabilem sapientiam, neque illius opera nisi admodum obscure à mortali ingenio posse cognosci. Neque mirum est adolescentem Eliu vernante adhuc ingenio canticum integrum suæ orationi, aut disputationi inseruisse, cum idem fecerit ætate iam senili Isaias, qui duo antiqua capita suis prophetiis inseruit: alterum cap. 5. de infideli, & ingrata, alterum cap. 27. de grata, atque fidei vinea. Et canticum satis longum, de quo idem cap. 26. antiquum videtur esse, & ab alio compositum. Et ad hanc cogitationem quod reliquum est Eliu verborum exponemus.

34. *Quæ sequitur vulgari canticò celebrata.*
 C Vers. 25. *Omnes homines vident eum: unusquisque quo intuetur procul.* Hoc initium est vulgaris cantilenæ, quod satis est accommodatum materia, quæ Deum ab hominibus cognitum esse dicit, procul tamen, id est, obscure, & tantum ab effectu, nempe à rebus quæ quotidie fiunt, quarum obscuræ causæ, quæque fieri nequeunt ab humana potentia, qualia sunt meteora, atque sublimia. Hæc eadem docuit Paulus ad hoc, opinor, canticum intentus, vbi Deum eodem penè modo omnibus hominibus dicit non ignotum. Sic autem Actorum cap. decimoquarto vers. decimo sexto. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* & cap. 17. vers. 16. *definens statuta tempora, & terminos habitationis eorum; querere Deum, si forte attrahent eum, aut inueniant.*

35. Vers. 26. *Ecco Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Hæc obscura non sunt, dixit idem David Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.* id est, altior est, ac mirabilior, quam vt ego consequi possim, quare quantumcunque contendam, ad illam aspirare, atque eniti non possum.

36. *Numerus annorum eius inestimabilis.* Hæc verba æternum Deum esse prædicant, quando illius anni centò aliquo numero comprehendere non possunt. Hoc sine dubio per posteriorum manus ab Abrahamo progenitore acceperunt Idumæi, qui genus suum ab Esau duxerunt, qui & ipse ortus fuerat ab Isaac.

37. Vers. 27. *Qui aufero stillas pluuie: & effundit imbres ad instar gurgitum.* Harum rerum consideratione viri sancti aut seipos ad contemplandam Dei sapientiam excitabant, & alios ad illius amorem, & obseruantiam hortabantur. Quæ in re mirus est David, qui in harum rerum descriptione suam maximè eloquentiam ostendit. Vide Psal. 147. & 103. 28. & Iobum supra c. 26. vbi per hæc opera, quorum admirabiles species sunt, & occulte causæ, cognoscitur & lau

34. Quæ sequitur vulgari canticò celebrata.

35.

36.

37.

38.

Dei potentia
cognoscitur
in dispensan-
da pluuia.

& laudatur illorum auctor, & moderator Deus. Hic porro duo vulgaris ista cantilena considerat: sic alibi aridam esse, atque infelicem terram adeo, vt nulla in illam gutta stillet e caelo, alibi sic assiduis irrigari pluiis, vt illam vasti aquarum gurgites oppleuisse videatur. Est autem ea in re admirabilis diuina prouidentia, qua regionibus aliis pluias impertit sic attemperat, vt nihil aliud ad agrorum fertilitatem, frugumque maturitatem desideret, qualis fuit terra promissionis, cui, nisi cum incolarum scelera punire voluit Deus, temporaneus, atque serotinus imber nunquam defuit. Fucunt autem alia sic infelices, & aeternae sterilitati deuota, vt nihil capiunt benignum e caelo, quales fuissent montes Gelboe, si Deus Davidis votis annuisset, quod nonnulli putarunt, in quibus Ambrosius fuisse videtur lib. 3. de officiis capit. 9. quod tamen nos in nostris commentariis ad cap. 1. lib. 2. Reg. non probabimus. Quod eo magis est admirabile, quia interdum, vt obseruatur sequenti versu, nubes totam obducunt terram; & equali, vt apparet, aquarum gurgite grauida, neque tamen omne terram irrigant, & fecundant equaliter. Quod notandum esse quasi peccatorum supplicium admonuit Deus Amos cap. 4. vers. 7. *Plui super unam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui. Pars una compluta est, & pars super quam non plui, aruit.*

39.

Alij diuinam potentiam hic agnoscere ex eo putant, quia nubes imbre grauidas laxat interdum cum libuerit: & copiosos demittit pluuiarum gurgites, interdum comprimit, & imbres cohibet defluere paratos, & facit, vt nubes subito vanescant: obducit caelum nubibus, & mundum turbat, & obnubilat: iisdemque sublatis aperit caelum, & mundum exhilarat. Idem qui imbres largos, horribilesque tempestates inducit, sic caelum serenat, tempestates sedat, & nubes exiccat, ac difflat, vt neque vlla in terram stilla descendat; Non displicet haec explicatio, quam iuuant ea, quae supra diximus c. 26. v. 8. quae tu vide, placet tamen prior.

40.

Vers. 28. *Qui de nubibus fluunt, quae praetexunt cuncta desuper.* Hi imbres, qui interdum eo impetu, ac pondere de nubibus cadunt, quo ruptis aggeribus fluuiorum gurgites circumiectos campos complent & oblimant, ex nubibus defluunt, quae vniuersam terram quam latissime obumbrant; vnde mirandum est, aliquas esse terras, in quas neque vna tantum stilla cadat. Illud praeterea accidit in hac pluuiarum, & nubium consideratione mirabile, quod obseruauimus supra c. 26. vers. 8. ad illud; *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Quia cum tenuis sit, ac mollis nubium natura, contineat tamen, atque suspendat tantam aquarum molem, ac Deo humanis rationibus prouidente, parce, ac modice dispensent imbres stillante caelo pluuiiales guttas, non vomente torrentis in modum. Quo loco eadem penè persequitur Iobus, respectans, vt opinor, ad hoc vulgare canticum. Quare non erat, cur illud maxime, cum breuis esse cuperet, repeteret Elini.

41.

Versiculo 29. 30. *Si voluerit extendere nubes, quasi tentorium suum; & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.* Potentiam Dei, & illius arcana, mirabilemque rationem ex eo cognosci posse docet Elini ex

A veteri, ac vulgari cantico, quia ille momento temporis expandere potest nubes, ita vt totam occupent terram a mari vsque ad mare (id enim valent *cardines maris*, de quibus mox) quemadmodum si quis tentorium, quod conuolutum gestabat in via explicare vellet, atque distendere, quae non aliter fulgure illuminantur, & collucent, quam Principum viatoria tabernacula distincta gemmis, lapillisque micantibus. Nunc explicanda quaedam.

Tentorium aliquid refert opere concamerato constructum: atque ideo tentorio comparatur caelum, quia concava facies fornicis, aut testudinis in modum informata videtur, Psal. 103. versiculo 3. *Extendens caelum, sicut pellem, qui regis aquis superiora eius.* Eandem habent formam oppansa nubes, saltem vt humani iudicant oculi, quae alte videntur a nostro capite sublata, illarum tamen extremae partes ad terram vsque demitti. *Nubes* autem thronus, aut vehiculum dicuntur esse Dei. Sic Psalmo citato versiculo 4. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et quidem de nube saepe locutus, & in nube apparuisse dicitur Deus Exod. capit. 16. cap. 19. cap. 24. cap. 33. cap. 34. capit. 40. & Iobi cap. 38. de quo postea pluribus. In transfiguratione vox de nube dicitur audita; & Actor. 1. Christus in ascensione a nube susceptus.

C Porro Principum tabernacula viatoria non ad vsum solum erant, commoditatemque contexta, sed etiam ad dignitatem, & elegantiam: ita vt si externam illorum faciem spectares, aliquid ibi Regium agnosceres. Quae de re nos pluribus egimus in nostris commentariis in Cantica, ad illud capit. 1. *Sicut pelles Salomonis*, id est, tabernacula, quae egregio opere elaborata, & ornamento praeclearo exulta dicebamus. Eiusmodi fuerunt aliorum Principum tentoria, in quibus ornandis non minus ponebant laboris, & impendij, quam in aula, stabilique cubili. Alexander Macedo, vt author est Aelianus de var. histor. libr. 9. cap. 3. tabernaculo in castris utebatur, quo domi non videbatur illustrius esse potuisse. *Alexandro*, inquit, *tabernaculum erat quinquaginta columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum vero tectum erat inauratum, & magnifica arte, varietateque concinnatum:* Nero, vt prodit Plinius lib. 37. capit. 2. cubacula viatoria, id est, tentoria, vnionibus, & lapidibus pretiosis construebat. De Herode prodit Trebellius Pollio eadem ferme, quae de Nerone Plinius; *Erant sigillata tentoria, & aurati papiliones.* Sic ergo Deus nubes, id est, tentorium suum fulguribus illuminauit, quasi fulgentibus lapillis: sicut aliud tentorium sublimius, nempe caelum, astrorum admirabili splendore, ac varietate distinxit.

E Extrema terrarum, quae maris spatia definiunt, & claudunt, cardines dicuntur, sicut caelorum cardines, quae extrema hominibus caelorum apparent, vt diximus supra capit. vigesimo secundo versiculo decimo quarto, vbi putabamus hunc loquendi modum familiarem Idumaeis. vide locum illum, & alium libro 1. Reg. capit. secundo, vbi multa diximus de terrae cardinibus. Cur autem extrema terra *cardines* dicantur *maris*, ea videtur communis ratio, quia ibi terrarum moles suis circumscripta terminis definitur. Sed est hic

42.

Caelum, &
nubes Dei
tentorium.

43.

Principum
viatoria ta-
bernacula
pretiosa &
pulera.

44.

est. hic peculiaris quaedam ratio. Quia sicut in cardine vertuntur forēs, quæ cum assidue, & variè moueantur, non tamen cardo, qui pondus illud suspendit, & continet, mouetur: sic intra terræ cardines, id est, intra littora agitur mare, & cum à ventis perpetuò moueatur, non tamen è sua sede, ac firmitate mouetur terra, sed in æternum stat. Eccli. c. i. v. 4. Alluitur quidem, & verberatur à fluëtibus, non tamen à sua statione conuellitur.

45. *Ex nubibus Deus hominibus, aut magna largitur comoda, aut graua ducit infortunia.*
 Vers. 31. *Per hæc enim indicat populos, & dat escas multis mortalibus.*] Iudicare hoc loco punire est, vt alibi sæpe, licet interdum fauorem significet, & opus ab animo beneuolo profectum. Quod ex eo colligo, quia statim contrarium ab iisdem causis prouenire dicitur: quasi dicat, per nubes mille Deus hominibus commoditates affert, & mille iisdem infert infortunia, per illas fontibus supplicia, per illas infontium meritis mercedem rependit, per has minatur mala, & promittit quæ è terræ sinu sperari possunt alimenta vitæ. Quomodo in nubibus, quasi in thesauris, aut armamentariis illa Deus recondat tela, quæ in peccatorum capita contorqueat, dixit Dauid Psal. 17. quem etiam lib. 2. Reg. cap. 22. nos explicuimus. Cuius rei varia Deus documenta præbuit. Primum cum ruptis cæli cataractis Noëtico sæculo mundum deleuit: & deinde Ægyptios gradinem desuper eiaculatus afflixit. & Iudic. 15. de cælo cõtra Sisaram dimicatum esse dicitur lib. 1. Reg. c. 6. v. 10. Tonãte cælo perterriti, atque fugati fuerunt Palæstini: sanè Dei arma quædã in nubibus dicuntur esse reposita infra c. 3. v. 22. Hæc autè procellæ, fulgura, tonitrua, fulmina, grandines, aut etiã immoderata, & alieno tempore aquarũ effusa proluuies, quibus homines terret Deus, & eorum in agris alimẽta prostermit; Nunquid, ait ibi Deus, *ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ praparauit in tempus hostis, in diem pugnae, & belli?* per nubes etiam hominibus alimenta præbet, dum ex illis opportunos effundit imbres, & exhilarata herbarum viriditate, terra, hominum etiam animos confirmat, & exhilarat.

46. Vers. 32. *In manibus abscondet lucem: & præcipit ei, vt rursus adueniat.*] In luce non solum intelligitur quod proprie sonat; sed etiam quod in ea metaphorico significatur sensu, nempe quicquid lætum est, & optabile, qualis esset opportunus imber, cælorum mitis, & benigna tẽ-

A pestas. Hæc itaque omnia Deus ea facilitate dispensat, id est, aut largitur, aut negat pro sua voluntate, qua negamus, abscondimus, aut porrigimus, illa quæ gestantur in manibus, quæ contracta manu absconduntur, neganturque, conceduntur explicata, & aperta. Dicitur itaque Deus abscondere in manu, siue in propria, siue in metaphorica significatione lucem, quia momento temporis ornare potest bonos, & cumulare bonis, & impios omnibus vitæ commodis, & ornamentis euertere. Quod si ad modicum tempus iustis videatur lucem subtraxisse, iuber tamen, vt rursus adueniat; & contractum animum diffundat, & exhilaret. de propria luce facilius est sententia, quam Deus subtrahit, obiectis soli nubibus, quæ terram obumbrent, & opacent, & illis dissipatis illico reducit.

B Vers. 33. *Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam posset ascendere.*] Varias hic locus explicationes, aut admittit aut patitur. Quidam annunciarum à Deo putant his, quos amat, quod ipsius sit lux, & non ad alium illius dispensatio pertineat, quando ipse pro suo arbitratu illam summouet, & occultat, aut reducit & aperit. Tunc autem illud, *& possessio eius*, ad Deum pertinet, quasi Domini sit propriæ lucis, aut metaphorica possessio, quæ ipsius omnino voluntati pareat. Alij possessionem hominis esse putant, quasi Deus hominibus amicis illam promittat, & annunciet, dicatque illos visuros esse post tenebras lucem, aut ad illam reuersuros esse fortunam, ex qua ad modicum tempus exciderunt. De vtraque luce signa sunt neque obscura, neque pauca, quæ ipsi etiã rustici nouerunt; & nauarum quibus ad rei siue rusticæ, siue nauticæ gubernationem vtuntur. De lucido, & sereno, seu turbido, aut obscuro cælo signa dedit Christus Matt. c. 16. v. 2. *Vespere dicitur, serenum erit: rubicundum est enim cælum: & mane, hodie tempestas: rurilat enim triste cælum.* de fœlici tenuiue prouentu, de corporum aduersa, seu prospera valetudine multa ex vario syderum congressu didicerunt Astrologi. Signa ventorum, aut imbrium ex brutorum motu, & multiplici sono obseruant, & sæpe sine errore illi etiam, qui inculto sunt ingenio. Quarum authores de re rustica tradidere non pauca. vide Virgilium lib. 1. Georgic. vbi hac de re copiose, & optimè, vnde cognosces quàm Deus suos amanter amplectatur, cum illos aut possessione, aut expectatione bonorum paterna sedulitate consoletur.

47. *Tempestas, & imbrium signa data à Deo.*

ARGUMENTVM CAP. XXXVII.

UM præcedenti capite antiquum, & illustre canticum adduxisset Eliu, & Dei ex eo admirabilem virtutem, & providentiam ostendisset, ex benigna rerum meteorarum influentia; nunc ex eodẽ canticò, & ex iisdem causis adducit illa, quæ hominibus infortunium afferunt, aut prænunciant, Deum in prioribus humanum, & placidũ, in posterioribus, quæ latè persequitur, docet esse terribilem. Quare impressiones illas meteoras proponit, quæ noxiæ sunt humanis commodis, aut sensibus horribiles. Et ad extremũ docet ex eodem cãtico hæc omnia quæ hominibus vsui, aut terrori sunt, in nubibus aëreæque regione cõcrescere: quæ incredibili celeritate, quasi in illis aliquid esset mētis, eò feruntur, quacumque illas diuinum destinaret imperium. Hic finitur cãticũ cuius verba suis verbis, & sensu explicat, & amplificat Eliu. Et tandem docet ab homine neque debere, neque posse diuinam explorari sapientiam, quibus verbis suam Eliu disputationem absoluit.

1. **S**uper hoc exponit cor meum, & emotum est de loco suo.
2. Audite auditionem in terrore vocis eius, & sonum de ore illius procedentem.
3. Subter omnes cælos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.
4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; & non inuestigabitur cum audita fuerit vox eius.
5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.
6. Qui præcipit niui vt descendat in terram, & hiemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.
7. Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.
8. Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.
9. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.
10. Flante Deo concrefcit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.
11. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum.
12. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.
13. Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocumque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.

1. 2. Dum hæc verba ex antiquo cantico mecum ipse considero, sic afficio atque commoueor, vt à meipso mihi excidisse videar. Reputo illius horribilem potentiam, & esse præterea, qui in Deo prouidentiam, aut equitatem requirat. Nunc quando audistis ex illo cantico illustria quædam diuinæ prouidentie documenta, nunc ex eodem audite cantico minacem illius & horribilem vocem.

3. 4. 5. Prospeçtat Dominus omnia quæ sub cælo sunt, & illius oculi sic sunt in omnes terrarum terminos intenti, vt nihil illos lateat. Postquam autem Deus peccata hominum aspexit voce sua horribili, & ingenti, nempe tonitru, irrugit non sanè temerè, & sine causa. Atque ideo sicut tonitru causa obscura sunt, & inscrutabiles, sic ab homine discuti non debent, & multo minus diuina damnari iudicia. Ille enim qui opera edit, quæ nemo satis admirari possit, tonat cum libet, & terrore concutit genus omne mortalium.

6. Deus item niuem mittit in terram, & nimbos, procellasque vehementes, quibus sternuntur segetes, & fames inducitur, & homines diuinis legibus minus obsequentes suorum scelerum pœnas exoluunt.

7. 8. Signa etiam præbet hominibus, quibus illi futuras temporum varietates antè præagiunt, vt quid rerum fieri possit, non difficile videant, & manuum suarum operam ad temporum opportunitates accommodent. Neque hominibus solum signa dedit, sed etiam mutis rationisque expertibus animantibus, vt futuras agnoscant temporum mutationes; sibi que ab illis matura fuga aut occultatione caueant.

9. 10. Ab Austro, qui ab interiori nobisque occulto polo Antartico aspirat, tempestates excitantur, & nimbi; ab Aquilonari polo frigus. Aquilone flante congelant, atque concrefcunt aquæ, aspirate Austro intepescit cælum, & coacta prius aqua larga funditur.

11. 12. 13. Frumentum, & alia terræ semina irrigari cupiunt ab aquarum pluuiialium influxu: quorum votis nubes opportuna largitate respondent. quarum imber agrorum iure optimo vocari potest lumen, & vita; quia illo demisso virescunt, & quodammodo illuminantur fruges, quæ cum marcescerent obscura videbantur, & mortua. Hæ porro nubes totum orbem incredibili celeritate permeant; quocumque illas gubernatoris sui voluntas impulerit; siue vt irrigatis frugibus sedata, atque benigna pluuia homines exhilarent, siue vt frigore, & grandine conturbent, & exterreant. Vtrumque autem diuinæ misericordiæ opus est, qui tam prosperis, quam

14. Ausculta hæc Iob:sta, & considera mirabilia Dei.

15. Numquid scis quando præceperit Deus pluuiis, vt ostenderent lucem nubium eius?

16. Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?

17. Nónne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?

18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.

19. Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe inuoluimur tenebris.

20. Quis narrabit ei quæ loquor: etiam si locutus fuerit homo, deuorabitur.

21. At nunc non vident lucem: & subito ær cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.

22. Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.

23. Dignè eum inuenire non possumus: magnus fortitudine, & iudicio,
Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A quàm aduersis nostram salutem operatur. Hæc autem rerum differentia non in vna tantum regione est, sed modo in vna tantum tribu, aut in vno loco, cum in aliis locis, aut tribubus non eadem sit aquarum dispensatio.

14. 15. Audisti, ô Iobe, antiqui canticum numerosa, atque grauisima verba: nunc me à metmetipso loquentem accipe, & Dei mecum admirabilem, & inscrutabilem providentiam & quò humana peruenire possit intelligentia attentè considera. Et primum rogo an scias quando Deus præceperit nubibus, vt quàm conceperunt fecunditatem, & lucem, effundant in terras pluuiarum influxu.

16. Numquid nosti quas habeant semitas, quæve scientia illas ingrediantur, cum nullis sint notata vestigiis? vt sciant imperata complere, & illas siue infeste, siue benigne, adire regiones, quas Deus fecundare vult sedata pluuiâ, aut procellosa, & inimica disperdere?

17. 18. Nosti cur perflante Austro vestimenta tua concepto ex illius aspiratione calore, tepescant. Quòd si hæc sublunaria, atque inferiora non assequeris, quomodo putas cognoscere te posse cælestia? An cum cælestes orbis quasi ex ære fusili formaret Deus, tute illi adiutorem in eorum molitione, aut in descriptione consiliarium præbuidisti?

19. 20. Quare, ô Iobe, quando te sapientem esse putas, & nostris oculis ignorantie offusam esse caliginem arbitraris, agedum doce nos, quid Deo non ineptè respondere possimus, si quando nostram velit explorare sapientiam; & de his rebus interrogare quarum diximus obscuram esse cognitionem. Sed quis erit tam audax vt suam presente Deo in harum rerum expositione sapientiam ostendat? Quòd si etiam locutus fuerit non ineptè, euitare non poterit, quin ipsius sapientia cum diuina comparata, non existimetur inanis, & inutilis.

21. 22. Cur autem illa superiora, atque meteora humanam fugiant intelligentiam facit eorum grandis, & repentina mutatio. Modò enim homo non videt pluuiam, quæ lumen appellatur; & cum subito in aërea regione concrecant nubes, repente tamen aspirans ab Aquilone ventus illas fugat, & dissipat; vt enim ab Aquilone magna interdum sese ostentat utilitas, quæ auri significatur accommodato vocabulo, sic etiam ab eadem plaga aliquid interdum aspirat aduersum, quod non sinit solidum esse gaudium, & sine formidine puram voluptatem.

23. 24. Quòd si meteora illa, imò & inferiora assequi potest nemo, & eorum

& iustitia & enarrari non potest.

24. Ideo timebunt cum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

A eorum causas inuenire, quomodo inuenire possumus & cognoscere Deum, cuius fortitudinem, iudicium & iustitiam nemo cogitando assequi potuit, aut explicare narrando. Atque ideo viri in quibus aliquid est sapientie, diuina speculari non audent, aut de Deo loqui nisi reuerenter, & timide.

Verf. I. Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.]



OTVM hoc caput explicatio est, aut continuatio præcedentis: in quo admirabilia quædam, & arcana proponuntur, ad quorum perfectam cognitionem peruenire non potest humana solertia. Hæc porrò verba sumpra non sunt ab Eliu è vulgari cantico, sed ex illius consideratione excitato spiritu, ab ipso ex suo sensu, atque ingenio composita. Cur ex his, quæ ab illo cantico acceperat, pauorem conceperit, ita vt à seipso excessisse videatur, obscurum est, & ea de re interpretum varia cogitatio: dicam ego paucis aliis omissis, quid mihi magis videatur expeditum. Impium antea, & blasphemum Iobum iudicarat Eliu, quia, vt ipse male cogitabat, iniquum in iudicando vocat Deum, & in illo ad res administrandas desiderabat prouidentiam. Quæ omnia canticum illud vulgare condemnabat, quod æquitatem in Deo, & prouidentiam ostendit, docetque altiora, magisque occulta esse diuina consilia, quam quæ homo scrutari debeat, aut possit. Quare dicit admirari se supra modum, & omnino expauescere, ita vt apud seipsum non sit, cum videat vilem homunculum ingenio inculto, & hebeti non solum sublimia Dei explorare consilia, sed eò peruenisse dementia, vt in illis æquitatem, & prouidentiam requirat. Quasi dicat, vix sum apud me præ admiratione, stuporeque vehementi, cum videam hominem, in cuius auribus egregium illud & vulgare carmen toties personuit, sic esse aut imprudentem, aut stolidum, vt in Deo deprehendat, quod notet, & damnet. vbi Vulgatus, *emotum est de loco suo*, Hebraic. est, *נָתַן* *natar*, quod *mouere, transferre*, aut etiam *subslire* significat: quæ omnia animu indicant perturbatum, sollicitum, quod interdum in Scriptura dicitur dissolutum, & liquefactum: quod dum contingit, homo dicitur vix esse apud se: sic nos in nostris commentariis super Cantica explicabamus illud cap. 5. *anima mea liquefacta*. Hebr. *egressa est*, quasi diceret sponsa; excidit mihi mens, prorsus obstupui.

2. Verf. 2. *Audite auditionem in terrore vocis eius: & sonum de ore illius procedentem.*] Hæc etiam verba sunt Eliu, quibus animos præsentium comparat ad ea, quæ de vulgari cantico recitare vult, in quo de diuina prouidentia, potentiaque admirabili sermo est: cumque de rebus aliis, quarum sunt obscuræ causæ, non pauca dicantur, agit tamen primo loco de tonitru quod vox dicitur Dei, quia per illud nobis horribile aliquid, & ab ipsius offensione profectum significare vult.

A Sic sanè Dauid septies in Psalmo 28. tonitru, cuius ibi horrificam vim, & naturam exponit, vocem appellat Dei, & propter illam laudandum, & colendum canit. Quem Psalmum ad huius imitationem, vel ad illum respectans videtur concinnasse. cum autem supra carmen illud de nubibus, fulgetrisque egisset, iam alias meteoras impressiones contexit.

B Verf. 3. *Subter omnes caelos ipse considerat, & lumen illius super terminos terra.*] Hæc verba sunt cantici, quæ ex alieno, non ex suo sensu recitat Eliu. Hic autem versus diuinam fatetur prouidentiam, cum canat Deum spectare ea quæ sub cælis sunt, & eius lumen, id est, oculos, vt dicemus statim, sic esse ad omnes terræ terminos intentos, vt nihil illos lateat. si quid autem in terra minus æquum, aut religiosum acciderit, ex armamentariis suis specula depromit, de quibus in hoc cantico: quæ vltice manu in sceleratorum hominum capita contorquet.

C Verf. 4. *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis sue.*] In lumine quod proximè antecessit, quidam fulgur intelligunt, quod communiter fulmen, & tonitru comitantur. Prius autem, vt ratio demonstrat physica, & ipsa docet experientia, videtur fulgur, quam sonitus auditur à discissa nube. Atque ita illi hunc locum exponunt, post lumen, id est, fulgur, rugit sonitus, id est, tonat cælum disrupta nube, vbi excussum est fulmen. Sed ideo sententia alioqui non improbabilis, mihi probatur minus, quia lumen, de quo proximè, super terræ terminos esse dicitur: vniuersos vtique, vt ex altero hemistichio mihi certum est: cuius per epexegetim hemistichium posterius continet, & explicat sententiam. At quis vniquam vidit fulgur ad vniuersos terræ fines excurrere: quare lumen, vt dixi nuper, oculi Dei sunt, qui vident omnia, quod refert hic pronomen *eum*, in hunc sensum; Post lumen, id est, postquam Deus hominum vidit opera non bona, quæ punire voluit, in tonuit de cælo, & ipso tonitru, & excusso pariter fulmine mulcavit. Et interdum tonitru ipsum, etiam si nullum excutiat fulmen supplicij satis habet, cum paulò est vehementius. De quo Seneca lib. 2. naturalium qq. c. 27. vbi cum alia tonitruorum adduxisset genera, addit; *Alia adduntur tonitrua cum globata dissoluitur nubes, & spiritum quo distent a fuerat, emittit. Hoc proprie fragor dicitur subitus, & vehemens, quo edito, concidunt homines, & exarimantur: quidam verò viui stupent, & in tonum sibi excidunt, quos vocamus attonitos.*

Quòd autè lumina sumantur pro oculis, docet

cet frequens Latinorum vsus, & nomen Græcum *φως*, quod *lumen* valet, pro oculis sumi tradit Helychius: idem ego crediderim de Hebræis, licet minus frequenter. Sanè dum legis Psalmo 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* & Psalm. 66. vers. 2. *Illuminet vultum suum super nos.* intentos diuinos oculos intelligis: & oculorum lumen frequenter audimus. Hæc cogitationem nostram satis faciunt probabilem, non minùs quàm alias omnes, quibus tamen suam probabilitatem non negamus.

6.
REGVLA.
In translatione sepe seruat genus originis in lingua.

Sed obstreperet aliquis, dicetque non posse *lumen* à pronomine *post eum* referri, quia *lumen* neutrius est generis, *eum* verò masculini. Cuius ego obiectioni respondeo valde esse interpreti nostro familiare, certè non infrequens, vt genus seruet in vertendo illius lingua, vnde trãslatio fit. Exempla multa adduximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse nobis signum.* duo ex illis accipe Apocal. 2. *duo candelabra stantes.* respexit interpretes ad Græcam dictionem *λυχνίαι*, quæ generis est fœminei, Matth. 20. *Reges gentium dominantur eorum ad ædros*, quæ vox generis est neutrius.

7. *Tonabit voce magnitudinis sue.* Id est, horribile edet tonitru, quale cieri solet à Deo, cuius vocem diximus esse ingentem illum sonitum, quem nubes à fulmine disrupta displodit. Porro quæ Dei sunt, vel ipso tantum nomine magna esse significantur, quomodo cedri, & montes Dei esse dicuntur, quos supra modum sublimes haberi volumus, sic ergo Deus *tonabit voce magnitudinis sue*, id est, voce sua, terribili, & omni natione formidanda.

8. *Et non inuestigabitur, cum audita fuerit vox eius.* Si de tonitru, vt res quædam naturalis est, hæc accipias. nihil videtur esse aliud, quàm illius causam ab ingenio mortali non posse cognosci. Quod verum est eo sensu, quo quæ difficilia sunt, perinde habentur, ac si effici non possent; quod dicendi genus in Scriptura sacra inauditum non est. Aut quia rudiori illo sæculo tonitru causa explorata non erat; quam æuo posteriori philosophi inuenisse se putant an sua illos cogitatio fallat; nouit Deus. certè errasse in multis, de quorum sibi inuentione maxime placent, nemo, credo, cordatus aut negat, aut dubitat. de tonitru causa vide Senecam lib. 2. natur. qq. c. 27.

9. Quod si tonitru sumas pro supplicio, quo Deus peccata punire vult, multo minus est illis scrutabilis, aut vestigabilis causa. Quia multa videt Deus, quæ ignorat homo: multa leuia esse putat, neque graui vulnere plectenda; quæ æternis Domino videntur plectenda suppliciiis: quia Domino oculi carnei non sunt, nec sicut videt homo, & ipse videt. Atque ideo ab homine discuti non debent, & multo minùs diuina daminari iudicia.

10. Vers. 5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.* Nihil hîc additur noui, sed tantum superiora explicantur magis, & alia proponuntur, quæ suo genere magna sunt, & humano ingenio, atque solertia longè superiora, quæ deinceps ex vulgari eodem cantico recitat Eliu.

11. Vers. 6. *Qui præcipit niui, vt descendat in terrã, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis sue.* Hæc opinor sic vibrantur è nubibus, vt non tam Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A seruiant humanis vsibus, quàm incommodent, quæ non compensent pia, & religiosa merita, sed puniant peccata. *Stillare* in Scriptura sacra aliquid indicat benignam, & molle, quo irrigantur agri & crescunt segetes, & in plenas, ac turgentibus spicas adducuntur. Quales sunt pluuiæ sedate, atque opportunis demissa temporibus, quæ temporaneæ dicuntur, aut serotinae in terra promissionis. Indicat etiam *stillare* aliquid horribile, quia etiam nubes aliquid iaculantur, quod horrent homines; quia sternunt segetes, populantur agros, hiantemque relinquunt agricolatum expectationem, postquam diu, multumque sudatum est, in subigendis, atque ferendis agris, in quibus necesse est plurimum esse positum laboris, & sumptuum. Tales sunt, quæ dicuntur procellæ, aut nimbi, grandines, lapides, fulmina, & si quid est aliud, quod vrit, aut sternit sata læta, bouumque labores: vnde etiam fit, vt *stillo* ambiguos habeat, & interdum contrarios, tam proprios quàm metaphoricos sensus. De priori stillatione, aut pluuiâ quæ terram sedatè rigat, & impinguat, egisse videtur pars illa cantici, de qua proximo capite. De posteriori, quæ homines exteret, & punit, in præsentia. De priori est illud Deut. 32. *Concresecat in pluuiam doctrina mea, sicut vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, quasi stille super gramina.* & illud Amos 9. & Ioel. cap. 3. *Stillabunt montes dulcedinem.* De posteriori sunt exempla plura. Ezech. c. 20. vers. 46. *Stilla ad Africum, & propheta ad agrum meridianaum;* iubetur autem eo loco minacem intorquere sermonem. Dan. 9. *Stillauit super nos maledictio, & detestatio.* 2. Paral. 12. *Non stillabit furor meus super Ierusalem.* Quales fuerint horribiles hæ procellæ, quas Deus ad impiorum plectenda peccata iaculatur è nubibus, habemus Exod. 5. v. 23. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Egypti: & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.*

Stilla ambiguas habet & contrarias significaciones.

Huiusmodi arbitror esse, quæ modò dicit carmen illud antiquum, & notum à Deo è nubibus in peccatorum pœnam demitti solita. Niues enim licet molliter cadant, graues tamen sunt, & molestæ, & interdum hominum valetudini, & commodis non parum infensæ. *Imber fortitudinis Dei*, nimbus est, qui aliter, opinor, vehemens vocatur, vt Prouerb. 18. 3. in quo, vt ibi dicitur, paratur fames, quia agricolarum opera disperdit, & dissipat. De quo Ezech. cap. 13. vers. 13. *Erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem.* Idem ferme repetit cap. 28. v. 22. de hoc iterum infra cap. 38. vers. 25. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum.* Hyemis pluuiæ procellæ sunt, aut certè imbres molesti, qui tempus illud reddunt ingratum, & rigidum, turbidum, lutosum, odiosum & intractabile. Porro illud certum, hyemem tam apud Latinos, quàm apud Græcos idem interdum valere quod procella, horridaque tempestas: quod satis norunt, qui in humanioribus studiis versati sunt mediocriter. Virgil. lib. 1. *Æneid.* ab hyeme, id est, à tempestate disiectas dicit esse naues.

Vicit hyems laxis laterum compagibus omnes, Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt,

Et clariùs lib. 5.

*Olli caruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens, & inhorruit vnda
tenebris.*

Lucanus lib. 1.

*Tum viros præbebat hyems, atque auxerat vn-
das.*

13.
Hyems pro
tempestate.

Quod hyems apud Latinos, idem etiam va-
let apud Græcos *χειμών*, quæ vox *tempestatem*
significat, & *imbrem*. An apud Hebræos vox
eadem, quæ hyemem, tempestatem etiam signi-
ficet, non memini me legisse, sed non est im-
probabile hyemalem pluvia Hebræis esse mo-
lestam, quia non est tam opportuna agris, quam
ferotina, atque temporanea, à quibus abest
longe: Et sicut tempore messis, id est, tempore
æstiuo grata dicitur nubes, Isaia cap. 18. vers. 4.
sicut nubes roris in die messis. Sic hyemali tempo-
re futura videtur non nimis grata. Atque ideo
sub Palæstino saltem cælo supplicij loco vide-
tur immissa pluvia, quia humida, lutulenta, &
frigida, & eo tempore non ad eò necessaria.

14.
Hic locus
non fauet
chiromantiis

Verf. 7. *Qui in manu omnium hominum signat:
et nouerint singuli opera sua.* Hic locus sæpe ab
Astrologis, & præcipuè à chiromanticis ver-
satus est, ex quo sibi, atque aliis persuadent,
non esse vanam illam coniectandi scientiam,
quæ ex lineis manuum de futurarum rerum
euentu diuinat. Qui locus etiam si nullam
aliam explicationem admitteret, non tamen
ideo multum illorum siue scientiæ, siue stulta
cogitationi faueret. Hæc enim verba, si sunt
Eliu, non habent pondus canonicæ fidei: est
quidem de fide ab illo esse dicta, aut certè ex
vulgari cantico recitata, veritatem tamen con-
tinere canonicam de fide non est; sicut alia
multa quæ dixit Eliu, & alij, qui cum Iobo lo-
gam iniere disputationem, vsque ad eò de fi-
de non sunt, vt potius à Deo condemnata
fuerint, vt constat ex capit. 42. Neque mi-
rum si ex suæ gentis consuetudine diuinato-
riam artem laudarit Eliu, & ex ea diuinam sa-
pientiam, atque potentiam commendauerit.
Illa enim Idumæa natio huic superstitioni de-
dita fuit, vt docuit Balaam, qui ariolus dicitur
fuisse Deuteronom. 22. versiculo 5. qui non
procul aberat ab Idumæa. Imò, vt multi vo-
lunt, vt nos obseruauimus ad cap. 32. in prin-
cipio, idem fuit Balaam, & Eliu, quod si verum
est, hic quoque erat ariolus, sed diuersum fuisse
Balaam ab Eliu, eo loco, vt opinor, satis
ostendimus.

REGULA.
Multa scri-
pturæ recitat
ab aliis di-
cta, quæ non
probat, atque
ideo de fide
non sunt.

15.
Quid ex va-
ria manu
delineatione
coniectari
possit.

Nihilominus etiam si diuinare nemo possit
euentus, aut opera quæ ab hominum libera
voluntate suscipiuntur, illa tamen, ad quæ
naturæ necessitate non cogimur, multa sunt,
quæ, vt ex varia vultus conformatione, sic
etiam ex varia manuum delineatione seu in-
scriptione coniectamus, vt quis in homine do-
minetur humor: quæ corporis constitutio, fri-
gidane sit, an calida natura, firmæ, & con-
stans, an debilis, aut varia valetudo. Hæc au-
tem admirabilia sunt: & quorum obscuræ
causæ, licet euentus non occulti. Qua de re
disputarunt alij diligenter. Martinus de el Rio
lib. 4. disquisit. Magic. à cap. 3. Vallesius cap.
32. sacræ Philosophiæ, vbi hunc locum expli-
cat, & illustrat. Pineda hic, vbi varias explicat
sententias, quem tu vide, à quibus ipse, quia
longus esse, nollem, prudens abstineo. Quia ta-

A men hæc verba nihil addunt auctoritatis, vt fi-
dei arti, quæ ex manuum inscriptione euen-
tus futuros à libera voluntate coniectat, & ad-
mirabilem Dei sapientiam ostendit, quod in
hominum manibus naturalem illorum consti-
tutionem inscripsit, ideo neque contemnenda
puto, neque ab auctore cantici temere adiecta.
Neque aliud existimo ad huius loci explica-
tionem esse necessarium; aut aliud significare
voluisse Eliu, aut eum, qui vulgare illud car-
men prius inuenit aliisque cantandum tra-
didit. Hebræorum explicationes varias addu-
cit Eugubinus.

Hæc explicatio, nisi ego fallor, aut vera est,
aut certè ad veritatis speciem proximè accedit.
Sed aliam aliis probari video, quæ mihi visa
est expedita magis, & his, quæ proximè suc-
cedunt, magis consentanea; ita vt Deus cæ-
lestibus signis, & meteorologicis impressio-
bus homines doceat, ad quæ opera admoue-
re debeat manus: quod opus assumere, quod
respuere, & in tempus aliud suspendere magis
opportunum: quod in aliis rebus sæpe, in re
rurali, & nautica sapissime obseruan-
dum. Egerat paulò antè de pluuia, de fulgure,
de tonitru, ac nubibus, vnde agricolæ de varia
temporum inclinatione certa signa capiunt.
Vnde discant, quid in re domestica, ac publi-
ca factò opus sit. Neque enim omne tempus
ministeriis omnibus censeretur idoneum. Sere-
num aliam, aliam turbidum tempus occupa-
tionem desiderat. Qua de re ex diligenti, ac
longa obseruatione varia scriptores de re ru-
stica tradidere præcepta. Plurima Virgilius lib.
1. Georgic. Plinius lib. 18. cap. 35. Alianus de
hist. anim. lib. 7. cap. 7. Columella lib. 2. capit. 1.
& 2. vbi post alia dicit; *Temporibus accommo-
danda opera visis, vt permiserit status cæli. Ita-
que tempestatibus annotatis cautior villicus vel ab-
stinere poterit ab operibus, vel festinationem adhi-
bere.* Porro dicuntur à Domino hominum si-
gnatæ manus eo, opinor, sensu, quia ita certò
ex cæli, aërisque mutationibus, temporum mu-
tationes præagiunt, & vident quemadmodum
si eas in manibus inscriptas legerent, viderent
quæ præsentibus; cui explicationi fauent, quæ
deinde sequuntur. Aut certè conuersiones illas
temporum in sua haberent potestate, & manu,
vsque ad eò de illa temporum multiplici varie-
tate non dubitant. Hæc mihi in re controuer-
sa, & dubia, visa sunt impedita minùs, meliora
ab aliis, & cupio, & spero.

Verf. 8. *Ingredietur bestia latibulum, & in
antro suo morabitur.* Singularis Dei prouiden-
tia fuit, qua hominibus signa dedit, eaque non
obscura, vt nosset, quòdnam tempus esset
magis rebus tractandis opportunum, sed illud
in creatoris prouidentia magis admirabile,
quòd signa quædam dedit etiam mutis, ratio-
nisque expertibus animantibus, vt futuras co-
gnoscerent temporum mutationes, sibi que ab
illis matura fuga, aut occultatione cauerent.
Quare cum imminentem pluiam multò antè
præsentiant, & signa alia habeant tempestatum
prognostica, vt illius vim, & repentinum im-
petum effugiant, montium latebras subeunt,
aut alio modo sobolis suæ incolumitati pro-
spiciunt. Exempla tu ex aliis scriptoribus plura
inuenies. Pauca accipe ex Plinio lib. 8. c. 28. de
muribus; *Ruinis imminentibus musculi præmigrant,
aranei*

16.

Cælestia si-
gna quid cõ-
modè fieri
debeat ad-
monent.

17.
Bestia futu-
ras temporis
mutationes
præsentiant.

araneis cum telis primi cadunt. & cap. 37. *Hirina* A
eci mutationem aquilonis in austrum condentes B
in cubile presagiunt. & cap. 38. *Prævident tempe-*
statem sciuri, obturatisque, qua spiraturus est ven-
tus, cavernis, ex alia parte aperiant fores. lib. 11. c.
 10. de apibus; *Vniuersa pronolam, si dies mitis fu-*
turus est. Prædinant enim ventos, imbrésque, &
tunc se continent tectis. de araneis idem cap. 24.
Incremento annuum futuro, telas suas alius tol-
lunt, iidem sereno non texunt, nullo texunt. hæc
 pro secunda explicatione superioris versus, fa-
 tis videntur opportuna. Si verò manus ideo
 dicuntur signata, vt homo ex signis illis sui cor-
 poris vires, & constitutionem intelligat, aliud
 argumentum diuinæ providentiæ proponitur,
 cum ipsis quoque animantibus, quæ ratione
 carent, solertiam quamdam indiderit, vt sua
 naturæ accommodare cubilia sibi præparent,
 vbi commorentur, & nidos construant, vbi pul-
 los foueant, & enutrient.

18.
Auster: tem-
pestates ciet
& ramentum
latus est.

Verf. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas,*
 & *ab Arcturo frigus.*] Interiora dicuntur illa
 quæ Australem, id est, meridionalem regionem
 spectant, vnde frequentes sunt pluuia, & tem-
 pestates horribiles: quia Antarcticus polus in-
 terior nobis est, & occultus, quia sub nostro
 & Idumæorum orizonte altè depressus, Arctu-
 rus autem, supra orizontem eleuatus pluri-
 mum, & nobis semper, Idumæis que conspi-
 cuus. Sed quæ hæc interiora dicuntur, idem
 esse puto quod promptuaria, siue conceptacu-
 la ventorum, vnde euocantur venti, sicut ex
 Æolia in suis fabulis nugantur poëtæ. Egerat
 prius de nubibus, vt vidimus, de pluuiis, de
 niuibus, de fulgure, ac tonitu, illud supererat,
 vt de ventis ageret, qui magna ex parte aërea
 hæc & metæora moderantur, & agitant. Cùm-
 que alij sint venti, quorum in terris varij, &
 admirabiles effectus: duorum tantum memi-
 nit, Aquilonis, & Austri, quia illorum vis, situs,
 & natura omnino contraria, & quia hi homi-
 nibus propter effectus contrarios maximè no-
 ti. Mirum est quàm isti duo venti in Scriptu-
 ra sacra sæpe coniungantur, sicut supra cap. 9.
 verf. 9. Et licet Auster, qui à meridie aspirat,
 tempestates excitet horribiles, & turbines con-
 glomeret vehementes; quia tamè nubes cogit,
 & terras largis irrigat imbribus, & contractum
 ab Aquilone tempus suo tepore laxat, & dif-
 fundit; expetitur communibus hominum vo-
 ris. Quòd tempestates ciet vehementes, do-
 cuit Isaias cap. 21. verf. 1. *Sicut turbines ab Afri-*
co veniunt. Africanus idem est, quod Auster. Za-
 char. 9. verf. 14. *Et vadet in turbine Austri.* docent
 hoc profani sæpe. Aristoteles lib. 2. Meteor. ca.
 5. ventum dicit esse vehementem. Virgil. lib. 1.
 Æneid. furentem appellat. In hoc tamen furore
 aliquid habet sibi familiare, ac proprium, pro-
 pter quod ab hominibus expeti solet, quia eo
 flante cælum tepescit, & arbores germinant
 mitiori temperie. Quòd statim magis explicuit
 Eliu verf. 17. *Nonne vestimenta tua callida sunt,*
cùm perskata fuerit terra Austro. & ideo sponsus
 Cant. 4. excedere iubet Aquilonem, & adueni-
 re Austrum, qui arbores floribus, frondibusque
 conuiciat, aspirareque faciat odoriferos suc-
 cos.

19.
Aquilo fri-
gidus, odio-
sus horribilis

Quòd autem Aquilo, qui & Boreas, qui
 à loco vnde aspirat, Arcturus dicitur, frigidus
 sit, & inamœnus, multa docent, quæ tu faci-

lò inuenies; dissipat enim nubes, quod agris, &
 hominibus permolestum est. Prou. 25. verf. 23.
Ventus Aquilo dissipat pluuia, inducit frigus, cõ-
trahitque, quæ laxarat Auster: deinde quod vi-
ride erat, & floridum, exurit. Eccl. 22. *Frigidus*
ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua.
Super omnem congregationem aquarum requiescet,
& sicut lorica induet se aquis; & deuorabit mon-
tes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut
igne.

Verf. 10. *Flante Deo concrefcit gelu, & rursum*
latissimo funduntur aqua.] Explicatio est præce-
 dentis versus, vbi ostenditur Dei admirabilis
 sapientia, & de rebus humanis prouidentia,
 & cura singularis. Sic enim ventorum tempe-
 rata vicissitudine auras opportunè dispen-
 sat, vt cumulosos agri referant fructus, & ita
 valetudini, atque vsui elaboratos, atque di-
 spositos, vt nihil videatur excogitari posse com-
 modius. Neque enim minus agris, & arboribus
 frigus, quàm calor necessarius; & vtrisque op-
 portuna valde ex vtroque composita, & tan-
 quam à peritissimo artifice concinnata tempe-
 ries. Quare emittit Dominus Aquilonem, quo
 dissipantur nubes, & aquæ frigore congeliant,
 atque concrefcunt, quia oportet aliquando se-
 renam esse cælum: & si continentes essent im-
 bres, aut assidui, essent arboribus, & frugibus
 importuni, & noxij. Humore etenim nimio, &
 immoderata luxurie in herbas inutiles, & va-
 cuam viriditatem seges tota vanesceret. Ideo
 alternis Aquilone & Austro, vt alter conti-
 neat, & dissipet alter suo tempore largos cogat,
 & suo calore soluat, & effundat imbres.

Verf. 11. *Fruentum desiderat nubes, & nubes*
spargunt lumen suum.] Variè hic locus conuer-
 titur, & explicatur à variis; Neque opus esset
 facile, aut breue omnium adducere, & explica-
 re sententias: præfertim si à nobis deinde con-
 futandæ sunt. Tantum adducam translationem
 illam, quam ex Hebraico textu expresserunt
 recentiores quidam interpretes, quæque Vul-
 gatam continent, & explicant. *Serenitas solli-*
citabit, aut fatigabit nubem, & spargere faciet
lumen suum. Alij *irrigatio fatigabit.* Sed est ea-
 dem sententia, nimirum cum terra aret, & fitit,
 nubem sollicitat, vt imbrem immittat, quo ir-
 rigeretur, & segetes nutriat. & idem valet *irriga-*
tio passiva. Nam terra arida, vt irrigetur, nu-
 bem fatigat, metaphoricis népe precibus. No-
 ster interpres frumentum posuit, eandemque
 sententiam clariùs expressit. ideo enim terra
 cum cælum serenum est, & æreum, clamat, vt
 habeat humorem, quo segetes alantur, & cre-
 scant, quòd etiam facit irrigatio, id est, irriga-
 tionis passivæ desiderium, quia sine illa fru-
 mentum arefcet, & peribit.

Illud obseruandum, tam frumentum, quàm
 nubes in numero esse singulari, quare verbum
 illud *desiderat* tam cum nube, quàm cum fru-
 mento conuenire potest: vtrumque autem pul-
 cram habet sententiam, quæque diuinam pro-
 uidentiam magnopere commendat, cum ad ho-
 minum vsus, eam rebus etiam inanimatis in-
 clinationem indidit, vt non solum non inui-
 ta, sed etiam cum magna ingenij pronitate hu-
 manæ commoditati seruiant. Neque enim mi-
 nus pro opportuno hominum alimento nubes,
 quàm terra, atque frumentum laborant. Neque
 magis nubes pluuiam effundere, quàm terra, &
 fruges

20.
 21.
 22.
Nubes, &
res alia in-
animata ho-
minum com-
modis libè ser-
uiunt.

fruges illam excipere desiderant. Quod nos pluribus docuimus in nostris commentariis super Oseam ad illud cap. 2. vers. 22. *Exaudiam, dicit Dominus; exaudiam caelos; & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum.* Vbi, ut vides, terra clamat ad caelos, id est, ad nubes, ut rorent desuper, & pluant. Sic caelum, id est, nubes clamant ad Deum, sibi, ut per illum liceat, opportunum imbrem in terram effundere, illamque reddere ad edendos fructus fecundam & grauidam. vbi ex lib. 8. Ethic. ca. 1. sententiam Aristotelis adduximus, qui ex Euripide docet esse inter terram, & imbrem, atque adeo inter nubem, & frumentum, quoddam quasi naturale connubium. Ut enim vir, & foemina coniugalem appetunt congressum, quia aequè prolem amant, sic etiam non magis aridus, & sitiens ager imbrem appetit, quam imber ipse in terrae gremiū influere desiderat, ut ex ipso terra grauidata concipiat. Euripidis versus, quos ibi produxit Aristoteles, sic nos ad illum Oseae locum ad Latinos numeros aptauimus.

Pandit terra sinus, pluuiasque à nubibus optat,

Cum macer ablato campus ab imbre fuit.

Nec minus à pluuiis, quae turget in aëre nubes,

Optat in expansos larga venire sinus.

Illud tamen desiderat potius accommodo frumento, quod à nubibus suum optat, & quoddam modo precatur alimentum, quam nubi, licet hoc etiam mihi non omnino displiceat, quod S. Thomas videtur non improbasse. Tunc autem nubes dicuntur *sparsisse lumen*, cum imbrem stillant, & caelestem rorem, qui lumē vocari possunt, quia illo demisso virescunt, & quodammodo illuminantur fruges, quae cum marcescerent, obscurae videbantur, & mortuae.

24. Vers. 12. *Quae lustrant per circuitum, quocumque eas voluvas gubernantis duxerit, ad omne, quod preceperit illis.* Hae nubes, ut diximus, instrumenta Dei sunt, siue ad puniendam improborum peccata, siue ad compensanda merita, & hominum non solum necessarios vsus, sed etiam voluptates, honestasque delicias. Quare hae interdum pluuias effundunt, quas ad irrigandos agros conceperunt, sedatas, & molles: interdum laxa eiaculantur, & grandines, & cum ingenti fragore fulmina contorquent. Siue autem Deus fecundare voluerit, atque exhilarare lugentes agros, & emarcidas fruges; siue sternere, ac vtilare funditus, obsequuntur illius voluntati libenter, & totum orbem obeunt, quocumque illas gubernatoris sui voluntas impulerit. Quod Deus ventorum efficit ministerio, qui modo sedato spirant, & benigno inflatu: interdum incitato, & tumido vehementer: ab illo mollis pluuiam, ab hoc nimbus prouenit, & dira tempestas. Hae eadem de nubibus dixit Baruch c. 6. v. 61. *Nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo, perambulare uniuersum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis.*

25. *Deus summa prouidentia non eodem modo pluuiam distendit.*
Vers. 13. *Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inueniri.* Hunc locum omnium optimè explicuit Amos c. 4. v. 7. vbi sic dominus ad Gentem peccatricem, *Ego prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem, & plui super vnam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars vna compluta est, & pars super quam non plui, aruit.*

A Ad hunc locum in nostris commentariis super Amos plura diximus, quae non parum ad diuinæ prouidentiae confirmationem faciunt: ex quibus pauca haec accipe: probat eo loco Amos, sicut hic Eliu, seu quicumque canticum hoc vulgare composuit, non casu haec fieri, sed à summo rerum arbitro, qui res humanas moderatur, & earum commoda suo arbitratu, iuste, sapienterque dispensat. Quare civitatem vnam largo irrigat pluuiarum influxu, & aliam sitientem, & aridam relinquit. Quod à sola nubium, aquarumque natura prouenire non potest, cum illa non habeat vllum in sui ipsius suarumque rerum dispensatione discrimen. Quod verò subditur, *pars vna compluta est, & pars super quam non plui, aruit.* non solum affirmat in aliqua regione, seu prouincia vnam civitatem à caelesti pluuiam commaduisse: aliam verò nullam à nubibus habuisse beneficium, sed etiam in eadem civitate partem aliquam fuisse complutam, aliam verò à macie, & siti arentem esse, & squalore horridam. Sic enim Deus magis ostendit opus illud esse suae prouidentiae, quia vlcisci vult peccatorum insaniam, & iustorum fauere pietati. Nam si nulla civitas, aut singularum pars nullo pluuiali humore commaduisset, putarent homines, ut ait Hieronymus ad illum locum Amos, aut lege naturae, aut astrorum cursu hanc varietatem temporum regionibus, aut urbibus accidisse. At natura, & astra non sic agunt liberè, ut imbrè sic attemperatè in vnam demittant partem, ut eundem ab altera suspendant. Hanc nos ad locum illum Amos, de quo proximè, tu plura vide.

26. Quod verò subditur, *in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inueniri*, nubes respicit benigniores, fecundas imbribus quas ad iustorum hominum agros dimittit; licet enim, ut Christus dixit Matth. c. 5. vers. 45. Solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super iustos, & iniustos, tamen illo praesertim tempore, in quo Deus iustis largius de temporariis commodis prouidebat, opportunam illis, atque vberem indulgebat pluuiam, quam alienis, atque impiis aliquando negabat. Quod si aliquando aut his, aut illis parcius largiebatur, aut aliquandiu submouebat imbres, hoc quoque à misericordia proueniebat opus, quia ad illorum exagebat vsus, ne homo luxu, & abundantia disflueret, ac tandem ipsa cogente fame disceret inuitus, quod abundaret, & viueret, donum esse Dei. Et sanè ita saepe contingit, quos enim à domino abundantia distraxit, hos saepe inopia, & famines fugitiuos ad dominum reduxit. Sic cecinit Moyses Deut. 32. ve. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit dominum factorem suum.* Et Ezech. 16. v. 49. *Hae sunt iniquitates Sodoma, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.* Quare qui panem aufert, saturitatem, & abundantiam, opus facit à misericordia, studioque benè de aliquo merendi profectum. Hic finitur canticum, deinde iam sua verba resonat, & ampullat Eliu.

27. Vers. 14. *Ausculia haec Iob, ista, & considera mirabilia Dei.* Absoluto iam cantico, vnde ut Dei prouidentiam, & arcana consilia confirmaret, argumenta sumpsit Eliu; iam à seipso loquitur, & nonnulla quae continebantur in cantico, inculcat accuratius, & studiosius exponit. Iubet igitur Iobo, ut haec Dei opera planè admirabilia,

Tam aquarum inopia quam abundantia est dei misericordia sunt.

lia, quæ que assequi nullo modo potest humana solertia, studiose cõsideret, vt inde discat, quam altè de Deo sentiendu, quam de illo caute, & religiosè loquendum sit. Vnde apparet canticum illud magnè apud omnes esse auctoritatis, quãdo homo ea ætate Philosophus, ex eo suæ orationi conciliare voluit auctoritatem & fidẽ. Cũque duo illa verba, *ausculta*, & *sta*, attentionem maximam ab auditore exigant: posterius *sta* reuerentiam præterea religiosam postulat, maximè apud Idumæos, Idumæisque finitimas regiones. Quod aliqua illarum Gentium docent exempla. Balaã iisdẽ, quibus modò verbis Iobum attentum esse iubet Eliu, hortatus est Balac Moabitarum Regem, vt verbum acciperet à Deo missum, stans, & erectus, non sedens, aut iacens; dixerat enim Balac, Num. 23. vers. 18. *Quid locutus est dominus?* Respondit Balaam vt illum ad audiendum religiosè disponeret, *sta Balac, & ausculta*. Nouerat hanc illarũ Gentium consuetudinem Aod iudex Israel, qui per infidias Eglonem Moabitarum Regem occidere parabat, cũque ad illud, consilium referret plurimum, quo commodiũs illi plagam infingeret letalem, quæ illum temporis momento conficeret, illum stare erectum, rationem excogitauit, qua illum talem inueniret statu recto, vt plagam acciperet, quæ necessariam & breuem mortem adduceret. Quare dixit, verbum se habere à Deo: Quod vt religiosè de more acciperet, stetit rectus, locũque aperuit letali vulnere. Sic autem de vtroque Iud. cap. 3. v. 20. *Sedebat (Eglon) in æstino canaculo solus, dixitque (Aod) verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.* Sic ergo Eliu stare iubet, & auscultare Iobum, quasi diuinum aliquod oraculum auditurum: quia fortasse tale putabat canticum, quod explicare moliebatur iuxta patrię consuetudinis religionem. Vbi obserua eodem modo ad audiendum diuinum oraculũ excitatũ esse Iobũ ab Eliu, quo Balac Moabitarum princeps à Balaã, quia fortasse ille erat familiaris attẽtionis captadæ modus his, qui diuinũ aliquid nũciare aut inbebatur verè, aut se iustos esse falsò simulabant. Hic Gregor. aliquid pro re morali adducit opportunum. Ait enim illos, qui Dei verba meditantur, & audiunt, id stantes facere debere, paratos vtique, quæ ibi meditando, aut auscultando didicerunt, statim re ipsa aggredi, & sedulo præstare. Eliu, inquit, *quasi in comparatione sui iacentem vidit Iobum, quem ad verba tantæ predicationis, vt staret, admonuit. Sed licet Eliu bona, qua dicit, nesciat pensare, cui dicit, nos tamen indagare verba eius subtiliter debemus. Stare quippe est recta agere. vnde per Paulum dicitur 1. Cor. 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat. Iacentes ergo Dei miracula considerant, qui eius potentiam sciendo pensant, sed viuendo non amant. Per contemplationem quidem in consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionem sese à terra non erigunt.* Hæc Gregorius, & ex eo Odo Cluniacensis. Augustinus lib. 50. hom. hom. 26. indicat quando Martyrum passiones leguntur, aut lectiones etiam longiores, consueuisse auditores stare. *Ante aliquot, inquit, dies propter eos qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterne charitate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicans, vt quando passiones prolixæ, aut certæ aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare*

A non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes attentis auribus audiant, qua leguntur.

Verf. 5. *Numquid scis, quando præceperit Deus pluuiis, vt ostenderent lucem nubium eius.* Refert se iam Eliu ad illa exponenda, atque amplificanda, quæ nuper recitauerat è vulgari carmine: & docet versare Dominum arbitratu suo illa, quorum effectus magnæ hominibus esse admirationi debent. Experitur homo stillantes imbres ex resolutis nubibus, quando verò, aut quomodo præcepto suo pluuias euocauerit, ignorat. Pluuias autem esse nubium lucem supra putabamus non improbabile, ad illud verf. 11. *Nubes spargunt lumen suum.* Quod etiam cõsent communiter Hebræi, & ita legunt Pagninus, Tigurina, & Osorius. Cur pluuiæ nubis lumen appellari potuerit, diximus ad illum locum. Alij fulgura putant, aut cometas, aut certè solis, aut astrorum splendorem, quem nubes in se concipiunt, quo ipsæ solis imitantur lumen, & nonnunquam, vt in pareliis obseruamus, illius referunt expressam imaginem. Sanè splendorem maximum apud Maronem nubes solaribus inflammata radiis ostendit lib. 8. *Æneid.*

— *Qualis cùm cerula nubes Solis inardescit, radius, longèque resulget.*
Sed mihi explicatio videtur magis soluta illa, quæ in lumine pluuiam agnoscit, licet hanc posteriorem, magisque communem improbare non audeam.

Verf. 6. *Numquid nostri semitas nubium magnas, & perfectas scientias.* Egit sæpe de nubibus, quæ terram operiunt, & lustrant, quæ modò huc, modò illuc, quocunque illas egerit diuina voluntas, impelluntur: de quibus cum tam hoc capite, quàm præcedenti multa cecinerit vulgare canticum, videtur tamen Eliu respexisse ad verf. 12. vbi de nubibus dicitur; *Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Hunc credo versum nunc respicit, & considerare Iobum hortatur Eliu. Sanè nubium semitæ magnæ sunt, & variæ, per quas totum obeunt mundum, & variis illum aut exhilarant, & augent incrementis, aut affligunt, & conturbant incommodis. Nam quemadmodum raræ cuiusdam est, & exquisitæ scientiæ, nosse vias, per quas sine errore maritini diriguntur cursus, cùm tamen in mari naues nullam relinquunt viam, nulla vestigia, sicut in terra plaustra: sic etiam non vulgaris est scientiæ in aère obseruare semitas, per quas sine vllò errore vagentur nubes, & eò perueniant, quò à Deo mittuntur. Obseruarent negotiatores, qui transmarinas conuehunt merces, vnde gemmæ, lapilli, pretiosa metalla, aromata, pauones, & simiæ, ebur, & aliæ plurima, quorum audis nomina l. 3. Reg. c. 10. essent asportanda, notaruntque vias, quæ eò deduxerunt, vbi earum rerum vis maior, & eorum negotiatione pretiosa magis, maius compendium. Norant deinde quo in loco exponendæ merces, quæ per tot viarum dispendia comportatæ sunt. Hoc planè mirabile, & non nisi post multa sæcula inuentus modus, qui regiones interfuso Oceano disclusas coniungeret, & asportandis, deportandisque vernaculis diuersarum prouinciarum prouentibus; quæ propria singularum essent, fierent per

28.
Dei verbum à sanctis audituri soliti

29.
Quod quis in oratione audierit statim executioni mandandum.

Sæcra Martyrum historia in templis ab assistentibus audiri.

30.

31.
In nubibus huc, atque illuc impellendis diuina eluces sapientia.

32.

per

per mutationem communia. Sed si hoc ipsum A
sine remige, & nauta, sine gubernatore effice-
rent naues ipsæ; quæ in tractu inuio certas ha-
berent vias; per quas ad certas appellerent re-
giones, vbi se mercibus onerarent, eadè que
in locis opportunis, & lucrosis exponerent, iux-
ta sui artificis, ac Domini consilium; illud planè
esset mirabile, cum vias nollent: vbi nulla essent
nauigantium, aut nauium impressa vestigia, &
scientiâ haberent ligna quædam rudia, tabulis,
asseribusque compacta, vt mercium cognosce-
rent commoditatem, & pretium, illasque ex
vna sumerent regione, & in aliam cum magno
emolumento transmitterent.

33. Hoc idem quod miraremur in nauibus, ex-
perimur in nubibus, in quibus iuxta diuinam
voluntatem, & imperium hominibus afferuntur,
vel incrementa maxima, vel detrimenta
plurima; oneratas Deus vult esse nubes imbris,
qui sedatè fluât, item aquis quæ vasta mole
cum impetu delapsæ spem agricolarum euer-
tant; interdum lapidibus, interdum igne, & ful-
mine, quod cum fragore torqueant, nonnun-
quam sanguine, nonnunquam lacte, aut carne,
lana, ferro, lateribus coctis, vt docet Plinius
libr. 2. capit. 56. aut etiam piscibus, & ranis, vt
prodit Athenæus libr. 8. cap. 2. quæ sic fuerunt
Pæoniæ, & Dardaniæ graues, vt illarum habita-
tores aliud commigrare compulerint. Vbi vides
pluuias alias gratas esse atque vtilis homini-
bus, vt aquas lacteas, laneas; alias vehementer
infensas, & noxias, vt quæ sanguinem stillarèt,
& quæ vibrarent ferrum, lateres, grandines, ra-
nas, quibus aut terrentur, & vastantur homi-
nes, aut exhilarantur, & ditiores fiunt, quæ om-
nia ex illis aduehantur locis, & ad illas com-
portantur regiones, quas dominus designauit,
& quas ornare bonis, aut malis onerare con-
stituit.

34. Rogat igitur Eliu à Iobo an nouerit per quas
vias moueantur nubes, & aquis, lapide, grandine,
igne, aut etiam interdum sanguine compleantur,
& quam habeant scientiam; quam necesse est, cum
nunquam errent, certissimam esse, & maximam,
vt viam in tractu inuio certam inuenerint, vt
abeant, & redeant, & assidue commeēt, & onus
in eo loco deponant, quem dominus ad varios
effectus destinauit.

35. Hæc mihi videtur non difficilis expositio,
cui plurimum fauet crassus quidam error, in
quo fortasse tunc erat Eliu, sicut nunc ultra
Oceanum quædam regiones esse dicuntur, quæ
putant nubes in mare descendere, aut flumi-
na, & aquosa loca, & inde exsorbere abun-
dantes aquas, quas postea per stillas, & pluuias
in loca magis opportuna diffundant. In quam
illi cogitationem venerunt, quia nonnunquam
cum aqua pisces quoque, & ranæ ceciderunt è
nubibus. Ita sanè Athenæus libr. 8. cap. 2. *No-
ui*, inquit, *Deum multis in locis piscibus pluisse.*
Nam & Phaniæ libr. 2. Prytanæorum Eresiorum
Deum tres dies scribit piscibus in Cherroneso pluisse.
Quod idem refert proditum à Philarcho, &
ex Heraclide refert. *Deum circa Pæoniam, & Dar-
daniam eam renarum abundantiam pluisse, vt do-
mus & via latè illarum multitudinem complerentur.*
Sanè de iride plurimi existimant olim, non
poëtæ solum, sed etiam Philosophi. de qua sic
Martialis l. 12. epigr. 19.

Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem,

Casuras altè sic rapit iris aquas.
Plautus in Curcul.

Ecce autem bibit orcus, pluat credo hodie.

Quod item sensisse aliquos scribit Plutar-
chus libr. 3. cap. 5. de placitis Philosophorum.
Quod si ita cum aliis putabat Eliu, non abs-
re videretur rogasse Iobum, an semitas, scienti-
amque perfectissimam nubium cognouisset.

36. Vers. 17. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum
perflata fuerit terra Austro.*] Sentiebat Iobus, &
quiuis alius de cælo Idumæo, perflante Austro
aërem intepescere, & vestes consequenter il-
lius tepore caleferi, vt autem causam ignora-
bat Eliu, sic Iobo & aliis obscuram putabat esse
causam, & fortasse in rudiori illo, & illiterato
B sæculo res erat ignota. Nunc Philosophi no-
stri causam inuenerunt, quia ventus ille aspi-
rat à meridie; quare à regione calida, illius
quoque halitus calidus est. Accedit quod Idumæis
australis, seu meridionalis plaga deserta
est, atque arida, atque ideo necesse est, ventum,
qui regionem illam perflat, & à qua, quod il-
lius est proprium mutuatur, & delibat, esse ca-
lidum.

37. Vers. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cæ-
los.*] Ignorare Iobum dicit Eliu, quæ sunt sub
cælo: de quibus hæc hactenus, quæ solum ab eo de-
spectari possunt, plenèque cognosci, qui in cæ-
lo, quique hæc inferiora ex alto, & quasi ex
specula contemplatur. Atqui ille in cælis so-
lus est, qui illius architectus fuerit, & conditor
(nihil hic fortasse de Angelis meditabatur
Eliu) ille ergo solus inferiora hæc, & subluna-
ria perfectè cognouit. Seu potius hæc agit de
cælestium orbium natura, compositione, & in-
fluxu, vnde ad orbem hunc inferiorem multi-
plices derinantur facultates, & vires, quæ va-
rias inducunt rerum vicissitudines, & stas,
& admirabiles temporum mutationes. Hæc ve-
rò, quæ supra cælos, ex quibus humana magna
ex parte dependent, qui nouit, nisi qui cælos
condidit, & in cælis est; cum autem Iobus in
cælorum fabrica administrum se Deo, & so-
cium non præbuerit, consequens est, vt cæle-
stium orbium naturam, & ordinem ignorer, &
eorum plurima, quæ in terris sunt, quæque su-
pernæ lationes moderantur.

38. *Qui solidissimi, quasi ære fusi sunt.*] Longè erat
Iobus, aut quicumque alius, præter Deum, &
cælestem molem, tam sublimem, atque præ-
claram, tam artificiosè cælestium flamma-
rum splendore distinctam architectari possèt.
sed addit hæc aliam difficultatem Eliu, quam
superare non posset humana solertia, atque fa-
cultas: sicut enim cæli solidissimi, ea duritie &
firmitate, vt ex ære fusili conflati esse videan-
tur. Quibus molliendis, atque ad naturalem fi-
guram efformandis, nulla fornax, & folles, nul-
li vectes, ac ferramenta sufficerent. Ex qua ma-
teria cælestia corpora à summo opifice Deo
conflata fuerint, disputant Philosophi; quid il-
li statuatur, non admodum refert huc afferre,
cum ipsi, sicubi, hæc maximè diuinent. Et quid-
dè ille non omnino malè, qui dicit *τὰ ὑπερὶ ἡμῶν
ἐστὶν πρὸς ἡμᾶς*. Illud non omittendum à quibus-
dam Hebraicis voces, pro quibus Vulgatus
transulerit *quasi ære fusi*, ita conuerti, *quasi spe-
culū fustum*, aut sicut *visio fusilis*, quia videlicet in
cælo, sicut in pellucido crystallo; aut in ære po-
lito, & terso, variæ apparent & elegantes species.
Vers. 19.

39.

Verf. 19. *Offende nobis quid dicamus illi: nos enim inuoluimur tenebris.*] Hæc cum stomacho, aut irrisione subamara videtur dixisse, quasi in sua disceptatione superior, & de Iobæ triumphas Eliu. Quasi dicat, age nunc ô Iobæ, quando tam te sapientem, & iustum esse putas, vt de sapientia, atque iustitia cum Deo ipso certare posse tibi videaris; ostende nobis quos præ te nihil esse arbitraris, quique ignorare fatemur ingenue illa, de quibus modo te cogitare volui. Si Deus velit nunc nostram explorare sapientiam, & de his rebus interrogare quarum obscuram diximus esse cognitionem, & humano captu superiorem; quid illi respondere non inepte possumus, vt inertia, atque ignorationis declinemus infamiam, videamurque non esse omnino rudes, & in te Philosophica prorsus ignari. Tibi enim, vt præ te non obscurè fers, hæc omnia nota, cui lux affulsit maior; nos horum nihil videmur affecturi, quibus ignoratio- nis profundæ offusæ sunt tenebræ, neque spes vlla superest discutiendæ caliginis.

40. *Nostra sapientia cum diuina comparata ignorantiæ est.*

Verf. 20. *Quis narrabit ei, quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, deuorabitur.*] Ironiam explicat, & iam sermone animi sui cogitationem aperit, dicitque nemini facultatem esse, vt hæc, quorum est proximè obiecta disputatio cognoscat, neque vlli futuram audaciam, vt suam præsentem Deo sapientiam exponat. Nam etiam si locutus fuerit nõ inepte: at quia humana sapientia infirma est, & in rebus, quæ videntur non obscuræ, ignorat plurima, in aliis incertis ducitur coniecturis, hallucinatur in aliis, non poterit recusare, quominus, quæ sapientia videtur coram hominibus eximia, videatur stultitia coram Deo, vt dicit Paulus 1. Cor. 3. ver. 19. *Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum.* quod vt probet Apostolus, adducit illud Eliphaz supra cap. 5. ver. 13. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quare tam homo, qui coram Deo de rebus huius loqui voluerit, quàm eius sapientia deuorabitur: id est, perinde habebitur ac si nihil esset omnino: ad eum modum, quo aquæ stillæ absorbentur à mari, & lux exigua nitidulæ à solari lumine, & arida stappa à vehementi consumitur incendio. *Deuorari* autè vilitata Latinorum metaphora dicitur id, quod facile à potètia maiore superatur, quo modo stipula deuorari dicitur ab igne, deuorari pauperes à tyrânis, & similia nõ pauca in Scriptura sacra. Hæc mihi videbatur impedita minùs: neque tamè improbo quod probat frequètes alij, eam esse materiæ difficultatè, & pondus, vt si quis de illa affatim intelligat, vincatur tamen ab illius magnitudine, & sic absorbatur ab illo impermeabili gurgite, vt si velit ad littus enatare, non possit.

41.

Verf. 21. *At nunc non vident lucem: subito aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.*] Duas hinc video interpretum sententias, alteram, vt continuetur varietas admiranda, & subita earum rerum, quas in sublimi aëreæ regionis parte contemplanur, maximè in nubibus, de quarum natura propriè, & Philosophicè disceptat. Et tunc, vt paulò antè docuimus, in luce pluuiam intelligimus, cuius etiam ratio à nobis nuper tradita est, in hunc sensum; Non facile cuius cognitu est, cur tanta sit nubium, & tam repentina mutatio; modò enim homines non vident lucem nubium, id est, pluuiam,

A cum tamen illam vehementer desiderent, & cum concreuant nubes, promittantque hominum votis aquarum abundantiam, & aër videatur ab illis obductus luculenter, repente tamen aspirans ab Aquilone ventus illas fugat, ac dissipat, & agrorum, agricolarumque sitim relinquit hiantem. Hæc in re tanta, tamque omnibus aspectabili subita mutatio cognosci nõ potest ab humana solertia; & multo minùs illa, quæ nostros effugiunt oculos, qualia sunt diuina consilia, & inscrutabilia iudicia: quæ quia Iobus scrutari videtur voluisse, male priùs à tribus amicis, & nunc durius accipitur ab Eliu. Huc inclinant Pineda, Stunica, & Lira.

B

Altera expositio *lucem* hinc, & *nubes* metaphoricè videt, & in *luce* cognitionem, in *nubibus* offusis illius impedimenta considerat. Quia metaphora id efficere videtur Eliu, vt probet obscuram, & exiguam esse scientiam, quam suo labore, atque ingenio tenere se putat natura mortalium, cum enim nunc lucem videt, aut videre se putat, statim illam eripit, aut confundit nubes, quæ serenam ante aëream plagam tenebris obnubilat. Quod si Aquilone perflante summotis nubibus serenitas redeat, statim tamen Auster, aut turbidus alius ventus nubes reducit, & obnubilatur rursus aër, qui iam videbatur illustratus lumine; atque ideo illa lux, & serenitas omnino videtur esse momentanea. In hanc penè sententiam Hieronymus, Beda, Caietanus, Dionysius, Hugo, licet non eodem omnes modo.

C

Verf. 22. *Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.*] Hic locus mirè distrahit, ac torquet interpretes, cum in varias, easque dissimiles expositiones pateat. Quidam in regione septentrionali ac frigida aurum inueniri dicunt, illudque nobile: neque rationem deesse dicunt, cur illa glacialis plaga auri illius nobilissimi existimetur esse maximè ferax vtrumque se res habeat, nihil ea de re certum esse credo. Neque minus fortasse auri ex australibus, calidisque regionibus, quàm ex aquilonaribus, & frigidis aduehitur. Certè Salomon ex australi plaga plurimum instructa classe in mari Rubro comportauit auri, fieri fortasse potuit, vt aurum ex frigidis regionibus effossum nobilissimum sit, saltem si Idumæorum situm, & clima consideres. Sed mihi in re vsque adeò incerta, neque diuinare, neque immorari libet. Suspicio autem ex Aquilonari plaga Idumæis factum esse locum vulgari prouerbio: Quo docemur ex aliquo loco interdum bonum, nonnunquam malum asportari solitum, ita vt neque ex illo pura, solidaque voluptas: neque sine aliqua admixtione voluptatis capiatur dolor.

D

Quod si hoc prouerbum est, aurum pro magna aliqua commoditate sumitur, quod saepe fit in omni, vt reor, idiomate. Sanè aurum vocari, aut aureum, quod pretiosum est, & pulchrum, non est nouum; purum oleum, & nobile aurum vocari putant nonnulli, ad illud Zachar. cap. 4. *Suffusoria ex auro*, venit itaque ab Aquilone aurum, res nimirum pretiosa. Sed ab eodem simul venit ad Deum formidolosa laudatio, id est, aliquid molestum, & graue, quod voluptatè turbet, & vocem exultationis, & gratulationis impediatur: aut quod facit, vt moderatiùs, magisque timidè homo in sua sibi felicitate placeat. Porro *Dei laudatio* ingentis gaudij significatio

42.

43.

44.

Ab auro quæ pretiosa sunt nomina sumunt.

ficatio est, cum enim aliquid nobis ex voto corrigisse cognoscimus, quicquid illud sit, ipsa docente, atque instimulare natura, gratias Deo agimus, quæ vox non tam interdum est gratiarum actio quam interiectio lætantis. Sicut vox Alleluia ita Deum laudat, ut animi iucunditatem ostendat. Et Dei laudem, & benedictionem significare superbum animi immoderate exultantis motum pluribus ostendimus supra cap. 1. ad illud vers. 5. *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, quem locum omnino vide, laudabit itaque homo cum formidine Deum, quia cum aliquid acceperit iucundum, & fœlix, aliquid timet etiam aduersum, quod non patitur veram esse, solidamque lætitiã.

45. Hæc fortasse non abs re. Sed vide an melius & accommodatè magis sic interpretere. Aquilonem significare aliquid inamœnum, & durum, notum est omnibus, & in Scriptura frequens, & nos paulò antè aliquid diximus ver. 9. ad illud, *ab Arcturo frigus*. Sumitur autem Aquilo pro vitâ ærumnosa, & ægra, pro dolore, aut infortunio, & pro quocumque successu, qui hominum iudicio putatur aduersus. Dolor autem, & fœlicis fortunæ infausta mutatio, facit ut homo, cuius oculos aperit dura necessitas, & cui dat intellectum aspera vexatio, de se cogitet, & sentiat humilius: Quare in bonis ideo minus exultat iuueniliter, quia timet mala, quæ contrahunt animum, atque ideo formidolosa est Dei laudatio: id est, ut dicebamus proximè, exultantis animi significatio, quia impendentis mali metus solidum, ac purum gaudium esse non sinit: Hæc autem ideo Iobo proponit Eliu, ut ostendat quid commodi capere possit ab Aquilone, id est, à dolore, paupertate, & ignominia; nempe ut præter alia, quæ arrogantes deprimunt spiritus, seipsum in sua sapientia, atque innocentia minus amet. Quod illi instar erit auri, & omni auro, pretiosiusque lapillis multò pretiosius.

46. Addo tertiam explicationem, ut ex illis, quæ malueris eligas, nisi omnes reiiciendas putes. Aurum quod ab Aquilone aduehitur pretiosum est, & eo ipso nomine hominibus gratum. Comparatur autem cum auro Aquilonari, Dei ab spiritu afflictio, atque humili formidolosa laudatio. Sicut enim ad hominem ab Aquilone gratum affertur aurum, sic ad Deum accedit grata laudatio, quæ cum metu, ac religione fit. Spiritus enim humilis, suæque tenuitatis conscius, non sine formidine aggreditur diuinas laudes, quas supra humanam facultatem esse videt; & quàm ipse parum possit agnoscit: maximè ex quo vexatio dura aperuit oculos, & dedit intellectum. Hæc expositio mihi facilis est, & optimè sibi consequentia contextit, &

Magnus in dolore & paupertate thesaurus.

Gratia Deo laus ab animo afflictio.

A Iobo tunc temporis accommodata valde, quem Eliu hortatus, ut suam cognoscat infirmitatem, & Deum formidolosa laudatione commendet.

47. Vers. 23. *Dignè eum inuenire non possumus, magnus fortitudine, &c.*] Hoc attulit Aquilo, id est, paupertas, & dolor commoditatis, ut homo suam tenuitatem, & diuinam potentiam magis cognoscat; & quæ dicta sunt omnia admirabilia, & quorum obscuræ causæ, ne speret homo inuenire se posse, quæ Deus humanam intelligentiam latere voluit, & Deum ipsum multo minus, cuius nemo virtutem, iudiciũ, atque iustitiam, ut maximè cupiat, enitaturque, cogitando assequi, aut explicare narrando poterit.

48. Sed iuxta tertiam expositionem ratio redditur, cur homini de Deo omnis formidolosa debeat esse laudatio. Quia cum exile sibi ingenium esse consideret & talem Dei gloriam, qualis in cor hominis nunquam ascendit, quia est *magnus fortitudine, & iudicio, & iustitia, & enarrari non potest*: Sic passim aut legimus, aut audimus oratores, qui timidè se dicunt alicuius laudes celebrandas suscipere, quia sui ingenij, atque imbecillitatis conscij sunt: & materiam vident tam esse vberem, & lautam ut omnis illam facundia tentare metuat, omnis labor, ac studium, omnis tam corporis, quàm animi contentio sustinere non possit. Dixit hoc idem, quod Eliu, Ecclesiasticus cap. 43. vers. 33. *Exaltate illum, quantum potestis: maior enim est omni laude. Exultantes eum replemini virtute: non laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit?* Quare multo silentio dicunt laudandum esse Deum, potius quàm hymnis, & canticis, & in illum sensum explicant Dauidicum illud Psalm. *Te decet hymnus Deus in Sion. Quod alij legunt; Te decet silentium.*

49. Vers. 24. *Ideo timebunt viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.*] Dum hæc cogitant viri in quibus aliquid est sapientiæ, imò aliquid mentis, non audent contemplari Deum, & illius enarrare potentiam, quod si faciunt aliquando, faciunt titubanter, ac timidè, ita ut sit laudatio illa formidolosa, tum quia magna tentat, quibus omnis eloquentia, atque contentio succumbit; tum quia multa ignorat, quæ de Deo possent prædicari magnificè, ut dixit Ecclesiasticus vbi proximè versic. 36. *Quis magnificabit eum, sicut est ab initio? multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius.* vbi autem multa sunt, quæ celebres, pauca dixisse iniuria est. Hic disputatio finitur Eliu.

ARGUMENTVM CAP. XXXVIII.

VM iam omnino ab Eliu, tribusque aliis peroratum esset, Dominus de turbine Iobum aggreditur, ut quem peracto certamine ornare vult, ignorantia prius manifestè conuincat, & per sui ipsius maiorem cognitionem ad maiora etiam beneficia disponat. Quare de rebus occultis, quas humana nequit intelligentia consequi, quæstiones proponit, & multa à se perfectæ dicit, à quorum molitione quàm longissimè abest humana facultas. Quibus rebus non solum ignarus ostenditur homo, sed etiam infirmus. Multa querit de cælorum ornatu, multa de terra, terrenisque omnibus, multa de aëre, atque aqua, de que admirandis in utroque elemento plurimisque miraculis, multa de quorundam animantium genere: quæ in hoc argumento enumerari non magnum habet operæ pretium.

CAPVT XXXVIII.

A

PARAPHRASIS.

1. **R**espondens autem Dominus Iob de turbine dixit:
2. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?

3. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.

4. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?

6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?

7. Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.

8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens?

Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

1. 2. Cùm iam perorasset Eliu, suam Deus disputationem exorsus est: & sic de turbine, vento videlicet in seipsum vehementer contorto, quasi de sua cathedra hunc ad Iobum sermonem habuit. Dixitque ad Eliu, qui multa locutus est, moderatè tamen, & contra quàm humanitas, & Iobi conditio postulabat. Quis est iste tam inurbanus, & insolens, qui sententias neque leues, neque imperitas, imperitis tamen sermonibus includit, atque contaminat.

3. Nunc tibi, ô Iobe, futura mecum concertatio; quare te virum præsta, non ignauum, & languidum, & te quamprimùm ad respondendum compara, & disces quàm sis rerum ignarus, quàm habeas futile, & tardum ingenium.

4. 5. 6. Et primùm si in tua tibi sapientia, & abditarum rerum cognitione places: si quid habes intelligentiæ, dic age ex quo loco expectabas me vniuersorum opificem, aut vbi gentium eras cùm prima terrena molis fundamenta posui. Quis partes vniuersi tam apertè descripsit, quis mensuras tectonicas, quis lineas, perpendiculum, & regulam adhibuit? quo bases illius firmavit, & solidauit artificio, quis lapidem illius angularem ad totius molis firmamentum demisit?

7. Quo tempore cælestes spiritus tam præclarum opus admirati, & ipsa astra tam splendida, tamque aptè ac numerosè disposita nihil habuerunt prius quàm ut me festino, ac matutino cantico celebrarent.

8. 9. Quis de terra sinu erumpenti mari, claustra opposuit, ne se quæ terra patet, totum effunderet, & commodam ho-

pp minibus

9. Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantia obuoluerem?

10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia?

11. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

12. Numquid post ortum tuum precepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?

13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?

14. Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum:

15. Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur?

16. Numquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?

17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?

18. Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti omnia?

19. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit?

20. Ut ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.

21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noueras?

22. Nunquid ingressus es thesauros

A *minibus habitationem eriperet? Quis è terra visceribus ortum mare nocturna caligine, & nubibus obuoluit, non aliter ac recens natum infantem nutrix infantilibus fasciis.*

10. 11. *Opposui autem vastam terræ molem, quam supra aquarum gurgitem eleuauit, qua quasi agger obiectus in suis aquas continerent finibus, neque paterentur è suis sedibus, & claustris foras excedere. Cui edixi ne ultra definitos sibi terminos exundaret, sed ad oppositos vectes, atque repagula tumentes allideret, & frangeret fluctus.*

B 12. *Numquid natus eras, o Iobe, quando formatus est sol; aut postquam in uinis esse cepisti, prescripsisti illi quomodo suos obiret cursus constantes, & ratos? ostendisti ne locum, ubi occidens absolueret cursum, & oriens inchoaret?*

13. 14. 15. *Concussisti ne extrema terra, qua vulgus hominum cardines esse putat, aut columnas eius, ut sceleratis, & impiis sublatis illam à scelerum colluione purgares. Quod si terram concussam, atque disiectam destituere uolueris, nam maiori difficultate prestabo reducamque ad priorem speciem, quam reducto sigillo instauratur effigies, qua fuerat à cera aut argilla deleta, aut dissutum indumentum à sartore consuitur. Sic tu, o Iobe, cuius omnia ablata, aut deformata sunt, quasi rursus inducto sigillo reformaberis. Longè aliter accidet his, qui ad violentum imperium impietatem addiderunt. Ab illis enim sic auferetur lumen ut non redeat, sic excelsum confringetur brachium, ut nulla soliditate firmetur.*

D 16. 17. 18. *Nunc ad mare deuenio, rogoque an ad occultos, profundosque recessus aliquando descenderis, & qua ibi marini inuoluunt gurgites, & cauerna abscondunt abditiſſime, contemplantus fueris. Quod si illa ignoras que illustrantur lumine, quia portas habent, per quas splendor se solaris insinuet: quomodo illa cognosces, que in terra visceribus, aut mortuorum regionibus latent, à quibus vasta moles, & immensa quedam opacitas omne lumen auertunt. Magna hæc sunt in rebus prioribus; magis que peruiis experiri uolentiam intelligentiam. Quare scire abs te uolo an terra latitudinem, & qua in illa uisuntur vniuersa cognoueris.*

E 19. 20. *Nosti que sit lucis, & tenebrarum domus; aut illarum nosti semitas, ut pro rerum opportunitate modereris tempora, & noctes inducas subducto, aut dies inducto solari lumine reducas?*

21. 22. 23. 24. *Tã autè aberas longè ut dici, ac noctis spatia dispensares ut neque tunc scires, an unquã uisurus esses lucem, aut quã esset*

niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?

23. Quæ preparavi in tempus hostis, in diem pugnae, & belli?

24. Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?

25. Quis dedit vehementissimo im- bri cursum, & viam sonantis tonitruï?

26. Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur?

27. Ut impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes?

28. Quis est pluuia pater? vel quis genuit stillas roris?

29. De cuius utero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?

30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.

31. Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

32. Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ confurgere facis?

33. Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?

34. Numquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?

35. Numquid mittes fulgura: & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adsumus?

36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?

37. Quis enarrabit cælorum ratio-

Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A *esset usura vite tue, ac lucis futura diurne. Sed neque illa nosti, quæ concrescunt in aere, in quo Deus suos habet thesauros, & armamentaria, unde expromat tela, quæ in peccatorum caput intorqueat, cum tempus pugnae, & hostium ingruerit. Quales sunt niues, & grandines, fulgura, & fulmina, & alia quæ humana comoda, & vires euertunt, & frangunt. Neque item nosti, quomodo lux atque æstus, quæ à sole trahunt commune & naturale principium, tam cito magna permeent, & compleant spatia; seque in alias, atque alias regiones non eadem mensura, atque ordine disperiant.*

B *25. 26. 27. Numquid affecutus es, quis nimbo, aut turbini cursum dederit, & impetum vehementem: aut tonitruo, quæ se late diffundat, viam aperuerit, ut imbrem effundant in ipsam etiam solitudinem, ubi neque mortalium ullus commoratur, & ibi conuestiant, & exhilarent agros, unde ad homines nulla possit peruenire commoditas.*

28. 29. 30. Quis pater est, & auctor pluuie, & illam maiori quadam mole, & largitate diffundit: quis pater roris, qui sedat, & molliter familiarius stillat? quis fecit ut aquæ natura fluida congelaretur frigore, & gelu, pruinæque concrederet: cumque aqua usque adeo sit mollis, & liquida, sic tamen obdurescat & rigeat, ut lapidi sit in sua duritie quàm simillima?

31. 32. 33. Neque quicquam efficies, o Iobe, si respondeas hæc omnia non à Deo, sed à naturali causa provenire, à pluuiialibus nempe syderibus, quales sunt Arcturus, Orion, Pleiades. Neque enim tu, aut quiuis alius vim illam frigoris syderibus tribuit, aut in ea cæli regione collocavit, unde ad pruinam, & glaciem vis esset, & natura potentior. Quare sicut nunc illa dissociare non poteris, aut de suo loco commouere, sic etiam neque tunc coniungere potuisti. Numquid mortalis homo euocare poterit Luciferum, aut Vesperum, qui hominibus nocturna tempora, ad varias curas, atque opera distinguant? aut cælorum ordinem, & motum quæ hominum manus, atque studia dirigunt, in terra describere? aut vim illam tantam, tamque constantem è cælo ad hæc inferiora deducere? Atque illa in terra prestare, quæ Deus in cælis operatur?

E *34. 35. Numquid, o Iobe, tonabis in nubibus, aut ex illis vim aquarum maximam effundes, quæ te operiat, & obruat, quod ego facio, cum libuerit? aut micabit, te iubente, cælum coruscante fulgure, quod tuo statim obsequatur imperio, siue abire iubeat, siue abeuntem reuocet.*

36. 37. 38. Quod si quid est in quocumque animalium genere intelligentiæ, si quid solertiæ quo sibi caueant, & de necessariis rebus abunde provideant, id certè à communi formatore,

nem, & concentum cœli quis dormire A
faciet?

38. Quando fundebatur pulvis in
terra, & glebæ compingebantur?

39. Numquid capies leonæ prædam,
& animam catulorum eius implebis.

40. Quando cubant in antris, & in
specubus insidiantur?

41. Quis præparat coruo escam suam,
quando pulli eius clamant ad Deum, va-
gantes, eo quòd non habeant cibos?

ac patre inditum est. Et ut ab homine anima-
lium omnium nobilissimo incipiam, quis illi
nisi Deus sapientiam indulset? quis gallo, ut
temporum notaret, doceretque discrimina,
præter Deum dedit intelligentiam? Quis au-
tem silere faciet gallum, ne tempora suo cantu
discriminet, aut cœlorum varios, atque con-
stantes motus: ex quibus admirabilis, ac nu-
merosus efficitur concentus? Qui cœlorum con-
centus tunc incepit, quando terra, quæ primùm
arida fuit, & in pulverem soluta, ab erumpen-
tibus ex ipsius utero aquis circumfusa fuit, &
in glebas, lutumque coacta.

39. 40. Equus erit qui leonam doceat,
quomodo sibi, & catulis venetur prædam, &
tam suam expleat, quàm filiorum famem?
tunc maximè quando in suis latent cubilibus,
neque satis habent ad prædandum virium,
cum infirma est ætas: sed prædam interim, &
insidias meditantur, quas in ætate adulta uti-
liter exercent.

41. Quis alit præter me coruum, odiosam
alioqui volucrem & pullis eius implumibus,
& à parente derelictis, idoneos parat, & por-
rigit cibos? cum clamant ad Deum, seque huc,
atque illuc assidue volutant, & versant, cum
fames, quæ illos diuexat, atque vrit, quiescere
non sinat.

Verf. I. Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit;]



MERSIMVS iam ex disputationibus
hominum, quæ licet graues, & acute,
in errore tamen aliquo versari, & in-
decorè labi potuerunt, sicut reuera
accidit non semel. Neque id mirum, cum illi, qui
cum Iobo disputationem longam inierunt, suo
instimulati spiritu loquerentur, non afflati di-
uino; imò, ut putabamus esse non improbabile,
intligati fuerint à Dæmone, sicut vxor, dome-
stici, & qui aliquando Iobi suberant imperio;
ut talia iactarent conuitia, aut obicerent cri-
mina, quæ illum excruciant vehementiùs, &
ad impatientis animi immoderatos impetus
adigerent. Nunc iam loquitur Deus, cuius sin-
gula verba suspicere, & eorum maiestatem ve-
nerari debemus. Sed sunt nonnulla hinc obser-
uanda diligenter.

Primùm ex vsu Scripturæ idem esse responde-
re, quod loqui. Neque enim necesse est interro-
gata præcedant, quibus satisfaciatur reddita re-
sponso; sed interdum vox ista sermonem orditur
percontante nemine. Mille occurrunt exempla.
Duo hæc accipe, tu plura non difficilè inuenies.
Matt. c. 11. Respondens Iesus dixit, confiteor tibi Pa-
ter. & c. 17. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum.
vtrouque in loco nullum præcesserat verbum, cui
esset respondendum: nisi quis malit, respòdisse
Dominum pro Iobo, quem cum oratione acu-
leata, & libera non semel perstrinxisset Eliu, nul-
lo tamen verbo ab illo repercussus, ac viola-
tus est. Cum ergo ad se potius, quàm ad Iobum

A contumelias illas pertinere iudicaret Deus, quæ
pauperum iniurias irrogari sibi putat, & illas
pro suis numerat, & vlciscitur; respondit verbis
contumeliosis Eliu, & vno verbo illius ostendit
leuiculus ingenium, & imperitam, & garrulam
suggillat eloquentiam. Neque hoc postremum
mihi displicet, quod S. Tho. videtur significasse
cum dicit, hanc responsionem factam propter
Iobum. Sed est omnino dicendum id quod alij
putant communiter, Deum verè, & propriè re-
spondisse Iobo, licet non fuerit immediatè lo-
cutus, quia priùs aliquid locutus fuerat, cui à
Deo satisfactum oportuit; quia in loquendi
modo excessisse non nihil à pia religiosâ-
que modestia videbatur, quod amicis, & alijs
offensioni fuit, in viris autem sanctissimis, qua-
lis erat Iobus, etiam quæ leuissima sunt, non
leuiter notanda, & castiganda sunt.

Neque dubitandum non intelligibilè tantum
esse sermonem, sed omnino sensibilè, quique non
à Iobo solum, sed etiam ab illis, qui cum eo ade-
rant, audiri potuerit. Audierunt certè amici Iob-
i, quæ locutus est Deus ca. 42. quibus eo loco
iussit Deus ut sacrificium offerrent, & pro se
deprecatorem Iobum adhiberent. Et si prima
verba, quæ locutus est Deus, ad Eliu pertinent,
quæ illius iuuenili, atque luxurianti eloquentiæ
respondent, quod mihi cum pluribus alijs ma-
gis probatur, quis dubitat hæc quoque ver-
ba ab illo fuisse vniuersè percepta? locutus au-
tem videtur Deus simul atque loquendi finem
fecit

4.
Deus cum
Iobo sensibili
sermone lo-
cutus.

fecit Eliu, quod expressere Septuaginta dum vertunt; *Postquam quicquid Eliu loqui, dixit Dominus.*

5. *Angelus apparuit, vel locutus est multis locis, ubi Deus apparuisse dicitur.*
 Locutus hic videtur Angelus cum Iobo, sicut aliis locis plurimis, ubi apparuisse dicitur, vel locutus Deus, ut est communis scholasticorum sententia, apparuerunt, aut locuti sunt Angeli. Quod aperte docuit Stephanus Actor. 7. vers. 38. ubi Angelum locutum esse dicit cum Moyse in monte Sinai, & cum Patribus, quibuscum iisdem locis expressè Deus locutus esse dicitur. Ad quem locum nos ea de re non pauca. Primum quod Angelus fuerit, qui cum Moyse locutus est in monte Sinai, habemus in Actis ab Stephano loco citato. *Cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sinai, & cum patribus nostris.* At Exod. cap. 31. sapius dicitur cum Moyse in monte Sinai locutus esse Deus. De Abraham dicitur Gen. 22. vers. 11. *Ecce Angelus domini de caelo clamavit, Abraham, Abraham:* & statim addit verba, quæ non ad alium, quam ad Deum pertinent; *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* De Iacob multo clarius; nam Gen. 31. narravit Iacob vxoribus suis somnium his verbis; *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis, Iacob, & ego respondi, adsum. Et dixit, ego sum Deus Bethel.* Hæc eadem nos supra cap. 1. vers. 6. ubi diximus Angelum esse illum, qui dæmoni in Iobum, vna excepta anima, & vita, reliqua permisit. Quod item hoc loco dicendum putamus. An verò Deus in turbine aspectabilem aliquam speciem obiecerit, dicemus infra cap. 42. ad illud; *Nunc autem oculus meus videt te.*

6. De turbine locutus est Deus, multi metaphoricum dicunt esse turbinem, & nihil aliud significare, quam sermonem increpatorium, & durum: quo Deus Eliu primum, deinde Iobum acriter reprehendit; & accusat. Ego in turbine nihil aliud intelligo, quam quod propriè sonat, neque est, cur ad figuratum sermonem confugiamus, quando proprius nihil habet, aut inuoluit absurdum; sanè nullus nisi audacter, & temerè negabit Deum fuisse in nube eo tempore quo egressus est Israel de Ægypto per desertum, & ad mare Rubrum, ut habes Exod. 13. vers. 21. & in Christi transfiguratione Matth. 17. neque videtur improbabile sicut Deus in columna nubis, & ignis, id est, in igne, & nube, in columna, aut turris similitudinem efformatis locutus est Deus (de quo Exod. 13. vers. 21. *Dominus autem precedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Sic etiam nunc apparuisse in columna aëris, cuius turbo aptam refert, & expressam imaginem. Est enim turbo non ventus latè diffusus, & nullo ambitu terminatus, sed ventus circumactus, & eundem ambiens locum, & se in ipsa concitans vertigine, ex Seneca lib. 5. natural. qq. c. 13. neque displicet quod Thyrao nostro placet lib. 2. de apparition. c. 8. turbinem esse hoc loco nubeculam in gyrum, id est, in seipsam frequenti vertigine rotatam. Quod planè docet Septuaginta translatio, quæ ubi vulgata turbinem, ipsa transtulit procellas, & nubes. & qui translationem illam sequuntur, omnes nempe Græci, qui sunt in Catena, & Augustinus in Annot. in Iob.

7. Cur autem in turbine apparuerit, aut ex Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A turbine locutus fuerit Dominus cum Iobo, causas afferunt interpretes morales, quos hic ego libenter adduco, quia grauissimæ sunt, & ad confirmandos animos eorum, quos tribulationum ætus exagitat, opportuna va de. Prima est, quia Deus increpare voluit Iobum, quia minus de Deo modestè locutus fuerat, ideo in turbine apparuit, cuius impetus est vehemens, & si paulò sit incitator, effectus horribilis. Si quando enim turbo in mari incubuerit, ubi dicitur typhon, non solum vela, & alia minora contorquet, frangit, & absorbet, sed ipsa etiam nauigia, quæ interdum sursum secum abripit. Et in terra euellit stirpitus arbores, conuellit saxa, & magnas subuertit, & dissipat moles. Ut ergo Iobus intelligeret Deo neque vires deesse, neque instrumenta, ut peccatorem puniat, cui exprobrat peccata, & in quem minaces intorquet voces, ex turbine loquitur, id est, ex idoneo sui furoris instrumento: qui non multo antea domum euerterat, & conuiuantes filios miserabiliter obtriuerat; & ut discat homo cum à Deo corripitur, illi proximum esse turbinem, & instrumenta quibus exigit pœnas ab eo, quam prius oratione minaci perstrinxerat.

B Secunda ratio est, ut quiuis intelligat à Deo vel immitti, vel permitti mala, quibus probeatur, & exerceatur homo; etiam si illa excogitata, & inflictæ videantur à dæmone. Neque enim Deus ab illis abest ærumnis, aut tormentis, quæ homines exeruciant, aut euertunt bonis, aut maciem attenuant, atque debilitant; neque magis tunc erat in turbine innoxio, ex quo loquebatur ad Iobum, quam in illo horribili, qui subruit domum, & totam ferme Iobi progeniem extinxit. Quare cum homo durè se à lingua, & manu hominum, aut à morbo, seu mala fortuna exerceri sentit, non est cur in hominum, aut morosum ingenium, aut inuidiam, & odium conferat culpam; cum Deus hæc videat, & permittat; imò & sæpe illis non solum ut adiutor, & socius, sed etiam ut præses, & author intersit. Quod ante hæc tempora nouerat Iobus, cum c. 1. dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Est præterea in turbine Dominus ut illius moderetur impetum, neque sauire patiatur supra id quod homo ferre sine dispendio possit. Quare cum in Iobum diabolo potestatem dedisset, qui nihilo turbine mitior est, ita tamen temperauit, ut neque vitam auferret, cum maximè cuperet, neque animæ vulnus inferret, nisi admodum leue.

C Tertia ratio est, ut ostenderet Deus se in suorum passione compati, & in eorum dolore dolere simul. Dixerat Iobus supra c. 9. v. 23. Deum de pœnis innocentium ridere, & c. 30. vers. 21. Deum sibi in crudelem esse factum, & alia in hanc sententiã plurima. Hanc igitur opinionem, aut cogitationem, ut ex Iobi, iustorumque, qui variis cõsistuntur incommodis, animis exueret, in turbine apparere voluit, ut ex simbolo ostenderet, dolori sibi esse innocentium dolorem, & quatenus humanæ cogitationi proponi potest, non minus Deum ipsum exeruciari, dum alios videt in equuleo, quasi ipse idem in equuleo tormetum subiret. Quare cum Iobus esset tunc in turbine, à morbo, à viciis, à solitudine, & inopia, ab omni hominum genere variè vexatus: neque quiescens vnquam à rapida,

8. Cur Deus apparuit in turbine.

In turbine suam Deum potentiam ad primum ostendit.

8. A Deo permittuntur, aut immittuntur mala, quibus exerceatur homo.

Deus est in ipso doloris nostri instrumento.

9. Deus quando nos patitur, ipse quoque quodammodo patitur.

Deus eum ap-
paruit in ar-
denti rubo.

continentique vertigine; in simili Deus visus A est vertigine, ac turbine, ut quo esset in Iobum studio, atque animo, significaret, non obscuro symbolo. Sic sane Deus apparuisse existimatur Moyse in ardenti rubo, id est, aculeato frutice, in quo expressa videbatur ærumnosa Hebræorum conditio, qui variis ab Ægyptiis pungebantur aculeis, & igne tribulationis vrebantur eodem temporis articulo: tum ut illis spem obiiceret libertatis, cum rubus ille non consumeretur, tum ut sibi dolori esse aut curæ illorum calamitatem ostenderet. Coniectus est in carcerem Ioseph Genes. cap. 39. in eadem quodammodo vincula coniectus est Deus, de quo Sap. 10. v. 13. *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.* Eiusdem est vox illa Psal. 90. vers. 15. *Cum in seculo sum in tribulatione.* & Psal. 80. in tempestate & turbine se fuisse dicit, & tribulatis inde se fuisse subsidio; *Exaudiui eum in abscondito tempestatum.*

10.

Quarta ratio est, ut ex hoc spectro confirmaretur Iobus, qui iam videbatur dolorum acerbitate frangi: & ad aliorum tolerantiam languere; & alij quibus similis erat vitæ conditio, ut non solum constanter, sed etiam alacriter subirent, imò etiam adirent futura certamina. Ut enim magnas recepit vires, cum Christi suscitati gloriam agnouit, ex qua resurrectione suam etiam futuram aliquando præsentit, cuius spem in sinu suo reposuit; & abscondit, futuram sibi in duro rerum certamine solatio, sic nunc cum Deum in turbine, id est, in eodem quasi conflictu, atque tormento videt, magnos spiritus, & robur, ad quiduis tolerandum assumit. Quod si in apparitionibus illis, quæ factæ fuerunt in testamento veteri, Christus apparuit, aut Angelus qui venturi Christi imaginem referret, multò maiorem vim habet hæc nostra cogitatio. Sic sane putant Patrum quam plurimi. Theodoretus quæst. 5. in Exod. Iustinus Martyr dialog. cum Tryphone, Tertull. lib. 2. contra Marcionem. Hilar. lib. 4. & 12. de Trinitat. Ambros. lib. 1. de fide. Chrysostomus in cap. 7. Actor. id quod non videtur ignorasse Iobus qui redemptorem suum Christum viderat. c. 19. utique ex passione, & morte resurgentem. Species igitur Christi in turbine, id est, in duro passionis, mortisque certamine confirmare Iobum magnopere potuit, ut quicquid deinceps malorum acciderit, sustineret alacriter.

11.
Principium
exemplum
ad laborum
patientiam
potam.

Sane ipse rerum usus, & omnium penè sæculorum experientia docuit, magnam subditum, & ingenuum populum, ex virorum principum, atque Sanctorum exemplo ad perferendos labores accipere constantiam. Multa hic dici, nec ipe iucunda possent, de animorum mutatione, in summa desperatione, atque periculo, propter illorum exempla, quos habuisse in eodem discrimine duces, atque confortes. Tritum est illud Lucani lib. 9. vbi docet plus habuisse momenti ad confirmandos, ad quilibet audendum militum animos Catonis exemplum, quam proposita munera, edicta minacia, aut quodlibet aliud ab humana solertia quæsitum artificium.

*Ipsæ manu sua pila gerens præcedit anbeli
Militis ora pedes; monstrat tolerare labores,
Non inber.*

Accipiunt homines etiam ignavi, & timidi illum animum, quem ex Sextij cuiusdam viri magni exemplo, ac verbis accepisse se dicit Seneca epi. 64. *In quacunque, inquit, positione mentis sim, cum lego hunc, libet omnes casus prouocare, libet exclamare. Quid cessas fortuna congregere: paratum vides: Illius animum induo qui quarit, ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat.*

*Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.*

Libet aliquid habere, quod vincam, cuius patientia exerceat. Hæc Seneca. Simile aliquid accidit his qui fugientem à ciuitate Dauidem à facie Absalom profecuti sunt. Quibus graue non fuit, cliuolum, & asperum ascensum pedibus superare, quia suis pedibus ascendentem Regem viderant, vide quid nos hac de re in nostris commentariis ad cap. 15. v. 18. lib. 2. & deinde c. 17. v. 11. quam sit graue ad confirmandos militum animos, Principum exemplum atque præsentia.

Verf. 2. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis.* Dubitant hic interpretes, an hæc verba ad Iobum sint seu ad Eliu referenda. Quidam ad Iobum putant, quia Iobo Deus in principio capitis respondisse traditur, & in longa disputatione aliquid videtur dixisse Iobus, in quod apte caderet diuina hæc reprehensio. Deinde quia Deus quos docere, & illuminare vult, aut suis ornare, aut commendare sermonibus prius aliquid obiicere solet, quo illos & pudore suffundat, & suæ tenuitatis conscios reddat, & quod se ad maiora comparent beneficia, si quid habent inflati spiritus, id totum abiiciant. Sic Petro paternas sordes, & generis, & ministerij ignobilitatem obiecit dum Simonem vocat, & Ioannis filium, quando illi tradit clauas cælorum, & pastorem constituit, facitque sui ipsius in terra vicarium. Et cum sponsam, quæ thalamum prodidit coniugalem, ad fœdus iterum connubiale reuocet, Ezech. 16. & Osee cap. 2. eidem sordes exprobrat antiquas. Neque rationes aliæ, quæ in hanc cogitationem afferuntur, infirmæ sunt, quæ faciunt sententiam hanc non improbabilem, quas hic omitto, quia neque esse longus vellem, neque hoc esse puto admodum necessarium. Plerique eò incumbunt, ut dicant: hæc seuera reprehensione accusari leuitatem, & ambitionem audacem Eliu, qui cum sententias attulerit graues & veras, illas tamen sermonibus imperitis implicuit, & inuoluit, quia aut dixit loco non suo, & in illum intorsit, à cuius animo exprobratum crimen plurimum abhorrebat. Cadit autem in illum optimè reprehensio, qui proximè longam habuerat orationem, eamque plenam ambitiosæ facundia, & extra scopum plurima iaculantis. Neque videbatur hic futurus immunis ab increpatione, cum alij tres, qui non magis inhumanè, & inscitè cum Iobo disputarant, tam fuerint atriter reprehensi capit. 42. In posteriorem hanc sententiam magis propendet assensio, licet à priori non profus abhorreat. Imperiti autè dicuntur sermones, quibus graues sententias implicat Eliu, quia

12.
Deus prius
reprehendit
quos ornare
vult.

13.

quia illi immoderatiùs inflati fuerunt, & inurbanæ cuiusdam acerbitatis pleni; neque satis ad Iobi statum, & necessitatem attemperati: quique nocerent potius, quàm prodesse exulcerato, atque morienti animo: sicut etiam imperitus magno suo merito, existimatur esse medicus, qui medicinam ex suo genere nobilem, neque suo porrigit tempore, neque iuxta id quod exigit aegroti corporis vera, & non ab inerti medico simulata, aut ignorata necessitas.

14

Verf. 3. *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi.*] Cur Deus nunc interroget Iobum, & iubeat ad respondendum esse paratum, quarunt interpretes, & eorum non pauci, adfuisse dicunt Deum accersitum, imò & prouocatum à Iobo, & suam disceptatione publica nomen voluisse ab omni suspitione vindicare. Dixerat enim Iobus cap. 13. verf. 3. *disputare cum Deo cupio.* Et verf. 18. *Si fuerò iudicatus, scio, quòd iustus inueniar.* Et verf. 22. *Voca me, & ego respondebo tibi, aut certè loquar, tu responde mihi.* Hoc mihi semper duriusculum visum est. Neque enim de Dei sapientia, ac fortitudine, aut de prouidentia circa res humanas dubitabat Iobus, vt ideo his de rebus disceptare cum Deo desideraret, sed de sua innocentia, aut de leuioribus culpis, quas longè supra merita Deus punire videbatur. Ea enim de re responderi sibi velle ostendit, cum dicit; *Quantas habeo iniquitates, &c. Ostende mihi cur faciem tuam abscondis: & arbitraris me inimicum tuum.* At Deus hinc non agit de peccatorum momentis, quæ Iobus admittit, neque de suppliciorum pondere, quo in illa, aut iudex, aut vltor, animaduertit, sed de humani ingenij imbecillitate, quæ vix minimam illarum rerum partem assequitur, quas diuina solertia architectata est. Hanc tamen sententiã sic interpretor, amplectorque, si dicat Deum à Iobo ad certamen illud iudiciale prouocatum; hac vna ratione illius os obstruere, & linguam constringere voluisse, quòd diuina cõsilia prorsus ignoret: atque ideo de illis iudicare non possit, & cum humanis rationibus, nisi insipienter, & superbè, & cum intolerabili errore componere. Id autem eo argumento probat, quia cum hæc humana, quæ ipectamus oculis, & manu tenemus, nostram intelligentiam efugiant, multo minus assequemur, quæ abscondita sunt, & quorum in rebus non apparent, nisi incerta, & obscura vestigia, de quibus rebus interrogatus Iobus, & quid respondere poterat ignatus, fateretur se peccasse, & ideo agere se velle pœnitentiam in fauilla, & cinere. Eodem artificio vsus est Eliu cap. 36. & 37. vt Iobum ignorantia, & stultitia conuinceret, cum disceptare vellet cum illo, cuius essent opera admirabilia, & inscrutabile consilium. Imò videtur Deus explicare magis, & angustius premere voluisse quod cap. 37. verf. 18. dixit Eliu; *Tu, inquit, forsitan cum eo fabricatus es ocelos: Ostende nobis quid dicam illi, nos quippe inuoluimur tenebris. Quis narrabit ei, que loquor?*

15

Accingi lumbos strenuus est, & festinantis animi signum.

Accinge sicut vir lumbos tuos.] Hæc prouerbialis est dicendi forma, quæ strenuum hominem significat, & ad omne opus quodcumque illud sit expeditum, & proprium. Orta autem videtur ex Hebræorum, & vt hic locus indicat, item ex Idumæorum consuetudine, qui tunicis vtuntur ad talos vsque defluentibus, quæ

A non possunt non esse impedimento his, qui viã carpere, & aliquod aliud opus aggrediuntur. Quare cum maturato opus est, ne quid longa lacinia afferant impedimenti, ac mora, accingunt se arctius hi, quibus id negotij datum, & fluentes sinus ad cingulum reducunt. Quare sæpe qui ministrant, dicuntur accingi, aut præcingere, seu accingere se, aut renes, siue lumbos, cum expeditè ac celeriter in aliquod negotium incumbendum est. Sic Eliseus cum Giezi famulo suo eam celeritatem in via commendauit, vt saluaret neminem, neque salutatus alicui responderet, præcepit prius libr. 4. Reg. c. 4. vt lumbos accingeret: quod etiam, quia prouerbialis est dicendi modus, dixisset Eliseus, etiam si breuem haberet, & expeditam vestem, sicut nunc Deus præcepit Iobo, vt lumbos accingat, cum tamen erigere se non possit; in quo solum statu succinguntur vestes, & accinguntur lumbi, neque fortasse tunicam habuit in suo sterquilinio, quam accingeret. Quocirca qui ex hoc loco colligeret talari Iobum indutum esse veste, nihil efficeret: quia hæc prouerbialis forma id tantum agit, vt hominem comparet, & excitet, vt studiosè, ac promptè aliquod opus faciendum suscipiat.

Quia verò expeditè, & strenuè aliquid facere, opus est virorum, quos neque frangat labor, nec tardet difficultas: ideo iubetur Iobus, vt eo accingat modo lumbos suos; quo viri solent, id est, quo viri se ad magnum, & difficile negotium accingunt, & comparant. Aliter enim se delicatæ, atque otiosæ fœminæ præcingunt, virique molles, qui quietem amant, muliebresque delicias, aliter qui militiam, & arduum aliquod opus meditantur. Illos enim Deus reprehendit, & ipsi etiam profani dedecus vocant, & ignominiam hominum, & terræ denique pondus inutile; hos autem laudat, & requiem honorèque promittit. Vide parabolam seruatorum, qui præcinctis lumbis dominum expectant, Lucæ c. 12. & Matth. c. 29.

16.

Verf. 4. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ: indica mihi si habes intelligentiam.*] Incipit iam Deus interrogare, atque vrgere Iobum & eò paulatim adigere, vt se rerum ignarum esse cognoscat, & fateatur ingenuè. Et primùm iubet, vt ostendat quo tunc esset loco, quando prima terrenæ molis fundamenta posuit, quod cum videre non posset, cum nondum esset natus, neque illa modò humanis oculis appareat; necesse est à Iobo ignorentur omnino. Loquitur autem de vniuersi fabrica, eo prorsus modo quo aliquis de molitione aliqua singulari, atque priuata loqueretur: cum tamen hæc ab illa toto distaret cœlo. Quare in hac admirabili constructione audimus fundamentum, angularem lapidem, lineas, bases, mensuram, quæ vulgares adhibere solent architecti, dum vulgarem aliquam fabricam moliuntur. Quæ tamen omnia cordati homines remouent ab vniuersi molitione; quia summo rerum opifici necessaria non fuerunt, neque opportunum aliquem vsus videntur habere potuisse. Sic fanè Cicero libr. 1. de natura Deorum vbi Platonem reprehendit, quòd nouam quandam rationem ostendit, qua Deus vniuersum architectatus est; *Quibus, inquit, oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo, atque adificari mundum fecit? Quæ molitio,*

17.

Homines de diuinis quasi de humanis oculis cogitant.

qua ferramenta, qui vestes, quæ machina, qui ministri tanti operis fuerint? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati architecti aer, ignis, aqua terra potuerunt? Qua ergo ratione negat Cicero Platonem scire potuisse, quem in vniuersi fabrica dominus seruarit modum: eadem nunc Deus aut probat, aut indicat hoc ipsum ignoratum a Iob.

18.
Fundamen-
ta terra quæ.

Fundamenta terra.] Fundamenta ædificiorum illa dicuntur, quæ totam molem suspendunt, & sustinent: quales sunt columnæ, & toti fabricæ subiecta saxa, super quæ tota molis altitudo confurgit. Quæ sint terræ fundamenta, diximus supra cap. 9. vers. 6. ad illud, qui commouet terram de loco suo, & columna eius concutitur. & cap. 26. vers. 7. ad illud, & appendit terram super nihilum. Neque videtur necessarium esse aliquid, quod addamus. Est autem fundamentum, aut bases, seu columnæ terræ, medium illius, quod Latini punctum, Græci κέντρον, id est, centrum appellat; dixit hoc optimè Tullius l. 2. de natura Deorum; Nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita coheret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius: omnes enim partes eius undique medium locum capebentes nituntur equaliter. Maxime autem corpora inter se iuncta permanent, cum quodam quasi vinculo circumdata colligantur. Quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. Quocirca si mundus globosus est, ob eamque causam omnes eius partes undique æquales ipse per se, atque inter se continentur, contingere idè terræ necesse est, ut omnibus eius partibus in medium vergentibus (id autem medium infimum in sphaera est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio grauitatis, & ponderum.

19.
Deus ad mû
di fabricam
tectonicis in-
strumentis
non eguit.

Vers. 5. Quis posuit mensuras eius, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam.] Deus pro hominum captu, ad cæmentariorum artem accommodatè, vniuersi ac terræ fabricam, & molitionem describit, cumque his instrumentis Deus in admirabili hoc opere construendo vsus non fuerit, non est cur de illorum vsu in hac constructione inuestigando laboremus. Certum est Deum in pondere, numero & mensura disposuisse omnia, Sap. 11. vers. 21. Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti. Quod de terræ fabrica negare impij esset, & audacis ingenij. Neque minoris esset audaciæ asserere Deo opus esse lineis, atque mensuris, aliisque tectonicis instrumentis, vt admirabilem illam molem, quam produxit ex nihilo, & firmaret admirabili connexionem, & ordine vario, & multiplici varietate digereret, Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Neque præter voluntatem suam aliquid adiuuere opus fuit.

20.

Potè architectus primùm locum eligit, metatur spatia quæ occupare debet moles, quam ædificat. Ad quem vsum adhibet mensuras, quibus loci magnitudinem metitur, deinde lineis describit ædificij partes, & latera an directa confurgant perpendicularo explorat, in his autem paucis complura alia artificum instrumenta per synedochen intelligit, quibus poliuntur, & exculpantur lapides, & totum denique opus ad extremum absolvitur.

21.
Basis terra
quæ.

Vers. 6. Super quo bases illius solidatae sunt, aut quis dimisit lapidem angularem eius.] Non sunt

A in terra bases vllæ, nisi figuratæ, aut metaphoricæ, sumpta similitudine ab aliarum molium substructione, aut columnarum, quas supposita basis sua firmitate sustentat. Basis terræ, vt nuper dicebamus, centrum est, & vis illa naturalis, qua cuncta grauitas, & pondus ad centrum, id est, ad id, quod est in sphaera medium, sua inclinatione, & natura rapitur. Nisi maius bases esse, quæ c. 22. vers. 14. & 36. vers. 30. cardines vocantur: quo loco nos plura de terræ cardinibus. Lapis autem angularis ille dicitur, qui vtrumque in ædificio parietem coniungit; qui angularis dicitur, quacumque in parte anguli locari contingat. Id non obscure ex epistola ad Ephes. capit. 2. vbi cum dixisset Apostolus Christum duos coniunxisse populos, & medio pariete disiecto fecisse vtraque vnum; statim appellat summum angularem lapidem. Vbi summus lapis esse dicitur, quia principem obtinet, id est, supremum locum, quique totum absoluit & ornatur ædificium. Et ita putant interpreti multi; qui in summo, id est, in excelsio loco constituunt, quia lapis ille Psalm. 117. & Petri epistola 1. cap. 2. factus esse dicitur in caput anguli, cum tamen prius reprobatus esset, atque contemptus. Quasi dicat, cum nullo esset apud homines pretio, iudicareturque dignus, qui nunquam hominum oculis appareret: summum locum obtinuit, & pretiosus est habitus.

Lapis angu-
laris qui?

C Adde quod Græcè ἀνγος οὐρανός dicitur, vox autem ἀνγος plerumque altissimam partem significat ædificij, montis, arboris, &c. nonnunquam verò lapidem significat imum, quique primus in fundamento ponitur. Isai. 28. vers. 16. Mittam in fundamentum Sion lapidem probatum, & angularem. Neque dubium est hoc loco de fundamentali lapide esse sermonem, tum quia cum basibus coniungitur, & demissus dicitur, quæ duo in caput, id est, in excelsum locum minimè conueniunt. Prouerbum porò esse putabamus apud Hebræos; lapidem reprobatum fieri in caput anguli, in nostris commentariis super Acta ad versicul. 11. capit. 4. vbi illius prouerbij verisimilem originem adduximus.

D Vers. 7. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.] Locus hic non parùm interpretibus negotij dedit, & quia obscurus est sensus, & quia cum antecedentibus non facilis nexus. In astris matutinis, & Dei filiis, qui iidem esse existimantur, quidam Angelos esse putant, qui admirati diuinam sapietiam, quam in terræ fabrica meditabantur, in illius laudes proruperunt omnes cum cantico, & iubilo. Ita Hieronymus, Gregorius, Beda, & è recentioribus nonnulli. Alij stellas idem esse volunt, quod sonant nempe astra, quæ ideo matutina dicuntur, quia manè apparent, antè videlicet, quàm oriatur Sol, ipso enim primùm oriente, statim à maiori fulgore oppressa latet. Sed quod ego potius arbitror, ideo astra matutina vocantur, quia simul atque esse ceperunt quo potuerunt modo diuinam sapientiam celebrarunt. Quæ autem primo quoque tempore fiunt, illa manè, aut matutino tempore fieri dicuntur, quia primùm diei tempus matutinum est. Neque in Scriptura sacra rarò accidit, vt quod quàm citissimè factum dicimus, manè dicamus esse factum, aut diluculo; ita vt nullum tempus, aut negotium illi occupationi aut tempori præuertatur. Porò illi

21.

Astra ma-
tutina quæ?

E

REGULA.
Quæ primo
quoque tem-
pore fiunt,
manè fieri
dicuntur.

REGVLA. illi qui manè aliquod aggrediuntur opus, ex Latinorum vsu *matutini* dicuntur. Est enim vsitatum, vt quod proprium est temporis, ad eos, qui in aliquo tempore quidpiam fecerunt, accommodetur. Sic *matutinus* vocatur, qui matutino, id est, primo quoque tempore aliquam curam suscipit. Virgil. lib. 8.

Nec minus Aeneas se matutinus agebat.

Vespertinus vocatur lupus, qui vespertino, id est, nocturno tempore prædas agit, Abac. cap. 1. *Et velociores lupis vespertinis.* Horatius libr. 2. satyr. 4.

Si vespertinus subito te oppresserit hospes.

Sic *nocturnus* dicitur fur, insidiator, adulter. Sic ergo *astra* vocari possunt matutina, quia manè, id est, in principio suæ lucis, & creationis laudauerunt Deum. Quare idem est matutina astra laudant, atque manè laudant.

24. Qui in *astris* nihil intelligunt, nisi quod sonant, iidem in *filii Dei* Angelos agnoscunt. Cur autem Angeli filij dicantur Dei, diximus supra cap. 1. ver. 6. Hæc autem sententia quæ in priori hemistichio astra, in posteriori Angelos agnoscit, patronos habet non contemnendos: & mihi magis videtur expedita, quam tenent S. Thomas, Eugubinus, Stunica, Pineda, Burgensis. Quod autem *stellæ*, & res inanimatæ laudent Deum; mille docent exempla in Psalmis, & Canticis, in quibus res rationis & sensus expertes aut laudare dicuntur Deum, aut ad diuinas laudes inuitantur.

25. Ex hoc loco quidam colligunt, antequam terra conderetur, creatos esse Angelos, & stellas, quæque hoc loco astra, seu lumina matutina dicuntur. Quid ea de re dicendum sit disputant scholastici doctores luculenter, & grauius. vide ex nostris Pererium lib. 1. comment. in Genesim. Molinam l. p. q. 61. Valentiam q. 12. de Angelis, puncto 2. Gabrielem Vasquez l. p. disp. 224. Ego hic nihil definio, quia res est longa, neque ab aliis deserta, quorum est magis propria, quam illorum, qui diuinam Scripturam interpretantur. Tantum dico, ex his verbis argumentum non sumi, quod in vtramuis partem plurimum vrgeat. Vox enim *cum*,

REGVLA. Quando, cum & similia in Scriptura sacra non ita certum aliquod tempus aliorum respectu comparationeque significant, vt ad illud tempus angustè & presè coarctentur, in quo aliud contigisse dicitur, sed si aliquandiu præcessit, aut subsequutum est, factum tamen fuisse traditur, quando illud aliud factum esse dicitur. Exempla sunt plurima ab egressu filiorum Israel, qui vna nocte accidit, nec pauca Scriptura sacra alibi suppeditat. Exod. 16. datum dicitur manna quâdo filij Israel egressi sunt de terra Aegypti, & lex data Deut. 4. Leuit. 26. & 3. Regum 8. quæ tamen data fuit die post egressionem quinquagesimo. Quare etiam si quando terra creata est, astra non fuerint, quæ Deus quarto produxit die: neque Angeli, optimè tamen eo tempore, quo fundata fuit, & astra matutina, & Angeli laudasse Deum dici possunt, quia proximè à terræ fundatione abfuit illa astrarum laus, & Angelorum iubilatio. Ita hæc mihi posterior explicatio placet, vt prior non displiceat, neque magis hanc, quam illam lectori persuadeo.

26. Nunc videndum, cur cum terræ fundatione coniuncta fuerit illa astrarum, Angelorumque

A laudatio. S. Thomas id indicat dixisse Deum, quasi significare vellet; terram à se non fuisse fundatam, quia illa indigeret, aut hominum laudes expeteret, cum haberet cælum, vbi habitaret ipse, neque deessent astra, & Angeli, quorum laudes assidue personarent. Alij ideo admisceri putant diuinas laudes terra fundata, vt significetur quanta fuerit in illius fundatione diuina solertia, quam ipsi admirantur Angeli, quorum longè maior est intelligentia, vt vel hinc Iobus intelligat, quàm absit longè, vt arcana Dei consilia cognoscat; cum neque terræ rationem, & symmetriam intelligat, quam ipsi etiam cælestes spiritus admirantur.

B Mihi placet, quod visum est Caietano, hinc adhiberi à Deo, qui humanis se cogitationibus, & sensibus accommodat, illa omnia quæ ab hominibus ad alicuius domus, aut egregiæ molis constructionem adhiberi solent. Et quæ admodum mensuræ, lineæ, basis, angularisque lapidis meminit, quia his humani vtuntur artifices: sic etiam iubilationis, & laudis, quæ dum prima iaciuntur fundamenta, resonant, ab his qui domui, & illius conditori benè precantur. Quod nostris temporibus vsitatum est, & penè legitimum. Quod autem id antiquo tempore vsitatum fuerit, optima habemus non ex profana solum, sed ex sacra etiam literatura vestigia.

C Quando prima templi secundi fundamenta à Zorobabele posita sunt, personuisse ab exultante populo laudes & cantica habemus ex Esdra lib. 1. cap. 3. ver. 10. *Fundato igitur à cœmentariis templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, et laudarent Deum.* De hoc rursus templo secundo & de priori à Salomone constructo est illud Zachar. cap. 4. ver. 7. *Educet (Zorobabel) lapidem primum, & exequabit gratiam gratia eius.* Quidam legunt, *acclamationes*, quæ sunt festiui quidam clamores, & plausus, quales excitari solent in theatris. Tales clamores dicuntur futuri, cum in edificio secundi templi primus lapis fuerit à Zorobabele locatus. Tunc autem *exequabit gratiam*, id est, gratulationem eius, id est, templi prioris. *Gratia*, id est, laus, & gratulatio posterioris. Idem credo antiquissimis sæculis factum à profanis, non solum absoluto opere, (id enim satis omnibus exploratum, & docent magnorum, & publicorum operum dedicationes, quales fuerunt illius theatri quod construxit, dedicauitque Pompeius, de quo Cicero l. 7. epist. 1. & Amphitheatri, cuius insana fuit Domitiani dedicatio, de qua Martialis in suo Amphitheatro. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Daniele cap. 3. vbi de statuæ Nabuchodonosoris dedicatione non pauca.) Non solum, inquam, absoluto opere, sed in principio constructionis, cum fundamentum aperitur, aut primus supponitur lapis, acclamationes fieri, & signa edi publicæ lætitiæ, docuit ex nota Gentium consuetudine Virgil. lib. 7. vbi sic de nouæ Troiæ fundamento.

*Dicitur hic subito Troiana per agmina rumor
Aduenisse diem, quo debita mœnia condant.*

Certatim instaurant epulas: atque omine magno

Crateras lati statuunt, & vina coronant.

Siue ergo fundatam consideras, siue absolutam

27.

Magnarum
morum fun-
damenta cum
iubilo iaciuntur.

28.

Vrius quo
templi fun-
damenta cum
clamore festiui
posita.

ram terram: quod idem ferme fuit, cum eodem temporis momento inchoata fuerit, atque perfecta tanti operis tam præclara molitio, illius tamen causa humana consideratione ac sensu laudarunt Deum altra matutina, & cum festivo clamore, & plausu iubilant Angeli, qui filij Dei vocati sunt.

29.

Vnde origo maris.

Verf. 8. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens:* Haec tenus de terra. Iam Iobum Deus ad maris considerationem aduocat, & admirandam in eo siue educendo, siue comprimendo solertiam ostendit. Et accommodatè ad hominum sensum oriri dicit mare de terræ visceribus, & quasi de vulua; quia experientia didicit homo fontes nasci de terra, & ex illis componi, & magis, atque magis augeri flumina, quæ tandem in latissimos maris sinus illabuntur, ex quibus putant vulgaria hominum ingenia vastam illam Oceani molem, & abyssum esse collectam. De origine atque ortu maris varia sensere Philosophi, vt tradit Aristoteles lib. 2. Meteor. in principio, & Plutarchus lib. 3. de placitis Philosophorum c. 16. Qua de re hinc pluribus nobis agendum non est, sed explicandum paucis, quænam dici possit, aut existimari vulua illa, quæ tantum monstrum videtur peperisse. In qua constituenda varij sunt interpretes, neque ego aliquid inuenio, in quo mihi ipsi omnino satisfaciam.

30.

Qua vulua vnde ortum est mare.

Quidam *vulua*, seu *uterum*, vnde e ductum est mare diuinam putant esse sapientiam, ex qua ortum est mare, & quicquid est in rerum natura. Ita ferè S. Thomas, Eugubinus, Lyra, Dionysius. Alij *vulua* esse putant locum, vbi primum, & naturali sibi loco fuerunt aquæ, vnde postea diuino imperio congregatae sunt, vt appareret arida, quæ commoda esset hominum habitatio. Vt autem infans, à quo in hac narratione similitudo ducitur, primum est in vulua, & cum inde egredietur, in alium locum secedit: sic aqua cum è terræ superficie, quam prius opleuerant, in certos sinus, & cavitates se receperunt, ex sua vulua videntur egressæ, quasi è maternis visceribus infantes. ita Caietanus, & Dionysius.

31.

Alij in principio creatam esse dicunt rerum omnium materiam informem, quam sacer historicus terram appellat inanem & vacuam; & ex hac, quasi è vulua, corruptibilia omnia fuisse producta: imò & cælestes etiam orbis arbitrati sunt. Quam sententiam antiqui Philosophi videntur amplexi, ex quorum mente Ouidius in principio suæ Metamorphosis.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cælum,

Vnus erat toto natura vultus in orbe,

Quem dicere chaos, rudis, indigestaque moles.

Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem

Non bene iunctarum discordia semina rerum.

A qua sententia non videtur abhorruisse profus Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 7. vbi illam latius tractat, neque tamen refellit, aut improbat. Neque desunt alij, qui hæc aut tenent aut indicant, de quibus late scholastici doctores, qui hæc aut probant, aut infirmant, & respuunt. Vide Molinam nostrum in opere sex dierum, & Franciscum Suarez de eodem argumento lib. 1. cap. 8. Quod si ita foret, non esset difficile cognoscere, quæ-

nam fuerit illa vulua, vnde productum mare, illa videlicet informis materia rerum omnium, seu chaos aut indigesta moles, vnde reliqua omnia prodixisse dicuntur.

Hæc quaestio difficilior est, & longior, quam vt ab interprete Scripturæ sacræ tractari debeat, qui ita literam sedatur & explicat, vt à quaestionibus abstineat longioribus. Quod Scholastici doctoris negotium est, maximè cum res ad scholasticum puluerem deduci, & scholasticis argutiis agitari solet. Scio communem esse Scholasticorum sententiam, primo die creatum esse cælum & terram, & media omnia, quæ inter hæc duo extrema continerentur, ignem videlicet, aërem, & aquam, licet horum trium nihil, quod ad ordinem faciat, à Moysè in Genesi proditum sit. Qui etiam addunt non solum eodem die, sed etiam eodem temporis momento elementa omnia simul cum cælo, & terra fuisse congenita.

Ego primum statuo, cum aliis ferme omnibus primo die elementa quatuor simul cum cælo fuisse creata: neque tamen videri improbabile, ac durum, in horum productione ac genesi fuisse aliquem ordinem. Vt enim alia omnia in diuersis diebus orta sunt, & variis ornamentis illustrata, sic etiã hæc in variis eiusdem diei partibus videntur prodixisse, ita vt post cælum terra, deinde aqua, tertio loco aër, deinde ignis in suum quæque locum prodierint. Quod autem terra, aquarum generationem, aut saltem illarum partem, seu egressum de vulua præcesserit, docet Hieronymus, & Beda hinc; *Vulua*, inquit, *de qua mare procedebat ueraxensiuos ipsam terram subiacentem possumus intelligere, et de ea, & in ea aquam creatam à Deo esse credamus. Duas enim partes mundi magnas, cælum, & terram Deus ex nihilo fecit, & una earum de materia informi, ceteras autem creaturas distinctas, siue formatas instituit. Inter quarum creationem, & aquas credimus factas, quarum quidem conditionem in principio Genesim scriptam non legimus.*

Vulua, vnde erupit mare, vastam quandam cavitatem & sinum esse arbitror, vnde Deus ingentem illam aquarum molem euocauit: quam in illo sinu creauit Deus, post terræ formationem, & deinde quasi terræ partem obstetricante manu in lucem produxit. Aut certe creauit Deus terram non inanem, sed grauidam aquis; quæ licet eodem temporis momento creatæ fuissent, non tamen foras eodem temporis momento prodierunt. Quod autem sinus fuerit, qui dici potuerit terræ vulua, similis sceminarum utero, vnde foetus erumpit, argumenta sunt in Scriptura sacra non infirma. Primum est Genes. c. 7. v. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* vbi sermo est de diluuiio, quod Noëtico sæculo orbem inundauit, vastauitque; ad quam inundationem aperti dicuntur fontes abyssi magnæ. Abyssus autem caeuerna existimatur amplissima, vt in hunc locum indicat Caietanus, & docet aperte noster Pereira, quæ plena est aquis, quæ ideo modò in terram non erumpunt, quia ora non habent, per quæ vim illam aquarum maximam euomant. Esse autem sub terram in illius inclusa visceribus lacus, flumina, maria, ex eo probat, quia id produnt non leuis fidei historici Cosmographi, & experientia ipsa constat, cum

motu

32.

Primo die elementa cælo creata, cum aliquo iam orâme.

33.

Aqua è terra visceribus e ducta.

Abyssus magna terra qua.

motu aliquo graui terra dehiscit, existere no- uos fontes, & flumina, vbi ante illud tempus visa non fuerant. Quod in Hispania accidit aliquando, vbi ego fluuium vidi non paucis annis iam fluentem, qui tamen multis ante annis in montium, vt apparet, cavitare latue- rat. Sanè Plinius libr. 31. cap. 5. terræ motibus aquas profundi, & absorberi dicit. & in Cory- co monte erupisse annem, postquam cæptus est coli. Hunc sinum, aut hanc terræ vuluam, quæ aquas concipit, & continet, quidam tartarum esse putant, qui est prope centrum, vbi antiqui non poetæ solum, sed etiam Philoso- phi fluuiorum, & fontium originem, & con- ceptaculum esse putauerunt, de qua Plato in Phædone in persona Socratis. A qua cogita- tione non procul absunt ex nostris Oleaster, Vatablus in hunc locum Genesis, & Fran- ciscus Georgius 1. tomo problematum pro- bl. 88.

34. Alius locus est libr. 2. Reg. capit. 22. in eo Psalmo, quem parum immutatum habes in Psalterio numero 17. vbi enim hic legis; *Apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt funda- menta orbis terrarum*, illic habemus; *Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt funda- menta orbis*. Quem locum in nostris commen- tariis in libros Regum de tempore diluuij in- terpretati sumus. Neque enim, vt ibi ostendi- mus, in aliquem locum, aut tempus, quæ ibi dicuntur, omnia accommodari possunt, ex ea itaque abyfso, siue terræ vulua, ea vis aqua- rum erupit, vt mare quoddam vastum in spa- riosum hunc mundum videretur effusum. Re- uelata sunt autem fundamenta terræ, partes ni- mirum illæ centro proximæ (quod paulo an- tea terræ fundamentum esse diximus) quia ex- haustis aquis, quæ sinus illos implebant, ope- riebantque, apparuerunt vacua, & nuda terræ fundamenta. Huc facit, quod statim v. 16. vbi Vulgatus habet; *Nunquid ingressus es profunda maris?* Septuaginta legunt; *Venisti ad fontem ma- ris*, nimirum ex quo tanquam ex vtero Ocea- nus emerit. Vide quid nos infra vers. 38. ad il- lud; *Quando fundebatur puluis in terrâ*, qui locus perquam optimus est. Hæc mihi videntur dici posse non improbabiler, neque video quid huic cogitationi obiici possit, quod admodum incommodet. Non tamen sic in hanc sen- tentiam constanter afficio, vt alias impro- bem.

Quis conclusit ostiis mare.] Quomodo Deus erumpentes è terræ vulua gurgites cohibue- rit, neque permiserit operire terram, & inuti- lem reddere; dicemus statim v. 10.

35. *Mare quo modo inuoluitur cali- gine.* Vers. 9. *Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantia obuolue- rem.*] De mari erumpente de vulua eo modo loquitur, quo de infante recens in lucem, vi- talémque spiritum suscepto, qui statim, at- que de materni vteri claustris exceptus est, pannis obuoluitur, & infantilibus ligatur fa- sciis. Sic Deus huc siue sapientiæ suæ, siue ter- ræ vteri admirabilem partum, quasi nouæ pro- lis indulgentissima puerpera, aut sedula obstetrix obuoluit nubibus & caligine, quod non siluit Moyse Genes. capit. 1. vers. 2. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Quod si prima die crea- ta est terra, & ex eius vulua productum ma- re, non videtur facile intellectu, quomodo

A fuerit inuolutum caligine tanquam infantili- bus pannis, cum eadem die lux quoque dica- tur esse creata. Cum enim dixisset Moyse fa- ctam esse diem, & tenebras à luce fuisse diui- sas, addidit; *Factumque est vespere, & mane dies vnus*, id est, primus. Solutio difficilis non est si in priori parte primi diei, id est, in vespere tempore videlicet nocturno à quo incepit dies, terram, & mare dicas esse producta. Neque enim sine causa Moyse ex vespere, & mane prodit factum esse diem quia præcessit nox, & facta iam luce successit dies. Cum igitur pri- mum è vulua processit mare paratas habuit te- nebras Deus, quibus illud obuolueret, non secus atque ab obstetrice recenter natus fœ- tus obuoluitur. Ita de primo die noster Molina de opere sex dierum disput. 7. Porro quia nubes plerumque obscuræ sunt, & ideo passim à Poëtis dicuntur atræ, nigræ, picæ, imò interdum tenebræ, & nox: ideo hoc loco idem esse reor *nubem, & caliginem*, quasi eadem sit itera- ta sententia. Quod Hebræorum poësi familia- re est. Verba Hebraica ad verbum sic habent; *Posui nubem vestimentum eius, & caliginem fa- sciam eius.*

B Vers. 10. *Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.*] Hic agitur de aquarum diuisione, quæ facta est die tertio, de qua Ge- nesi. 1. vers. 9. *Congregantur aquæ, quæ sub celo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Quod autem aquæ totam oppleuerint, & obduxerint terram; licet non habeamus in Genesi, ex aliis tamen Scripturæ sacræ locis, satis constat. Tum ex aliis locis, tum ex Psal. 103. vers. 5. *Qui funda- disti terram super stabilitatem suam, &c. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes sta- bunt aquæ.* vbi dicitur terra amicta abyfso, om- ni videlicet ex parte, sicut proximè dicebamus mare amictum esse, aut inuolutum caligine, si- cut vestimento. Et ideo dicuntur sterillæ su- per montes aquæ. Quod si montes operue- runt, operuisse quoque oportet depressa & pla- na loca, ad quæ descensu prono ex montium cacumine decurrunt.

C Has itaque aquas, quæ principio latissima terrarum spatia circumdederunt, operuerunt- que, diuisit Deus, ita vt pars esset arida, quam habitarent homines, & quæ in aquis non possunt animantia viuere, & quæ ad in- numeras animantium species alimenta produ- ceret, quæ fluctibus, iisdemque salissimis ob- ducta non posset. Quanta verò pars terræ ab aquis nunc extet, & incoli nunc possit ab his, qui marinos horrent secessus, & arentem a- mant, solidamque regionem, incertum est. Illud iam certissimo eorum qui nostro sæcu- lo in varias, & hæctenus ignotas regiones fec- lici navigatione penetrarunt experimèto com- pertum est, ampliora esse spatia aridæ terræ, quàm olim antiqui Philosophi, & Patres ar- bitrabantur; imò & multi maiorem esse par- tem apertæ, & aridæ, quàm operatæ ab aquis terræ censuerunt. Si canonicus esset liber Efdæ quartus, facile quæstionem omnem ab- soluisset; ille enim capite 6. versicul. 42. sic terræ partes arentes, humentesque partitur; *Tertia, inquit, die imperasti aquis congregari in septima parte terra: sex verò partes siccasti & conseruasti, vt ex his sint coram te ministrantia femi- nata à Deo, & culta.* Franciscus Suarez libr. 2. de opere

36.

Terra principio aquis operata.

37.

Aquis diuisis apparuit terra.

An maior pars terra arida, quàm qua aquis operitur distibuitur.

de opere sex dierum c.6. rem dicit esse dubiam, sibi que verisimile videri ex nauigantium experientia, aut æquales esse partes humentes, & aridas, aut certe non admodum inæquales. Molina in 1. p. S. Thomæ q. 50. art. 3. disp. 1. maiorem dicit esse aridam.

38.

Quomodo aquæ, quæ totam vbi que terram operuerunt, diuisæ fuerint, & in vnum locum congregatæ, disputant Scholastici in 1. p. Sancti Thomæ, & Sancti in Hexæmeron, & in commentariis super Genesim, quos, si libet, adeat curiosus lector. Ego breuiter dico, quod etiam visum est Perciræ ad illud Genes. 1. versicul. 9. congregentur aquæ. & Conimbricensis sectione 1. problemate 3. & Francisco Suarez suprâ, terram principio fuisse æqualem, & sphericam, & tunc commodè ab aquis, non tamen aded altis atque profundis amictam esse quasi vestimento. Deinde tertio die excitatos esse montes in continenti terra, & insulas in mari; & profundas relictas esse valles, & loca depressa, ad quæ ex locis magis eleuatis defluerunt aquæ, à quibus maiore gurgitis altitudine repletæ sunt valles, & sinus, ab illa terrarum inæqualitate relictæ. Illæ porrò partes, quæ magis eleuatæ sunt pro aggeribus, & vallis, fuerunt, quæ aquas in suis continerent angustiis, neque paterentur ex suis sedibus, & quasi claustris foras excedere. Hæc porrò littora, eminentesque partes vectes fuerunt, & ostia, id est, impedimenta, quæ concluderunt aquas, prohibueruntque ne ex destinatis sibi carceribus exundantes terram, quam initio circumfuderant, rursus obruerent. Quod Psalm. 103. non obscure significauit Dauid, vbi cum de hac aquarum diuisione, & congregatione præcessisset sermo, subiicit; *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis; terminum posuisti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* id est, non iterum operient terram. id enim valet conuerti, reuerti, & similia. Psalm. 73. *Conuersi sunt, & tentauerunt Deum.* id est, iterum tentauerunt. & Iobi capit. 7. *Non reuertetur oculus meus, ut videat bona.* vide quæ nos suprâ ad hunc locum. Porro ostia hoc loco non sunt apertæ cavitates, in muris, verbi gratia, disruptis, per quas ingressus hominibus, & egressus pater; sed portarum claustra, aut impedimenta, quæ apertis obiciuntur locis, ut homines ab ingressu seu egressu repellant, & arceant, quæ fores communiter & claustra dicuntur. Sic Maro sæpe cum portis claustra coniungit. Terram autem altiorum esse mari, licet alij contra senserint, communis est recentiorum sententia. Neque, ut bene Caietanus ad illud capit. 1. *Et appareat arida,* alio indiget argumento hæc sententia, quam oculorum applicatione. Qua de re vide Pereiram ad eundem locum Gen. Conimbricenses in libr. Meteorol. tractat. 8. capite 1. Molinam de opere sex dierum disputat. 11. Suarez libr. 2. de eodem argumento capit. 6. Clauium ad 1. capit. Spharæ. & ex antiquis Hieronymum ad illud Psalm. 32. *Congregans sicut in vitæ aquas maris.* & ad illud Psalm. 135. *Qui firmavit terram super aquas.* Chrysostomum homil. 9. ad populum. Damascenum libr. 2. fidei capit. 9. Hæc verò Deus ita disposuit, iuxta commune aquarum,

Quæ maris
claustra &
termini.

39.
Ostia maris
quæ.

A & naturale pondus; quam legem perpetuam, & ratam esse voluit, non tamen ita, ut non aliquando marinas aquas ex oppositis aggeribus, & claustris effluere permittat, ut hominum peccata puniat. Quod aliquando accidisse produnt historici. vide Augustinum libr. 18. de ciuit. cap. 8. & 10.

Et dixi, usque huc venies, & non procedes amplius, & hic franges tumentes fluctu tuos.] Hic locus ex superioribus à nobis explicatus est. Posuit enim Dominus extremas terræ partes altiores marinis vndis, quæ excitatos cohiberent, & frementes, vastitatemque minantes frangerent fluctus. Quod nos videmus quotidie, & Scriptura sacra, tanquam illustre creatoris opus sapius inculcat, Ierem. capite quinto versicul. vigesimosecundo. *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit. Et commouebuntur, & non poterunt, & intumescunt fluctus eius, & non transibunt illud.* Psalm. 103. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Prouerb. 8. *Et legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Similia habes in oratione Manasse, quæ est in fine libr. 2. Paralip. *Tu ligasti mare verbo præcepti tui, & conclusisti abyssum, & signasti eam laudabili, & terribili nomine tuo.* Hic obiter notandum, *ateternum, sempiternum, non amplius, non ultra,* & similia in Scriptura non semper valere, quod apud Latinos, nam nonnunquam idem significant, quod diuturnum, aut quod raro contingit. Quod ostendimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud capit. secundi; *Non exercebuntur ultra ad prælium.* Quare licet Ieremias suprâ hoc pactum cum mari sempiternum dicat, & Deus hic mare non processurum amplius extra assignatos sibi fines, non tamen obstat, quod aliquando fines excefferit, excessurumve sit in posterum, si quando peculiaris aliqua prouidentia postulauerit. Ab illa sæpe diluuiæ quædam inundarunt, aut totam terram; ut tempore Noë, aut partem aliquam eius, ut de Ogygis, Deucalionisque diluuiio dixit Augustinus suprâ. Et Plinius libr. 2. capite 88. 89. 90. 91. 92. multas ciuitates, & insulas à mari dirutas, aut absorptas esse dicit, ruptis nimirum claustris, quæ ipsum diu in suo sinu, & carcere concluderant.

D

E

Verf. 12. *Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti aurora locum suum?*] Progreditur Deus ad opus diei quarti, in quo creatus est sol, ad quem aurora pertinet, & diluculum, occasus, & ortus, id est, orientalis, & occidentalis plaga, quæ ab occidente, siue oriente sole nomen acceperunt. Rogat autem de sole, idem quod proximè de terra: vbi nimirum terrarum tunc esset prius quando fundata est terra, vbi diximus tunc neque natum esse Iobum, atque ideo neque foundationis illius gnarum, aut conscium esse potuisse, cum post fundatam terram natus fuerit. Nunc verò post solis creationem natus esse dicitur Iobus, atque ideo neque adesse potuisse Deo in formando sole, neque cognoscere, quam Deus in eo formando rationem, & modum instituerit. Aut certe dicit, & hoc clarius, neque tunc Iobum in viuus fuisse cum creatus est sol, neque postquam in viuus

40.

Quo modo
mare aliquando
e suis sinibus
egressum.

41.

Qualis a-
strorum obe-
dientia.

in viuis esse cœpit, lucis, & noctis habenas suscepisse vt auroræ præciperet, quando se mundo primùm ostenderet, & quando succedenti nocti mundum à luce vacuum, & à tenebris occupandum relinqueret. *Aurora, & diluculum*, quia aliquid sunt solis, lux nempe solis, aut sol ipse oriens, pro ipso sole sumitur. Quia verò hîc de rerum ortu præsertim agit Deus, vt de terra fundata, de mari è vulua infantis in modum erumpente, sic etiam nunc agit de nascente luce, seu sole, id est, de aurora seu diluculo. Quæ sic didicerunt, seruaruntque creatoris imperium, vt ortus, & occasus sui locum nouerint, in eoque aut occidendo cursum diurnum absoluant, aut oriendo inchoent; idem autem esse arbitror nosse locum ortus, & occasus, aut ortum, & occasum suum, & suo loco oriri solem, & occidere. Sic Psalm. 103. versiculo 29. *Sol cognouit occasum suum.* Est autem mira ortus, & occasus solis pro diuersitate temporum varietas, cum enim via solis, id est, zodiacus obliquus sit, modò tardiùs mouetur, modò velociùs: modò in hac, modò in illa orizontali plaga oritur, aut occidit, prout his, aut illis subiicitur signis; *Præcipere autem diluculo idem est apud Deum, quod creare; neque enim ad creandum, seu quoquo modo producendum opus Deus feramenta adhibet, aut machinas: sed suo tantum imperio perficit omnia. Quare ad hanc vocem; Fiat lux, & fiant luminaria, prodierunt statim sol, & luna, & reliqua sydera, quæ terram illuminant, & cœlestes orbis mira varietate distinguunt. Et de omnibus tandem dicitur Psalm. 48. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.*

42. Versiculo 13. *Et tenuisti concutiens extrema terre, & excussisti impios ex ea.* Postquam de rerum creatione interrogauit Dominus Iobum: nunc de aliis elementorum effectibus, aut operibus, quæ vna Dei omnipotentia ad hominum siue salutem, siue perniciem operatur, sermonem traducit, sed est admodum difficile statuere, quid sit terram concuti, & ab illa excuti sceleratos homines. Illud videtur certum, in terra concussu graue aliquid significari, quod impios homines exagitet, & perdat, vnde tamen ducatur hæc metaphora prorsus obscurum. S. Thomas his verbis describi putat terræ motum, quod terram concutit, non secus atque vestimentum manu concussum, vt ex eo aut tineæ excutiantur, aut puluis. Hieronymus, & Beda metaphoram sumi putant à cribro, cuius extremas partes manus cribrantis tenent, quantiuntque, donec à palea, & puluere frumenta purgentur. Deus, inquit, qui secundum prophetam mensus est aquas pugillo, & cœlos palma ponderauit, & tribus digitis appendit, ipse pro magnitudine vtraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc, atque illuc concutit, siue excutit tanquam vestimentum, vt impios velut paleas & lolium excutiat à frumento iustorum. Et adducit illud Amos 9. *Ecce mandabo, & concutiam in omnibus Gentibus domum Israel, sicut concutiuntur triticum in cribro. Concutiuntur extrema terræ, id est, agitantur inmissa tempestate, fame, peste, bello, sicut*

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A diluuium Noëtico sæculo purgavit à sceleratis totam terram, & reliquit ex ea perpauca iustos. Et deinde subuersa Pentapoli, vt terram mundaret, incendio cœlesti, turpissimam illius maculam exussit. Concussit Deus obsidione longa, fame, & peste Hierosolytam Vespasiani tempore, & illam ita cribrauit, vt sceleratos extinxerit, pios, & religiosos reliquerit incolumes. Qua de re nos aliquid in nostris commentariis super Zachariam ad illud capit. decimotertio versiculo octauo. *Partes duæ in ea dispergentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea*, & supra capit. decimoquarto versiculo secundo, ad eadem propè verba. Sanè Theodoretus capit. decimoquarto versiculo primo, ad illud; *Ecce dies veniunt.* putat omnes fideles, qui in vrbe erant, quo tempore ad illam appulit Romanorum exercitus, excessisse ex vrbe matura fuga antequam ab hoste occluderentur exitus ad fugam. *Fama est, inquit, Vespasiano & Tuo bello comparantibus, & suscipientibus, id temporis urbem reliquisse.* Et quod Deus facit in vniuersa terra, vt illam à peccatorum colluione purificet: id etiam facit in magis abbreviato mundo, in homine videlicet, quem *μικροκόσμον* appellamus, à quo Dominus admoto igne tribulationis rubiginem excoquit, & coagitatum quasi cribro longo, continentique concussu à peccatorum, leuiumque culparum paleis expurgat. Quo modo Iobum hoc tempore variè iactauit, atque concussit, vt purum, putumque ab omni aut gluma, aut puluere, aut quacumque concreione relinqueret. Quod Hieronymus proximè citatus statim indicat cum addit; *Proinde hæc omnia operantis non solum fortitudo, verum & iustitia demonstrat, & inde est, quod Sancto Iob dominus cum imprecatione loquitur: quare dixerit innocenti sibi pœnam acerrima tentationis illatam: Quasi dicat, aliquid esse in Iobo, tametsi innocentissimo, atque sanctissimo, quod purgaret concussus ille cribri, aut fornax tam duræ iactationis excoqueret.*

Addam hîc ego explicationem aliam, aut potius aliam adductæ similitudinis originem. Id dicitur concuti, quod vehementi quatitur, & hinc inde frequenti mouetur impulsu, qualis adhiberi solet ab eo, qui arborem deicere conatur, atque conuelleret, sicut columnæ molem aliquam superpositam sustinent, quales fuerunt illæ quibus Dagonis templum incumberebat, quas concussit Samson Iudic. capite decimosexto. & deiecto templo Philistinorum, multitudinem oppressit. Sic etiam terra suas videtur habere columnas. Sic certè vulgus hominum putat, putabantque, opinor, in eo rudi, atque illiterato sæculo Idumæi, quorum se Deus cogitationibus accommodat, sicut fecit alibi Scriptura sacra non rarò. Columnæ verò sunt cardines terræ, de quibus supra capite vigesimosecundo versiculo decimoquarto, & capite trigesimosexto versiculo trigesimo, & proximè versiculo sexto, vbi bases etiam audimus, quæ columnarum partes, & fundamenta sunt. Cardines autem munus susti-

Q q nere

43.
Dominus
durè inter-
dum hominè
concutit, &
purgat.

44.
Terram con-
cuti quid?

Deus valde
terram con-
cutit, & pur-
gat.



nere columnarum, quæ totam suspendunt molem ædificij, docet illud lib. 1. Reg. c. 1. *Domino enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Et clarius Psalm. 74. versiculo 4. terræ dicuntur esse columnæ; quas ne terra corrueret, confirmavit Deus, *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Et clarius Iob capit. 9. versiculo 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* Concuti autem terræ cardines, seu columnas nihil videtur aliud, quàm terram liquefieri, atque dissolui, seu quod idem est, vastari, ita vt in illa relinquuntur non tam domus, & ciues, quàm domorum, & ciuium immane bustum, aut antiquæ formæ deforme monumentum. Spectasse autem videtur Deus ad sæculum Noëticum in quo Deus quasi terræ cardinibus, columnisque concussis dissipauit terram, & ab fœdissima peccatorum proluuie, inducta aquarum inundatione purgauit, cui ea, quæ proximè succedunt, perbellè consonant.

45.
Deo facile
dissoluta in-
staurare, &
excitare col-
lap.s.

Vericulo 14. *Restituetur, vt lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum.* Postquam Deus inductis aquarum inundationibus mundum subuertit, ita vt non amplius videretur restitutum iri, aut posse restitui, restituit tamen ita perfecte in priorem speciem, vt videri posset nunquam tam grauem, & latam subijisse ruinam. Quod duabus similitudinibus perquam bellè explicat, tum signaculi, in materia tractabili & molli, qualis est lutum, & cera: tum vestimenti, quod si discissum fuerit, aut dissutum, refarciri facile potest, & ad priorem speciem renouari. *Signaculum*, aut sigillum est, seu signum, vt ita loquar actiuum, quod sui imaginem in cera, aut argilla relinquit, aut certe passiuum, vt in creta, aut cera species expressa ab impresso sigillo. Fieri potest, vt in cera, aut luto adhuc molli, ac lento deleatur imago, sed nullo negotio illam rursus idem signaculum in materia lenta, atque obsequenti restaurat: sic Deus variam terræ & illustrem imaginem deleuit inducto diluuiò, sed illam instaurauit vsque adeò facile, vt videretur luto admoouisse sigillum; & vsque eò priori similem, sicut priori, & iam oblitteratæ similis est imago, quam secundò imprimit, & informat idem omnino signaculum. Eandem vim habet à vestimento sumpta similitudo: & multo magis si in terræ concussione terræ motum intelligas. Nam quemadmodum si vestimentum dissuatur, non difficile in priorem formam restituitur, & stat, nempe integrum. Sic terra si concussa tremat, atque dehiscat, facile Deus rimas explet, & solidat; & si dissoluatur, & intereat, non maior negotio, difficultatèque restituet, quàm si vestimentum consuatur, & instaurat. Ad hunc fortasse locum respexit Dauid Psalm. 74. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Hæc mihi explicatio non videtur omnino contemnenda, quia nihil habere videtur violentum, atque distortum: aliæ plurimæ ab aliis adducuntur, quas ego non referò, quia neque longus esse velim, & facile à suis auctoribus poti possunt. Neque in hac mihi omnino satisfacio. Sanè

A locus est difficilis, & in quo extricando si aliquis dixerit aliquid verisimile, à benigno lectore respuendum non est. Alij sensus mystici adducuntur à sanctis, præclari illi quidem, & ad mores plurimum opportuni, quos vide apud Hieronymum, Gregorium, & Bedam, sed hic credo præcipue Dei, & naturæ opera spectanda sunt, de quorum cognitione Iobum Deus interrogat, vt Deus illum sublimiorum rerum ignarum esse conuincat, quando harum rerum occulte rationes illius fugiunt intelligentiam. Sed fortasse sententia, quam ad sequentis versus explicationem iam adduco, aliquid etiam habet probabilitatis.

B Vericulo 15. *Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.* Ideo inductus est de diluuiò sermo, vt supra putabamus, vt terra purgaretur ab illa peccatorum proluuie, quæ prius illam non minori exitio compleuerat, atque vastauerat, quàm illa aquarum multarum abundantia: quam Dominus ad illius purificationem induxit. Hunc igitur effectum indicare videtur Deus, dum ait ab impiis ablatam esse lucem; & potentium, à quibus perquam rarè abesse solet impietas, confractum esse brachium. Neque enim aliter eluit Dominus labem illam ab huiusmodi hominibus inolitam terræ, nisi horum hominum frangendo brachium, atque potentiam, & si quid in illis splendoris esse videbatur, auferendo. Porro futurum sumi pro eo quod fieri solet, aut debet; quod significare solent nomina in bilis, res est nota, & nos plurima adduximus exempla in nostris commentariis ad illud Abdæ versic. 12. *Et non despicias in die furoris tui.*

C Sed fortasse eò spectant tam hæc, quàm, quæ præcedenti versu dicta sunt, vt significet Deus, quid spectaret, dum terram concutit: id est, dum homines fame, peste, morbis, tempestate, aut aliis exagitat incommodis, nempe vt impios deleat, & iustos purificet: & postquam diluuiò tribulationis sordes eluerit, bonis augeat, & si quid ablatum, & deformatum est, instaurat, & restituat. Quam ad rem accommodatas adducit similitudines, sigilli, atque indumenti, quibus ostendit Deus etiam si iustos dura vexatione concutiat, & illos omnino deleturus videatur: non tamen se abiecisse prorsus, & illorum deposuisse memoriam, sic enim iustos premit, vt non opprimat; sic vrit, vt emundet potius, quàm consumat; sic deformat ablata, seu fœdata specie, vt illam inducto iterum signaculo restaurat. Quod etiam videtur dixisse, vt confirmet Iobum, & mœrentem consolando reficiat. Sic erat Iobus à morbo consumptus, sic à seipso mutatus, vt priorem videretur amisisse speciem, & alienam suscepisse. Quod perinde est, atque expunctam esse imaginem quam diuinum sigillum prius impresserat, ita vt familiares & amici illum non agnoscerent. De quibus supra cap. 2. versiculo 12. *Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum.* Sed Deus in molli luto impressit rursus sigillum, & quam amiserat speciem, rursus induxit: & factus est Iobus sibi quàm simillimus; cum rediisset caro, succus, & calor, quæ

46.

47.
Facile est
Deo subid
honestare
pauperem.

quæ ademerant fames, morbus, & vermes, redierunt bona, eaque cum magno rerum incremento. Neque minor fuit, aut præclara, & luculenta minus filiorum, feruorumque familia, vt constat ex capite vltimo, vbi Iobi describitur restituta fortuna, *luto* verò meminit quod à sigillo facillè consignatur, quia Iobus se luto compararat capite trigesimo versiculo decimonono, *comparatus sum luto*, & ideo Deus vestimentum reparari, & refarciri posse dixit, quia eodem loco versiculo vigesimo octauo corrosum, & consumptum dixit à vermibus vestimentum suum. *In multitudine eorum* (vermium) *consumitur vestimentum meum*. Imò & seipsum capite decimotertio versiculo decimo octauo, cum vestimento comparat à tineâ corroso. Quare antiquam formam promittit Deus à reformatore signaculo, & vestimentum splendidum, atque integrum excussis tineis, & squallore deterfo.

48. In mari multa, quæ diuinâ prædicant sapientiam.

Versiculo 16. *Nunquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* Postquam illa Deus Iobo proposuit, quæ magis homini videntur abscondita, & ipsa sunt admirabilia valde; ad maris illum & abyssi profunditatem vocat, rogâtque an ad occultos, profundosque recessus aliquando descenderit, & quæ ibi marini inuoluunt gurgites, & cauerne abscondunt abditissimæ, contemplatus fuerit, vt inde tandem sibi persuadeat non esse scrutanda diuina consilia quæ longè sunt supra nos, & supra omnem humanam intelligentiam, cum ea, quæ infra nos sunt, tam longè se ab humana cognitione subduxerint. In maris autem, abyssi que profundis, & latissimis sinibus, multa natant, multa nascuntur, atque concrefcunt, quæ diuinam commendant sapientiam, & prouidentiam prædicant admirabilem; vbi varij nascuntur frutices, & arbores, vt auctor est Plinius libro 13. capit. 25. ibi piscium incredibilis multitudo, & ad miraculum vsque visenda diuersitas. *Quot* (ait Cicero libro 2. de nat. Deorum) *genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natuius testis adherentium.* In conchis verò ea est pulcritudo, ea diuersitas, vt in illis celandis, atque fingendis luisse natura, & suas vires expromere atque ostentare voluisse videatur. *Qua de re sic Plinius lib. 9. capit. 33. Firmioris iam teste murices, & concharum genera, in quibus magna ludentis nature varietas, tot colorum differentia, tot figura, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cassis, in dorsum elatis, lenibus, rugatis, denticulatis, strictis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. Iam distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim undata; cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis.* Hæc Plinius, quæ ideo produxi, vt ex his cognoscat diuinorum contemplator, quàm multiplex sit, quàm speciosa, atque mirabilis in ipsius etiam abyssi profunditate diuersitas. De mari etiam dixit Ecclesiasticus cap. quadragesimoprimo versiculo decimo septimo, *illic præclara opera, & mirabilia.*
Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

49. Piscium & charumque mira varietas.

A *varia bestiarum genera, & omnia pecorum, & creatura belluarum.*

Versiculo 17. *Nunquid aperta sunt tibi porta mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Illa omnia de quibus hætenus, illustrantur à lumine, & spectari possunt adhibita solertia ab humanis oculis, nunc ad illa traducit orationem, quæ magna interiecta mole assequi non potest mortalis aspectus. Portæ seu fenestræ dicuntur illæ, quæ nobis ad ea quæ clausa sunt, aditum aperiunt, aut quæ oculos admittunt ad illa spectanda, quæ videre non patitur, quæ interposuit corporis opacitas. Vt autem portæ mundi dicuntur ortus, & occasus, quæ solis etiam dicuntur portæ; quia per illas sol ingreditur, & egreditur, & diffusa luce, facit, vt illa videantur, quæ latebant in tenebris; Sic etiam lux, quæcumque illa fuerit, porta dici potest, quia aperit nobis ea, quæ celarant, atque inuoluerant tenebræ. Sanè duas mundi, extremasque partes, orientalem nimirum, quæ nascentem excipit, & occidentalem, quæ abeuntem abscondit, atque dimittit solem, portas appellari diximus in nostris commentariis super Ieremiam cap. 2. ad illud versiculo 12. *Et porta eius desolamini vehementer.* & cap. 15. versiculo 7. *Et dispergam eos ventilabro in portis terre.* Ait igitur Deus Iobo, si ea quæ illustrantur à luce, quia portas habent, per quas ad eas se solaris splendor infundat, occulta sunt, multo illa magis erunt abscondita, ad quæ nullus è cælo, ac sole splendor admittitur, quia nullam habent fenestram, nullam portam. Qualia sunt, quæ in abditis terræ visceribus latent, vt metalla, lapides, vt primæ fontium, & fluuiorum origines, etiam æternus damnatorum carcer, qui aut centrum continet terræ, aut certè non longè distat à centro. Portæ autem dicuntur mortis, aut quia damnati mortem subeunt sempiternam, & hoc fortasse verius: aut quia in morte tenebræ significantur obscuræ valde, & densæ, quales patiuntur mortuorum corpora in sepulcris, aut illo tempore in Abrahamæ sinu defunctorum animæ. Certè tenebras cæcas, & crassas sæpe cum vmbra mortis coniunctas esse legimus. Dicuntur autem *porta mortis*, id est, mortuorum; quod genus loquendi familiare est, in quo forma pro formali suo effectu frequenter adhibetur. Neque mihi videtur esse durum, si quispiam dicat idem esse portas mortis, & ostia tenebrosa. Ex vsu etenim Hebræorum eadem sententia diuersis verbis iterari solet, maximè in oratione numerosa, qualis est hæc.

Septuaginta paulò aliter legunt, *Aut tibi aperiuntur metu porta mortis, aut ianua inferni videntes te timuerunt?* Quæ verba Græci patres in Catena de eo tempore accipiunt, in quo Christus ad infernū descendit, vt quos ibi profundus ille locus incluserat, ad lucē euocaret, & gloriā.

Vers. 18. *Nunquid considerasti latitudinem terræ: indica mihi se nosti omnia.* Latissima sunt terrarum spatia, & in illis pro vario locorum, & cælorum temperamēto, dissimillimæ rerū formæ, & belluarum, atque ideo hominum mores, & ingenia. Quæ sanè vidisse non potuit Iobus, qui ex Idumæorum sinibus nunquā exçellerat. Quanta sit rerū pro regionum varietate diuersitas tradūt Geographi, quique de rerū natura
Qq 2 histo

50. Mortis, & inferni quæ porta.

51.

52.

Magna rerū pro regionum varietate diuersitas.

historiam texuerunt. Et nos magna belluarum, atque plantarum genera quotidie videmus, quæ parentes nostri ad hoc usque tempus ignorarunt. Quæ sicut aliis ante hanc ætatem in antiquo orbe, sic etiam Iobis fuerunt ignota. Notum est illud Maronianum libr. 1. Georg.

India mittit ebur, molles sua thura Sabai, &c.

53.

Vericulo 19. *In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit?*] Hic locus variis expositionibus patet. Agit nunc de luce, aut loco, aut illustratione, & cursu: quæ non ubique eodem tempore, aut modo terras illuminat, neque eodem modo ubique diei, ac noctis spatia metitur. Sanè quod ad viam attinet, obscurum valde est, quæ sit via solis, per quam modò accedit, modò recedit à verticali puncto, quod *zenith* appellamus. Deinde quæ sit domus solis, ubi lateat nocturno spatium, & vnde manè prodeat, ut exeat ex orbe tenebras, & lucem diffundat, quæ expulsa nocte orbem illuminet, & reducat diem. Aut quod sit tenebrarum domicilium, & sedes, quibus definito tempore relicto occupet rursus terras, & redeant dierum, & noctium iterata vices, & hyemis, & veris post longos anfractus anniuersaria vicissitudo. Sic puto cogitabant eo sæculo homines, ad quorum sensus, ut alibi sæpius, sermonem suum Deus accommodat. Hæc obscura non sunt. Sed, credo, hæc multò patent latius, & non tantum de locis agi subterranis, ad quæ nullus vnquam solis radius admittitur, sed etiam de locis apertis, quibus tenebræ videntur infedisse sempiternæ, aut propter crassam nebulam, qualis occupauit Ægyptum Exod. 10. vericulo 21. quæ longam induxit noctem, ita ut diebus tribus nemo nouerit fratrem suum, aut se de loco mouerit, ubi confedisset antea. An aliqua in terris plaga fuerit, quam eiusmodi tenebræ horribiles obsederint, incertum mihi est, esse autem regionem sempiternæ caligini denotam prodit Solinus Polyhistor. capite vigesimo, ubi sic de regione ultra Rhiphæos montes; *Damnata pars mundi, & a rerum natura in nubem æterna caliginis mersa, ipsique prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum; nec de cælo aliquid accipit, quam hyemem sempiternam.* Idem Virgilius de Aquilonari regione, ubi æternas dicit esse tenebras libro 3. Georg.

Tunc sol pallentes haud vnquam discutit umbras,

Nec cum inuictus equis altum petit æthera,

nec cum

Precipitem Oceani rubro lauat aquare currus.

Idem de Cymeriis cecinit Homerus in Odyf. lib. 11. de quibus ait,

Qui caligine, & nubibus tæcti sunt, neque vnquam eos

Sol lucidus aspicit radios,

54.

Vericulo 20. *Ut ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.*]

54.
Varia lucis
tenebrarum
que dispensatio.

A Hæc ex superioribus difficilia non sunt, quæ etiam accommodanda sunt ad hominum cogitationem, & sensum, ut dicebamus nuper, qui ex certis locis, & quasi domiciliis egredi putant lucem, & tenebras, ut variis motibus iisdemque in sua varietate raris, atque constantibus, aut obscurarent subducto, aut illustrarent inducto lumine. Neque hic loquendi modus nostris Astrologis inusitatus aut peregrinus est, qui pro variis temporum differentiis, varias soli, & diei constituunt in zodiaco domos, quod etiam faciant nocti necesse est, nam eodem puncto, quo sol, & dies excedunt ex orizonte, in illum nox ingreditur. Quare si sol domum mutat, nox etiam mutet suam necesse est. B Ad suas autem domos, terminosque reducere, aut quos egrediendo relinquunt, aut quos progressu obeunt, non est humanæ facultatis, aut solertiæ; & ita tenere, ut sine errore suos conficiant orbis, & anfractus, opus est longè maius, quam ut mortaliū virtus præstare, aut sapientia regere, aut assequi possit.

Vericulo 21. *Sciebas tunc quod nasciturus esses, aut numerum dierum tuorum noueras?*] Idem rogat quod paulò antea versu quarto, ubi dixerat Iobum non esse natum cum fundaretur terra. Tam autem longè erat, ut eo tempore viueret, cum primùm terræ fundamenta iaciebantur, aut cum luci ac nocti dimensa sunt spatia, & occalui, atque ortui definitum tempus, ut neque tunc sciret an vnquam suscipiendus esset in lucem, & quàm esset vsura vitæ futura diuturna.

Vericulo 22. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparauit in tempus hostis?*] A sole, & luce ad æream regionem descendit, & tradit ea, quæ ibi apparent admirabilia; quæ diuinam sapientiam assidue prædicant, & commendant; Ut autem prius luci, ac tenebris certam constituit locum, ubi se definitis temporibus conderent, aut vnde ad suos se siue diurnos siue anniuersarios cursus efferrent, sic etiam nunc grandini, ac nubi suæ tribuit quasi reconditoria, ac horrea: quæ *thesauros* appellat, ubi illa seruet ad tempus pugnæ, & è suis veluti armamentariis ad hostium suorum oppugnationem expromat. Porro loca vnde Deus siue bona ad hominum vsus, siue mala ad eorum interitum depromit, *thesauri* dicuntur. Deuteronom. capit. 28. vericulo 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, ut tribuat pluiam terræ tuæ in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.* Hæc aperta sunt, neque in illis nobis diutius immorandum est, quia quæstiones tractare meteorologicas non est animus, neque id necessitas exigit ab interprete. Alij hæc tractant diligenter, à quibus id curiosus lecto discet non difficile. Ego ab his libenter abstinco, quod meo iure facere posse, cum interpretem agam non Aristotelis Philosophi, sed Scripturæ sacræ, qui quæstiones hæc leuiter attingit, non longè, aut accuratè persequitur; vide Doctores Conimbricenses, & Valesium in sacra philosophia à capit. 50. ubi hæc caput

56.

57.

58. caput ; 8. grauiter exponit. *Intempus hostis & belli* dicit Deus hæc in promptuariis esse reposita, quia his terret, & interdum exanimat rebelles homines: qui indomitas habent ceruices, & proteruos animos: cum niuibis opprimit eorum segetes, & grandine verberat, & confringit calamos. Et hæc etiam in hostes iaculatur, & quos aliorum arma non possunt: arma hæc diuina è nubibus vibrata deiciunt, & sternunt. Quam sæpe Deus contra peccatores de cælo dimicauerit, quot torserit tela ex aërea plaga expertus est Pharao, & Ægyptiorum populus, expertus duce Sisara exercitus Iabin, de quo Iudic. 5. versiculo 20. *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sic Samuelis tempore contra Philisthæos pugnavit 1. Reg. capit. 7. Plura nos in hanc sententiam diximus lib. 2. Reg. capit. 22. versiculo 10. ad illud, *Inclinavit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Et in illud Nahum cap. 1. versiculo 3. *Dominus in tempestate, & turbine via eius.* Iosue cap. 10. versiculo 11. *Dominus misit super eos (Gabaonitas) lapides magnos de cælo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.* Illam autem grandinantem nubem, & lapidum auxilium suis à Deo precibus obtinuisse Iosue, habes Eccles. 48. versiculo 6. *Inuocauit Iesus altissimum potentem in oppugnando inimicos vadique; & audiuit illum magnus, & sanctus Deus in faxis grandinis.* Quod etiam in sua qualicumque Theologia censuere Gentiles, qui hæc meteoræ, quæ terrificant, & sternunt homines, arma dixerunt esse Iouis, de quo ex communi sui sæculi sensu cecinit Horatius lib. 1. ode 2.

*Iam satis terris nixis, atque dire
Grandinis misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit urbem.*

59. Vers. 24. *Per quam viam spargitur lux: dicitur æstus super terram?* Hoc etiam planè mirabile est, quòd lux, quæ à sole trahit commune, & naturale principium, tam citò magna permeet, & compleat spatia, cum tam à solari corpore procul distent. Quidam in luce aut pluuiam intelligunt, aut fulgura, aut cometas: Sed cum de his statim sermo succedat, aliquid aliud videre mihi videor, quod nihil est aliud, quàm quod propriè sonat. Et quidem mirabile est illa viarum compendia inuenisse lucem, per quæ immensa terrarum, & aliorum elementorum spatia sese temporis momento dispertiat. Quo verò modo id fiat, docent Physici, ab illis tu si libet, discere, neque enim mihi tantum otij est à re mea, alienam vt curem. Neque minoris est negotij, aut intelligentiæ nosse, quomodo æstus, siue ille calor sit à sole productus; à quo etiam tanquam à suo fonte lux emanauit; siue ventus calidus, & vrens, de quo mox, ille enim licet non eadem celeritate, qua lux, breui tamen inferiora calefacit, & à suo principio longè, latè que deductus, ad omnia terræ latera diffunditur. Qua de re vide Valesium de sacra Philosophia capit. 53.

60. Vbi Vulgatus æstus, Hebraicè est *קָדִים* cadim, quæ vox ventum orientalem, seu vrentem, & Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A subsolanum significat; vnde aliqui in æstu non calorem intelligunt, sed ventum subsolanum, Græcè Eurum, & in eo per synecdochen omnem ventum. Quod mihi non displicet, tum quia Hebraica vox ventum etiam significat vrentem, seu calidum, tum quia cum ventus sit pars in vniuerso præcipua, non videbatur omittenda. Neque ventorum origo & causa facile ab humana intelligentia cognoscitur, de quibus Christus Ioan. 3. versiculo 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Quæ verba quidam ex Patr. bus non de Spiritu sancto, sed de vento hoc interpretantur, in quibus sunt Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, & Augustinus quæst. noui, & veteris Testamenti cap. 59. de quo est etiam illud Eccles. capit. 11. versiculo 5. *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus.* Hæc explicatio mihi difficilis non est, sed in eam libentiùs propendo, quam propria indicat æstus significatio.

B Vers. 25. *Quis dedit vehementissimo imbre cursum.* De imbre vehementi, id est, de nimbo, atque procella satis à nobis dictum est capite præcedenti. Illud hic admirandum proponit, vnde tantopere procellarum impetus incitari possit, cuius à Iobo Deus rationem sciscitatur. Philosophi nostri non tam sunt assecuti, quàm experti, qui mira considerant de vento, typhone, & turbine; Sed mirum est quàm in ratione reddendâ varij sint, quàmque alij aliis vicissim displiceant. Quos velle componere, & causas curiosius inuestigare, longi est, & alieni negotij. Illud dico, procellarum vim esse vehementem, & impetum vix non in mari solùm, sed etiam in terra tolerabilem. Neque opus erit aliunde petere testimonia, cum vbicumque terrarum occurrat familiaris experientia.

C *Et viam sonantis tonitruj.* Vox Hebraica *קוֹל חַזִּיז*, pro qua Vulgatus reddidit tonitruum, ab aliis interdum aliter conuertitur. Zachar. capit. 10. vertit *niues*, alij *nubem*, Iob capit. 28. versiculo 26. *procellam.* Quando ponebam pluuiis legem, & viam procellis sonantibus. Septuaginta *καυλαστας*, id est, *apparitiones.* hæc verò esse videntur conuersiones, & fulgura, quæ omnia procellas & vehementissimos imbres comitantur. Ex quo fit, vt quia hæc simul plerùmque sunt, & sibi ipsis vicina, & eiusdem tempestatis partes; aut commune habeant, aut commutabile vocabulum. hæc eadem verba habes cap. 28. supra, vbi Vulgatus reddidit, *Et viam procellis sonantibus.* Explicationem longiorẽ inde pete.

D Versiculo 26. *Vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.* Fœcundissimæ sunt, oportet, nubes, & magno ferantur ventorum impulsu, quæ non irrigant solùm agros, qui hominum vsibus, atque deliciis seruiunt, sed etiam syluestria, atque deserta loca, quæ neque habitat homo, neque ad hominem inde vlla aduehuntur commoda. Quod ventorum Deus præstat impulsu, qui nubes pluuiis grandatas huc illucque circumfert, & agit, vt nulla sit pars, quantumcunque infœlix, & deserta, in quam non influat aliunde collectus aquarum humor. Nam licet ex arido solo non ascendat vapor, qui concretas tamen ex alieno vapore,

Qq 3 & one

De cælo sæpe
contra peccatores
dimicatum.

61.

62.

63.

Dei admira-
randa libera-
litas.

& oneratas aquis, ad regiones impellit arenas, etiam ubi homines non sunt, neque quicquam quod ad humanam vitam usus necessarios, aut honestos pertineat, ut ex hoc Iobus intelligat, ibi nullam hominum operam intercessisse, quando neque ubi ullus est homo, neque inde ad se ullum emolumentum exportat, deinde ut singularem suam providentiam ostendat, qui sola illa loca, atque inaccessa, & inuia inornata esse noluit, & vasta: & feris sylvestribus, montanisque volucris inducitur pluvia de opportuno victu providere voluit.

Verf. 27. *Ut impleret inuiam, & desolatam.*] Horum ex superioribus explicatio constat.

64. Verf. 28. *Quis est pluvia pater: vel quis genuit stillas roris?*] Ex aërea regione aqua defluit, quæ fecundat, & exhilarat agros, & ros nocturnus, qui ad fecunditatem & speciem plurimum confert. Horum author est, & pater Deus, qui rerum ita composuit, disposuitque naturas, ut partus hic tam humanis commodis opportunus, suis ederet temporibus. Ex eadem regione gelu provenit, & glacies, quæ nihil aliud sunt, quàm aquæ duratæ, atque constrictæ, quas in illam cogit duritiem vis quædam frigoris, quam Dominus indidit ventorum naturæ facile mutabili, his præsertim qui regiones perflant boreales, aut glaciale cælum, & inde concepto frigore reliquas permeant, gelantque vehementer, & ideo additur.

65. Verf. 29. *De cuius utero egressa est glacies, & gelu de celo quis genuit?*] Sicut supra verf. 8. nonnulli putabant, in quibus fuit S. Thomas, maris vuluam esse diuinam providentiam, atque sapientiam, unde tanquam è suo conceptaculo prodiit: sic nunc utrum glaciei, & gelu eandem Dei sapientiam appellare possumus. Et hic multo magis, quia verba à Deo genitam esse glaciem, & gelu significant. In sacris autem Deo uteris tribuitur, & vulua. Isai. 46. versiculo 3. *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulua.* & cap. 66. à verf. 9. Deo vbera tribuuntur, & lac: & idem dicitur parere: neque id inusitatum est, ut hæc in Scriptura viris tribuantur. Genes. 15. versic. 4. sic Deus Abrahamo; *Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem.* & lib. 2. Paralip. capit. 22. verf. 21. de Senacherib; *Filij qui egressi fuerant de utero eius, interfecerunt eum.* Nihil itaque aliud hic dicendi modus significat, quàm à Deo mare, gelu, & glaciem esse creata: sed si quis alium præter Deum, pluviam, & rotis atque aded glaciei, & gelu parentem quærat; is erit vapor, qui ex humidis locis extractus, & eleuatus à sole concrefcit in nebulam, aut nubem, & inde à sole tepefactus liquefcit, & soluitur.

66. *Flumina & maria gelu durata sicut saxa.* Verf. 30. *In similitudinem lapidis aqua duratur, & superficies abyssi constringitur.*] Hoc etiam diuinæ sapientiæ documentum, & opus admirabile, cum res vsque aded mollis & fluida sic contrahatur, & rigeat, ut lapidi, aut marmoris sit in sua duritie quàm simillima; de glacie constat, ut ipsa docet in boreali cælo experientia quotidiana. Nam ita summa fluuio- rum, imò marium aqua frigore constringitur, & durefcit, ut in aquis eadem omnino fiant, quæ in terra arenti, & solida, ibi plaustra à bobus trahuntur, discurrunt equites, fiunt equestres ludi, imò veræ committuntur pugnæ: & tamen glacies totam illam belli molem, &

A pondus vel terræ ipsi formidabile sustentat; de quo Maro lib. 3. Georg.

*Concrefcunt subita currenti in flumine crusta,
Vndaque iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius paulis, nunc hospita plaustris.*

Dimicatum esse, & exercitum constitisse in congelato flumine dixit Plinius in Panegyrico; *Danubius ripas gelu iungit, duratiusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Diodorus, lib. 5. capit. 9. sic de Gallia; *Glacies quoque immensa adeo regionem occupat, ut flumina congelata sint peruia transeuntibus, non solum paucis, sed exercitibus quoque, cum curribus, atque impedimentis.* Quod si niues, ut vult Plinius lib. 37. cap. 2. aut ut alij, aquæ in crystallum durantur, satis constat, quo modo in lapidis similitudinem durentur aquæ; cum crystallus in lapidibus numeretur.

67. Versiculo 31. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas: aut gyrum Arcturi poteris dissipare?*] Rogarat Deus proximè à Iob, quem pluvia, & stillæ roris patrem haberent, & ex quo utero glacies, geluque prodierint. Cum autem Iobus non ignoraret Pleiadas, & Arcturum, & alia quædam sydera, quæ capit. 9. versiculo 9. supra nominarat, tempestates verè, & frigus inducere, quod etiam cap. 37. versiculo 9. nouerat Eliu, ubi dicit egredi frigus ab Arcturo, respondere posset Iobus patrem pluviam esse Pleiadas, Hyadas, aut Orionem, & ab Arcturo gigni glaciem, & gelu cuius Deus cogitationi tacitæ respondit. Etiam si à pluuio Pleiadum, atque Hyadum sydere orientur imbres, & ab Arcturo glacies; tamen non ab alio, quàm à Deo congregatæ sunt Pleiades, & Arcturus in ea cæli regione collocatus. Neque ab alio data vis illa generandi, atque immittendi pluiam, & frigus. Quare quacunque id ratione consideret, pluuiarum, frigorisque patrem Deum agnoscat, necesse est: cum neque Iobus, neque ullus è mortalium genere possit illum stellarum siue aceruum, siue chorum coniungere cum illa gelandi, atque humectandi facultate: neque congregatam illam societatem disjungere, aut inditam humoris frigorisque facultatem adimere. De his nominibus astrorum, quæ variè à variis, imò à nostro interprete non eodem semper modo vertuntur, egimus supra ad illud cap. 9. versiculo 9. *Qui fecit Arcturum, & Oriona, & Hyadas,* inde pete, & alia plura, quæ huc valde faciunt, atque ideo ab illis prudens abstineo.

68. Verf. 32. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?*] Tam superiora sydera, de quibus proximè, quàm hæc, de quibus in præsentia, cum plures alios habeant usus, & commoda, illos habent maximos, quod tempora diuidunt, eorumque rationes, atque mensuras hominibus ostendunt. Sanè rustici Luciferum consulunt, & Vesperum ipsis astra notissima. Helicem, & Arcturum, quæ suo circumactu & gyro nocturni temporis spatia distinguunt, item Pleiadas, & Orionem, quia magnitudine, splendore, & numero facile se produnt. Hæc autem præclara sunt diuinæ providentiæ documenta, & beneficia

Crystallus ex aqua.

67.

68. *Astra quæ distinguunt nocturni temporis spatia.*

nescia, ut homo norit quo tempore suscipien- A
 dus, aut deponendus sit labor. De Lucifero, ac
 Vespero, multa alij, à quibus ego libèter absti-
 neo, quia alieni laboris est. Illud non omitten-
 dum, Luciferum appellari etiam *Phosphorum*,
 & Vesperum *Hesperum*, & esse vnum idèmq̃
 astrum; vocatur enim Lucifer cum solem ante-
 cedit, & ideo pro tempore matutino sumitur.
 Hesperus verò, quando subsequitur, & noctur-
 num significat. Lucifer seu Phosphorus ad la-
 bore[m] euocat, Vesper, seu Hesperus à labo-
 re reuocat, & domum reducit. Quod signum
 super terram consurgere, & sui muneris
 homines admonere, qui facere potuit præ-
 ter Deum, qui tam vigili, largaque prou-
 dentia humanis rationibus consultum esse vo-
 luit?

69. *Verf. 33. Nunquid nosti ordinem cæli; & po-
 nes rationem eius.*] Mirus fuit cælorum ordo,
 siue cælestes orbis consideres, qui variis ni-
 tuntur motibus, & mutuo se complexu cohi-
 bent; siue astra, quæ & ipsa speciosa sunt, & il-
 lorum ordo longè pulcherrimus, ex quibus in
 terris magnæ fiunt rerum conuersiones. Urget
 igitur Iobum Deus, & rogat, an nouerit ordi-
 nem cælorum; quomodo illorum cursus sit in
 tanta varietate tam rarus, & constans, quæ vis
 in terras tanta, tum ex cuiusque natura; tum ex
 vario illorum inter se multiplicique congres-
 su. Rogat item an in terram illorum ordinem,
 & speciem, aut certè vim, & proprietatem
 transferre queat. Prius hemistichum obscu-
 rum non est; posterius nobis magis explican-
 dum.

70. *Et pones rationem eius in terra?*] Non vno
 modo potest cælestium orbium ratio, cursus,
 & species in terra poni, quia describi potest, &
 efformari, ut sit cælorum in terra quoddam
 ectypon, & expressa ad viuum effigies, quæ mo-
 tus omnes & varios planetarum aspectus con-
 gressusque definiant. Quod quibusdam ma-
 chinis Astrologi videntur assecuti, quæ sic mo-
 uentur, & alios, atque alios circulos artificiosè
 connectunt, atque implicant, ut in illis specta-
 re videamur, & contrectare manibus, quæ tam
 à nostro orbe, atque conspectu distant. Quæ ra-
 tionem inuenisse, & expressisse Syracusanum
 Archimedes tradit Cicero libro 1. Tuscul.

*Cum Archimedes, inquit, luna, solisque quinque er-
 rantium motus in spheram colligauit, effecit idem
 quod ille, qui in Timæo Platonis mundum adifica-
 uit Deus: ut tarditate & celeritate dissimillimos
 motus vna regebat conuersio. Hanc porò sphæ-
 ram vitream fuisse dicunt, aut certè sic inclu-
 sam vitro, ut commodè ab omnibus varij cæ-
 lorum motus spectari possent, & cum perspicua
 distinctione notari. In quam sphæram acutè lu-
 sit Claudianus.*

*Iupiter in paruo cum cereret æthera vitro,
 Risit, & ad superos talia verba dedit:
 Hucine mortalis progressa potentia curæ?
 Iam meus in fragili luditur orbe labor.
 Iura poli, verumque fidem, legesque Deorum
 Ecce Syracusius transtulit arte senex.
 Inclusus variis famulatur spiritus astris,
 Et viuum certis motibus urget opus.
 Percurrit proprium mentitus signifer annum,
 Et simulata vno Cynthia mense redit.
 Iamque suum voluens audax industria mundum
 Gaudet, & humanâ sycdera mente regit.*

Qui hæc assecutus est mente, & cogitatio-
 nem suam artifice manu exprimere potuit, cæ-
 lorum ordinem in terra videtur posuisse, sed
 sanè mortuas in sua sphæra imagines descri-
 psit, non expressit viuas: neque illas virtutes
 indidit, quæ pluias inducunt, tempestates
 cient, aut serenant, durant aquam in glaciem,
 aut tepesactam in liquidam naturam redu-
 cunt. Neque præterea certum est, an tales sint
 astrorum, atque cælorum motus, quales in
 sua sphæra describit Astrologus. Quare ne-
 que hoc modo cælorum ordinem in terra
 quisquam disposuit, præsertim cum omi-
 ssa fuerint alia quamplurima, quæ neque oculus
 videt, neque vlla capit intelligentia.

B Alio modo videtur cælorum, ac syderum
 ordo posse in terra describi, si videlicet in ter-
 ra cognoscatur, quæ sit astrorum vis, & influ-
 xus in hæc inferiora, quid in terris cælorum
 conuersioni, ac syderum variæ congressioni
 respondeat, quæ astra in hanc, vel illam natu-
 ram potestatem habeant; ita cum S. Thoma alij
 plures. Qua de re multa Philosophi; qui pla-
 netas varios, variis humoribus dominari di-
 cunt: quod item de humani corporis partibus
 ætatibusque decernunt: Quod item putant de
 plantis, & metallis. Soli enim aurum subesse
 tradunt, argentum lunæ, Marti ferrum, &
 chalybem; Saturno plumbum, Ioui stannum,
 & electrum; Mercurio argentum viuum, Ve-
 neri æs. Qui hæc in terris nouit, ille rationem
 cæli in terris posuisse existimari potest. Sed
 licet horum aliqua humana intelligentia ad-
 hibito studio, atque solertia cognoscat, imper-
 fectè tamen cognoscit, & obscure, & multo
 plura, atque maiora penitus ignorat.

C Mihi non displicebat hinc agi tum de cæle-
 stium orbium conuersione, quæ varias in ter-
 ras mutationes inducunt; tum de his, quæ con-
 crescunt in nubibus, & ad terram postea, aut
 emissa, aut resoluta descendunt. Rogat igitur
 Deus, an rationes illas, & ordines rerum, siue
 aëreos, siue cælestes ipse, aut quilibet alius
 homo in terris moderetur, ita ut præcipiat Lu-
 cifero, seu Hespero, ut modò subsequentem
 antecedit solem, modò antecedentem subse-
 quatur: ut erumpant è nubibus fulmina, re-
 sonent tonitrua, emicent fulgura, defluant
 imbres: denique superiorum corporum teneat
 habenas, & illorum ordinem suo arbitrati
 moderetur. Hæc mihi sententia videtur non
 difficilis, & eam, qui sequuntur proximè, versi-
 culi confirmant.

D Versiculo 34. *Nunquid eleuabis in nebula vo-
 cem tuam, & impetus aquarum operient te?*] *Ne-
 bula* ab Aristotele sterilis nubes appellatur,
 quia in aërem potius, quàm in aquam resolu-
 tur, quæ terris incubat, & est plerumque se-
 renitatis indicium, in qua esse potest homo,
 quia proxima terræ. In nube præterea Deus
 esse dicitur tanquam in suo throno, seu ve-
 hiculo, vnde ad homines loquitur, ut in hu-
 ius capituli principio pluribus ostendimus. Ex
 his se statim prodit, illis huius loci senten-
 tia. Ex nube Dominus superiore, & splenden-
 te magis imperat aliis nubibus, ut terram ir-
 rigent, ac fecundent, seu ut obruant, & va-
 stent iuxta hominum merita, cui illico obse-
 quantur nubes. Iubet igitur Deus, ut quando
 nubibus Iobus insidere non potest, è nebula
 tamen,

71.

72.

*Varia me-
 tallis variis
 planetis sub-
 iecta.*

73.

74.

tamen, quam habet proximam, eleuet vocem, & è nubibus euocet vim aquarum maximam, quæ ipsum operiat, id est, super ipsum cadat, quod fiet facile, quia ipse in nebula esse; & ex ea clamare fingitur: Nebula autem inferior est, & subiecta nubibus. Hoc porro est, quod nuper censebamus rationem cælorum in terra ponere, & cælestia, & meteo- ra ab humana sapientia, atque virtute ex terra gubernari.

75. S. Thomas *vocem* tonitruum esse putat quod vox dicitur Dei, & in nubibus, quæ etiam vocantur nebula, resonat, & mugit. Quare loqui censetur cum tonat Deus, iuxta quam sententiam sensus est non difficilis; Nunquid, ô Iobe, tonabis, sicut ego facio in nubibus, aut ex illis vim aquarum maximam effundes, quod ego sæpe facio, ita vt te copiosus imber operiat & obruat. Hoc autem etiam est rationem cælorum in terra ponere, quia potestas tunc daretur in terra, quæ res sublimes, atque cælestes administraret. Quæ sententia mihi satis apparet expedita, & facilis.

76. Versiculo 35. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi, adsumus?* Quod de tonitruo, & imbre, id etiam nunc de fulgure Iobum interrogat. Quod ita Dei præceptis obsequitur exactè, vt cum dicto abeat, & eadem facilitate reuocatum redeat, quo promptum significatur subditorum in obediendo studium, & alacritas. Sic nos pluribus in nostris commentariis super Zachariam ostendimus, ad illud capit. 9. versiculo 9. *Circumdabo domum meam & his qui militant mihi, euntes, & reuertentes.* Dicuntur autem ire, & reuerti qui assidue Dominis suis, atque in omni ministerio seruiunt. Sicut enim in ingressu, atque exitu omnia intelliguntur, quæ ab aliquo fiunt, sic etiam in progressionem, ac reditu, siue in eundo, ac reuertendo. Nam serui fideles, & in dominorum suorum oculos, & imperium intenti, non minus prompti reuocati redeunt, quam ad præstanda mandata festini conuolant. Quo sensu dixisse videtur centurio apud Matth. capit. 8. *Dico huic, vade, & vadit, & alij veni, & venit.* Hoc itaque dicendi modo nihil, opinor, significatur aliud, quam prompta seruorum, & alacris obedientia, qui cum milites missi fuerint, & reuocati, adesse se dicunt, vt iterum, & sapius ad alia, atque alia mandata obeunda mittantur.

77. Versiculo 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam,* Postquam de rebus animæ, & rationis expertibus magisque aspectabilibus egit Deus: ad animantia deducit interrogationem, in quibus maiora operata est diuina solertia; & primum agit de animalium hominum nobilissimo, nempe de homine: & dicit à sua sapientia & prouidentia singulari visceribus, id est, cordibus hominum inditam esse sapientiam, qua intelligerentur aliqua Dei opera, licet eorum plerique rudem, & obscura cognitione. Nam licet Astrologi, qui se cælestium rerum, & astrorum scientiam tenere profitentur, incerta sæpe, & falsa non raro, & ludicra tradiderint, aliqua tamen, aut verè cognoscunt, aut acutè coniectant, quod opus est sapientis animi, quem, præter Deum nullus

A instruere potuit, aut ad illam cognitionem at- tollere.

Septuaginta aliter legunt hoc prius hemistichium, *Quis dedit mulieribus textura sapientiam, aut variegandi scientiam,* magnum aliquid videntur significare Septuaginta, cum texendi opus, & illustrem in opere textili picturam, in qua multum est ingenij, atque artis, mulieribus attribuunt: cuius inuentrix Pallas existimatur à Gentilibus, quibus ars illa digna visa est, cui dea præesset, sed de illius inuentione egimus supra cap. 2. ad illud; *Pellem pro pelle.* vide Plinum lib. 7. cap. 56.

B *Vel quis dedit gallo intelligentiam.*] Opportunè Deus cum agere de animalibus instituit, quibus nulla inest rationis facultas, à gallo incepit, qui rerum cælestium, & temporum, quæ astrorum maximus, & quasi princeps sol suo cursu moderatur, & notat, aliquam videtur habere cognitionem. Quando nocturnum solis cursum sentire videtur, certè illius accessum varia vocis modulatione hominibus annunciat, de quo Plinius libro decimo capite vigesimo primo. *Proximè gloriam sentium, & hi nostri vigilantes nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Norunt sydera, & terras, distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaque castreysi vigilia ad curas, laborumque reuocant, nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque vententem nunciant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum.* Ad gallo- rum intelligentiam facit, quod statim idem subiicit Plinius; *Si palma contingit statim in victoria canunt, seque ipsi Principes testantur; victus occultatur silens, agræque seruitutem patitur: Cælumque sola volucrum aspicit crebro.*

C Versiculo 37. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Incidimus in locum, qui plurimum torquet, & distrahit interpretes non solum in diuersas sententias, sed etiam translationes. Septuaginta sic reddunt; *Quis est, qui numerat nubes sapientia? quis cælum in terram inclinauit?* Chaldaus; *Quis constituit stellas cæli in sapientia, & nubes cæli, quæ comparantur vtri, quis mitigat?* Idem aliter; *Quis constituit septimanas cæli in sapientia, & in reuolutione cæli quis habitauit?* Tigurina; *Quis sapientia sua atheri distabit, quæ faciat? & lagenas cæli quis sistet?* Pagninus; *Quis numerauit cælos in sapientia, & quæ descendunt de cælo quis quiescere fecit?* Ad has referri possunt translationes aliæ, quæ pauca non sunt. Quod verò vbi Vulgatus legit *concentum*, alij reddiderint *inclinauit*, alij *descendunt*, alij *lagenas*, alij *vires*: fecit vox Hebraica ככל quæ pro punctorum varietate *cadere* significat, & *vtrem*, item instrumentum musicum, vtri simile, quod inflat, fistulæque & varium reddit, ac multiplicem sonum.

D Sanct. Thomas priorem partem ad gallum refert, & ad intelligentiam admirabilem, quæ cælorum videtur motus cognoscere: & illorum partes cantu distinguere. Quare hemistichium prius sic explicat; *Quis enarrauit gallo cælorum rationem, id est, proportionem cælestium motuum, vt possit ex hoc determinatas horas cognoscere, seu discernere ad cantandum.* Cum S. Thoma sentit Lyra. Neque deest qui de gallo

78. Textura, & ars polymixta facinarum propria.

79. Gallus suo cæli nocturna tempora distinguit.

Quæ galli intelligentia

80.

81.

gallo etiam interpretetur, quod statim subditur de cœli concentu, quem separabit nemo, aut silere faciet. Quasi nemo possit prohibere, quin suis temporibus cantet gallus, & noturni temporis spatia distinguat, vsque adeo illi constanter, & sine errore Deus indidit canendi tempus, & modum, ita vt cum temporibus alijs quiescat, & dormiat, dormire tamen, & quiescere non possit, quo tempore mandatum à Domino accepit, vt homines ad diurnas occupationes, aut cœlestium rerum meditationem exsuscitet.

82. Alij hinc nihil putant affirmari de gallo, sed de cœlorum specie varia, ex varia astrorum dispositione, & ordine. Quam vocari putant rationem, atque concentum, quæ tunc primum apparuerunt in cœlis, quando creata sunt astra, & duo luminaria: quo tempore etiam cœli moueri cœperunt, & suo motu diurno, menstruo, & anniuersario distinguere dies, menses, & annos. Ex quibus motibus licet diuersis, mira tamen ratione, atque ordine consentientibus, efficitur ille concentus, & harmonia, quam silere nemo, aut quod idem valet, dormire faciet. Quæ explicatio omnium mihi maximè placet. Sed aliqua hinc nobis obseruanda.

83. *Admirabilis cœlestium motuum cōsensio.* Primum rationem cœli esse cœlorum dispositionem, & ornatum, qui est ad speciem præclarus, & ad hominum vsus necessarius; præsertim cum ex illorum motibus multiplex fiat Planetarum congressus, & ex eo in terra miræ rerum vicissitudines. Ille cœlorum ornatus & ordo, concentus quidam est, & admirabilis quædam harmonia: qualis esse solet in vocibus; Quarum cum aliæ acutæ sunt, aliæ graues, aliæ ex vtrisque temperatæ, sic tamen illas in cantu, & cithara moderatur magister vt ex multis vna existat symphonia, quæ mirum in modum complet, & recreat sitientes aures. Ex hac vocum sonorumque consonantia, siue concentu, multæ ducuntur translationes, quæ varias in rebus consensiones ostendunt. Sic virtutum concentus dicitur illa virtutum omnium conspiratio, qua ad vnum aliquod opus mutuo se iuuant. Sic actionum, quæ ad vnum finem spectant, congressio, concentus vocatur. Sic humanæ aut alterius naturæ consensio partium ad actiones alias, & ipsius naturæ conseruationem, eodem appellatur nomine. Sic Cicero stellarum ex dissimilibus motibus congressionem concentum appellauit. Quem prohibere non poterit, aut mutare vis vlla creata, aut humana solertia.

84. Mitto hinc cogitationem illorum, qui ex cœlestium corporum collisione cieri crediderunt perpetuos, & numerosos sonos, cuius sententiæ auctor fuit Pythagoras, quem alij deinde secuti sunt. In quibus fuit Philo Iudæus in lib. de Somnijs, vbi cœlum vocat archetypum musicæ instrumentum, atque ideo tam scite, atque affabrè fuisse elaboratum. Plura alia addit in eam sententiam, quæ libens omitto, ne illa præteream, quæ in somnio Scipionis in eandem sententiam adduxit eleganter Cicero, qui eadem sensit cum Pythagora, apud quem sic Scipio; *Quis hic, quis est, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis somnus? Hic est, inquit*

A ille, qui cum interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata proportione distinctis impulsu, & motu ipsorum orbium conficitur, qui acuta cum grauibus temperans varios æquabiliter concentus efficit. Neque enim silentio tanti motus incitari possunt; & natura fert, vt extrema ex altera parte grauius, ex altera autè acutè sonent. Quam ob causam summus ille cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto, & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic lunaris, & infimus. Hæc Cicero.

B Sed planè alius est cœlorum concentus, qui diuinas laudes perpetuò personat, hic nempe, qui paulò antè à nobis descriptus est. Stellæ enim suo splendore, atque ordine, & cœli constanti, atque sibi ipsi quàm simillimo motu, diuinam prædicant sapientiam, illamque mortalium oculis ostendunt, & annunciant. Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* & statim de eisdem cœlis; *In omnem terram exiit sonus eorum,* ille autem sopiret, aut dormire faceret hunc cœlorum concentum, qui illorum aut adimeret cursus, aut astra refrigeret, aut illorum lucem obscuraret. De hoc cœlorum concentu, ac laudatione Augustinus ad illud Psalm. 148. *Confessio eius in cœlo, & in terra. Quid est, inquit, Dei confessio? Quia ipse confitetur? non, sed quia illum omnia confitentur, omnia clamant, omnium pulchritudo quodammodo vox eorum est confitentium Deum. Clamat cœlum Deo, tu me fecisti, non ego. Clamat terra, tu me condidisti, non ego. Quomodo ergo clamant ista? Et hoc inuenitur. Ex tua consideratione clamant: ex voce tua clamant.* Cum ad vocem Iosue capit. 10. sol stetit Hebr. solis indicatur silentium, dum steterisse dicit; vbi enim Vulgatus, *Sol ne mouearis,* Iosue decimo versiculo duodecimo, Hebr. est *וַיִּדּוּם* quod idem valet, atque *שִׁלֵּט*, & statim de sole *וַיִּדּוּם* id est, *siluit*, quo modo legunt Biblia Regia. Quare tunc cœli censendi sunt silere, aut dormire, cum non mouentur, & qui motum illius retardaret, aut tolleretur, ille aut premeretur, aut sopiret concentum: quod nemo faciet mortalium.

D Vericulo 38. *Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur.* Terra sua natura arida est, & quasi solutus puluis, qui tamen si humor accedat, in aliquid cogitur continuum, & solidum, quod in compactis glebis significatur. Qui dicendi modus aliquo modo fauet illi cogitationi, quæ mihi videbatur non improbabilis, quòd prius esset creata terra, fecunda tamen, & grauidata aquis & abyssu magna, & deinde erumpentibus quasi è vulua, circumfusa fuerit vndecumque ab aquis, à quibus, quæ soluta fuerunt, colligata fuerunt, atque concreta, & in glebas coacta. Cur autem post cœlorum concentum fundatæ terræ Deus meminerit, quæ succurrunt rationes: altera sumitur ex cœlorum concentu: altera ex concentu dormitione, siue silentio. Ex concentu quidem, quasi dicat Deus, cœlorum ordinem, speciem, & ratos, atque constantes cursus, ex quibus efficitur ille concentus, cœpisse, quando terra in glebas admixtis aquis coacta est, id est, quando fundata est terra. Neque moror quòd ante solem, & stellas; imò fortasse antequam cœli mouerentur, id est, ante cœlorum

85. Cœli laudat diuinam sapientiam.

86.

lorum concentum, terra fundata fuerit, & compactæ glebæ: nam vt pluribus ostendimus nuper ad versicul. 8. quæ proximo aut vicino tempore ac loco fiunt, in eodem tempore, ac loco dicuntur esse facta. Et ideo licet hic cæli concentum post terram creatam, aut humefactam cœperit: quia non longè cœpit, simul cum terra sonuisse dicitur.

87. Altera ratio sumitur à dormitione concentus, & tunc hic est sensus; Quis erit qui cæli concentum dormire faciat, id est, cessare, ita vt ad illum statum reuocentur cæli, in quo fuerunt, cum fundata est terra, & superinfusis aquis irrigata, & coacta in glebas, quo tempore, quia neque astra fuerunt, neque motus, soporata videbatur, immò neque orta cœlestis harmonia. Hæc explicatio ita mihi probatur, vt prior videatur magis esse probabilis.

88. Versiculo 39. *Nunquid capies leonæ prædam, & animum catulorum eius implebis?* Hinc putant multi incipiendum esse caput 39. quia absolutis meteoris, nouam quandam, de rebus inferioribus disputationem aggreditur Deus, vbi agit de animantibus, quæ gradiuntur in terra, quæ volant in aère, quæ natant in aquis. Quæ distinctio mihi non displicet: neque enim olim Scriptura sacra diuidebatur in capita: sed vno continebatur corpore quicumque liber, neque in plura dissectabatur membra, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Daniel, capit. 12. non longè à principio, & super Acta capit. 2. in fine. Quod docuit Elias in proœmio 3. Massoreth, vnde factum est, vt varia à variis facta fuerit capitum diuisio. Sed quocumque distinguas modo, parum, aut nihil refert, cum eadem sit sententia, & eadem firmitas & pondus argumentorum.

89. Docet igitur Deus ex diuersa animantium naturâ, atque instinctu, quo sibi, aut pulis, seu catulis *escam* quærunt, suamque vitam, ac vires tuentur, & confirmant; sibi illorum curam non esse proiectam, & suam singularem esse sapientiam, quam nemo assequi mortalium potuit, aut illius opus intelligere. Incipit autem à duobus animantibus, in suo quoque genere voracissimis, leone, & coruo, in quorum catulis alendis diuina elucet sedulitas, & mirabilis clementia. Est leo voracissimus, illi tamen Dominus solertiam indidit, vt non solum sibi, sed etiam catulis, cuius est acuta fames, prædam quærat, & capiat; qua & suam abundanter, & leonulorum famem expleat. Quod magis est mirabile, cum ad rabidam famem accedat quoque naturalis ferocia, de qua multa rerum naturalium scriptores. Virgil. lib. 9.

Leo, & coruus voracissimi.

*Impastus ceu plena leo per ouilia turbans,
Suadet enim vesana fames, manduque trahitque
Molle pecus, nutuque meum trahit ore
cruento.*

90. Hanc tamen naturalem ferociam, vesanâque famem atque edendi rabiem vincit susceptæ prolis amor, & esuriens, ipse catulorum rugientium necessitati deesse non vult. Ideo pu-

A to hoc inductum leonæ, seu, quod idem esse reor, leonis exemplum. De quo sic ad Iobum Deus; Docebisne, ô Jobe, leonem quo modo sibi, & catulis venetur prædam, & tam suam expleat, quam catulorum famem? leonæ potius meminit, quia hæc indulgentior est, & prolis amantior. Sic sanè indicat Horatius lib. 3. carm. ode 20.

*Non vides quanto moueas periculo,
Pyrrhe, Getula catulos leonæ.*

Et Statius lib. 9.

*Vt leo cui paruo mater Getula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla iubis, toruôsque nouus respexit ad un-
gues,
Indignatur ali.*

91. Versiculo 40. *Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur.* Catuli quando infirmo sunt corpore, neque adhuc idoneo captandæ prædæ, in suis latent cubilibus, vbi à matribus aluntur, aut vberè, aut præda quam leones pro matrum, vt opinor, ac filiorum victu venati sunt, donec ætati aliquid accedat roboris, & ipsi suam sibi vitam seruare, & sustentare possint. Tunc ipsi impatientes famis, & claustris, vbi probe se instructos vident unguibus, & dentibus, foras erumpunt: interim in latebris meditantur insidias, & se ad venationem, & rapinam comparant. De quibus Statius supra.

--- Tandemque effusus apertos

Liber amat campos, & nescit in antra reuerti.

De leonibus pro nostro instituto satis, superque. Si plura cupis, vide Plinium lib. 8. c. 16.

92. Versiculo 41. *Quis preparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* En aliam Dei indulgentissimam prouidentiam in auem multis nominibus odiosam, quæ ideo dignissima existimari poterat, quam Deus abiiceret, & perire sineret. Sed non obliuiscitur Deus operis manuum suarum; sed vitam quam dedit, tuetur, & ætatem prouehit. De hac coruorum cura multa tradunt, & sancti Patres, & scriptores profani. Gregorius ad hunc locum; *Editis pullis, vt fertur, escam illis planè præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant: eosque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui hic, illi que vagantes in nido, & ciborum expectant aperto ore subsidium, aut cum nigrescere cœperint, tanto eis præbenda alimenta ardentius requirunt, quanto illos alere diutius distulit.* Idem penè Isidorus libro 12. Etymol. capite septimo. Hieronymus ad illud Psalm. 146. *Et pullis coruorum innocantibus eum,* ex Philosophorum sententia ait, è cæli rore viuere coruorum pullos derelictos. Idem eodem loco Cassiodorus. Chrysostomus in Catena pullos hosce coruinos deserui dicit parentibus, ali tamen à Deo paruis quibusdam bestiolis quæ nascuntur in nidis. Sed homil. in Eliam, illorum coruorum alimentum esse dicit, volitantia quædam animalia, quæ ex nido captant, atque deglutiunt. Priorem partem videtur sumpsisse ex Plinio, quem citat Seruius ad illud Georgic. 1.

92. Dei in coruorum pullos singularis prouidentia.

Tum liquidas corui pressas ter guttura voces.

Plinius, inquit, in naturali historia, dicit coruos esse obliuissos & plerumque minime ad suos nidos reuerti, sed quadam ratione natura hec congerant ad suos nidos, qua vermes possint creare, ex quibus relictis eorum pulli aluntur interdum. Profani pullos à parentibus ex nido pelli dicunt. Sic Aristoteles lib. 6. histor. capit. 6. Plinius lib. 10. capit. 12. Hic Cassiodorus ad Psalm. 146. non diuinam tantum prouidentiam agnoscit, qui coruos implumes adhuc, & à parente proditos pascit, & sustentat, sed genus quoddam indicat indulgentiæ, cum cœlesti rore nutriat, quia parentes fœtenti alimonia, è putrido cadauere fuerant nutriendi. Pulli inquit, *coruorum*, ut Physiologi volunt, cœlesti rore vescuntur, & adhuc paternas escas, id est, cadauerum factores beneficio ætatis ignorant. Quare multo melius agitur cum coruorum pullis, quando à parentibus reiciuntur, & diuinæ omnino curæ permittuntur, quam dum ab illis in nido, si qui tamen in nido relinquuntur, fouentur, & aluntur. Pascerentur enim è putrido cadauere, quod pater vorax, & impurus ex cruce, aut ex sterquilinio apportet, non è cœlesti rore, qui purissimus est. Coruus

93.
Pulli coruorum indulgentius à Deo quam à parentibus nutriuntur.

Bene cum illis agitur qui à parentibus relictis à Deo nutriuntur.

A enim fœtenti alitur, & putrido cibo, ut videmus quotidie. Occurrunt enim in agris maxime suburbanis, iumentorum cadaueribus infidentes, immò & immerfi corui: inueniuntur in crucibus, vbi affixa sunt aut suspensa cadauera: denique illis fœtor, & sanies pro ciborum condimento est. De coruis est illud Horatij,

Non pasces in cruce coruos.

Faciunt autem, opinor, corui, quod de vulture dixit Iuuenalis satyra 14.

Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.

B Clamari dicuntur ad Deum, quia licet ipsi neque de Deo cogitent, neque Deum esse nouerint, tamen Deus ad se clamorem illum spectare videt, qui communis est pater, & omnibus animantibus escam porrigit in tempore opportuno. *Vagari* etiam dicitur, quia licet implumis sit, neque volatu vagari possit, & mutare sedes, in suo se tamen nido, aut eo in loco, in quem è nido cecidit, volutat, & versat, neque famem, quæ intus diuexat, & vrit, quietum esse sinit.

94.
Quomodo coruorum pulli clamant ad Deum.

ARGUMENTVM CAP. XXXIX.

DROPONIT Deus quorundam animalium admirabilem naturam, in quibus magis apparet diuina prouidentia cum admirabili sapientia coniuncta; quo magis Iobum in concepta prius cogitatione confirmet. Adducit autem ibicem, ceruum, Rhinocerotem, equum è quadrupedum genere; è volucrum verò coruum, accipitrem, & aquilam, in quibus aliquid apparet eximium, quod à mortalium nemine præstari potuit. Cum autem hæc Iobo Deus interrogando proponat, neque Iobus ad illa quicquam adduceret, iubet illi ad extremum, ut ad interrogata respondeat & si quid habeat, quod excitatam de se suspensionem eleuare possit, afferat in medium. Iobus nihil contrà adducit, nisi modestiam, & de verborum leuitate pœnitentiam. Quæ contra Deum utilis est, & honesta contentio.

CAPVT XXXIX.

A

PARAPHRASIS.

1. **N**Umquid nosti tempus partus ibicem in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?

2. Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?

3. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

4. Separantur filij earum, & pergunt

1. 2. Interrogavi te hætenus, ô Iobe, de his quæ in cælo, subiectisque elementis admiranda contingunt. Nunc audi minutiora alia de quorundam animantium natura, & si potes ad interrogata responde: Numquid nosti quo tempore ibices suos in petris fœtus ex utero deponant? aut quo tempore, aut quam difficili nixu ceruæ parturiant? quo tempore concipiant? quandiu uterum gerant, quo, & quoto à conceptu mense à partu lenentur?

B

3. 4. In duro ac difficili puerperio distorquent sese, incuruantur, & rugiunt. Continentur hinnuli sub materna disciplina, cum vero

ad pastum egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

5. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit?

6. Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra falsuginis.

7. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.

8. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirat.

9. Numquid voler rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerotam ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium post te?

11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi quòd sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

13. Penna struthionis similis est penis herodij, & accipitris.

14. Quando derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea?

15. Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

16. Duratur ad filios suos quasi non sint sui; frustra laborauit nullo timore cogente.

17. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & ascensorem eius,

A verò satis fuerint ad suam vitam, salutemque tuendam instructi, egrediuntur ad pabulum, & cum se sibi sufficere sentiunt, non amplius ad maternam custodiam, aut curam reuertuntur.

5. 6. De onagro habeo quod abs te quæram, est primum à quo illi concessum fuerit, ut liber uiuat, neque plaustrale lorum, aut iugum subeat; cur solitudinem amet, & in illa plerumque commoretur, & in falsuginosa, ac sterili regione sua sibi constituat tabernacula.

B 7. 8. Quia ciuitates fugitat hominumque conuentus, non timet hominum minaces clamores, aut imperium, qui exactoris in modum ab illo quotidiana, & dura exigant ministeria. Quælibet subeunt aselli domestici, sed è sublimi loco circumiecta spatia, & virentia sibi que consentanea pabula prospiciat.

C 9. 10. Numquid tua solertia, atque assiduitate obtinebis, ô Iobe, ut cicuratus rhinoceros studio tuo, ac voluntati seruiat; aut præsepi tuo illum assuefacies, ut inde ad rusticum opus non inuitum abducas? numquid aratro alligabis loro, ut precedentem secutus aratorem terram proscindat, & molliat; aut eò adiges, ut glebas in vallibus impresso vomere confringat?

11. 12. Numquid quia illum magne molis, ac roboris esse vides, tuas in illum curas, neque labores derinabis, & conferes? aut futurum sperabis ut magnos referat ex semente prouentus, eosque congreget, & terat in area?

D 13. 14. 15. Nunc agnosce, ô Iobe, meam in struthiocamelo prouidentiam. Cum auis non sit, alas tamen illi herodij atque accipitris similes affixi, ut illius in tanta mole tarditatem acuerem. Et cum propter insignem stuporem oua in puluere peritura relinquat quod nemo possit sua prestare solertia, ego illa calefacio, & quod maternus efficit incubitus, ego ex illis maturos, & vitales fetus mea prouidentia in lucem excludo. Neque enim mater amplius de sobole aut onis curat, neque illis ab hominum, seu bestiarum iniuria cauet, aut ullam seruat sobolis excludendæ, aut fouendæ memoriam.

E 16. 17. 18. Neque magis filios suos aut amat, aut curat, quàm alienos. Quare suum laborem, quem in ouorum nixu pertulit, perire senit. Quod facit non ut oblatum à potentiori hoste periculum euitet, sed cogente nemine, propter stuporem suum & animi durtitiam, qua suorum studium, & curam abiecit. Quæ tamen licet in filiorum cura, atque custodia stolidam sit, in sua tamen salute procuranda, neque iners est, neque desunt illi à natura, & à diuina prouidentia subsidia, cum enim id exigat temporum angusta necessitas

19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?

20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror.

21. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Contemnit pauorem, nec cedit gladio.

23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.

24. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.

25. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?

27. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?

28. In petris manet, & in præruptis filicibus comoratur, atque inaccessis rupibus.

29. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.

30. Pulli eius lambent sanguinem:

Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

A *cesitas, alarum adiumento ea se alacritate incitat ad cursum, ut neque equum, neque equitem curet, quorum præuertit cursum, & studium eludit.*

19. 20. *Numquid tu, ô Iobe, aut alius præter me fortitudinem equo, aut spiritus bellicos inseuit? circumdare quidem poteris equino collo baccata monilia, & ornamenta alia, quibus elatus gaudio tollat hinnitum; at hinnitum ipsum illius collo circumdare non poteris; quia dare non poteris spiritum, & organa, ex quibus formatur equinus ille fremitus. Numquid suscitabis, aut fugabis equum proposito terrore, sicut suscitantur, fugantque locustæ? nequaquam: ea enim illi data est à mea prouidentia constantia, ut obiectus terror ad iram potius quæ fumare facit nasum, quàm in metum trabat.*

21. 22. 23. *Tam longè est, ut obiectus terror generosos equi spiritus à cursu cohibeat, ut tunc si carceribus oppositis, aut adductis habenis clangente buccina, retardatur, toto connitatur corpore, & cum ferocia quadam audaciam ostendat, terram excauet vngulis: & ultrò armatis, atque infensis hostibus occurrat. Neque micantes horret gladios, & quæ aliis iniicere solent pauorem, omnino contemnit, neque terretur si eques, qui illi insidet, subitò edat strepitus, vel ab hasta vibrata, vel ab emisso spiculo, vel à percusso clypeo, vel à pharetra, quam incluse quaerunt, & resonare faciunt sagittæ.*

24. 25. *Idem impatiens moræ, & exilive gestiens non solum vngulis quatit, & fodit, sed etiam ore mordet, & exorbet terram, cuius spatia incredibili celeritate metitur. Neque à cursu retardat buccinæ clangor, quem non horret magis, aut curat, quàm si non audiret. Imò cum audit tubarum sonitum, ingentis edit lætitiæ signum. Et multo ante quàm pugnandi tempus aduenerit, & tubæ resonet excitatorius clamor, ipse præfagit bellum, dum orationem ducum hortatoriam audit, & voces militum in acie confusæ.*

26. *Numquid docuisti accipitrem, quomodo veteres, & cariosas plumas exueret, & assumptis nouis iuuenesceret? quod facit ad Austri tepentem afflatum conuersus, & excussis ibi alis agitatione vehementi, & crebra.*

27. 28. 29. *Numquid ex tua doctrina didicerunt aquila, quo loco sibi nidos commodè construerent, & ut rupes amarent, & sublimia montium, inaccessaque fastigia: & inde spectarent prædam, quam acutissima oculorum acie in locis etiam procul distans intuentur.*

30. *Aquilini pulli cum adhuc implumes*

& vbi cumque cadauer fuerit, statim A
adeft.

31. Et adiecit Dominus, & locutus
est ad Iob.

32. Numquid qui contendit cum
Deo tam facile conquiescit, utique qui
arguit Deum, debet respondere ei?

33. Respondens autem Iob Domi-
no dixit.

34. Qui leuiter locutus sum, respon-
dere quid possum? manum meam po-
nam super os meum.

35. Vnum locutus sum, quod vtinam
non dixissem; & alterum, quibus ultra
non addam.

commorantur in nidis, sanguinem exsor-
bent, à parentibus abundè porrectum. Cum
autem iam sunt instructi pennis, & gran-
diori ætati aliquid accessit roboris, ipsi sibi ci-
bos querunt, & eò aduolant, vbi se illorum
oculis cadauer ostendit.

31. 32. Cum Deus pro se longam, &
grauem orationem habuisset, suamque de
natura rerum prouidentiam luculentè pro-
basset: cum sapius interrogatus Iobus ni-
hil respondisset contra id, quod disputan-
tium ferebat consuetudo, his illum verbis
aggressus est: Qui cum Deo acerrimo vide-
licet aduersario contendit, silere non debet,
& is qui tantum sibi iuris assumpsit, & au-
dacie vt Deum insimulet, rationem reddat
oportet cur hæc audeat, & interroganti, aut
redarguenti respondeat.

33. 34. 35. Ad hæc Iobus sic mode-
stè, humilitèrque respondit, dixitque: cum
locutus fuero parum consideratè, & leui-
ter, ipsa in loquendo leuitas respondere
non sinit. Quare satius eduxi continer
linguam, & pro responsione adhibere si-
lentium, quod ad eleuandum crimen plus
habet interdum virium, quàm oratorius
sermo. Vnum fateor, & alterum verbum lo-
cutus sum, cuius me vehementer pudet,
ac pœnitet: neque committam unquam,
vt in verbum aliquod deinceps simile pro-
labar.

Verf. I. Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris?]

I.
Ibicum mi-
rum inge-
nium.



V I sint ibices, obscurum A
est, neque ex authoribus ali-
quid habemus certum, cum
alij aliò abeant; & penè in
solo genere conueniant. He-
braicè dicitur *יאב* ian-
lab, quam vocem Hiero-
nymus hic, & lib. 1. Reg. cap. 24. verf. 3. ibi-
dem reddidit, vbi nos de ibice non pauca. Sed
Prouerb. cap. 5. verf. 19. transtulit hinnulum.
Alij hircum, alij ceruum, Septuaginta trage-
laphum, id est, hircoceruam reddiderunt,
animal nimirum bifforme, & ex mixto, atque
confuso genere, ex hirco videlicet, & ceruo
compositum. Hoc nos animal appellamus ibi-
cem necesse est, quando ita vulgus hoc loco
conuertit. Quod esse è caprarum genere do-
cuit Plinius lib. 8. cap. 53. Capra, inquit, in
plurimas similitudines transfigurantur. Sunt ca-
præ, sunt rupicapra, sunt ibices pernicitatis mi-
randa, quanquam onerato capite, vastis cornibus,
gladiorumque vaginis: in hæc se librant, vt tormen-
to aliquo rotati in petras potissimum è monte ali-
quo in aliud transire quærentes, atque recussu
pernicius quo libuerit exultant. De his pluribus
Ælianus lib. 14. cap. 15. Hi porrò illi esse
creduntur, qui Sardinia insule familiares sunt,
quique vulgari sermone appellantur Mosla-

nes. De horum partu nihil habemus peculiare,
aliquid tamen esse in quo diuina eluceat
prouidentia notabile, ex hoc loco verosimi-
le est. Quod tamen ideo ignoramus, quia in
petris locisque abditis, & abruptis pariant,
vbi à mortalium nemine, aut nunquam, aut
non nisi perquam rarè videri possunt. Cum
autem hæc, quæ in tertis fiunt a feris, oculen-
tentur, quid mirum si homo diuina quæ tam
superiora sunt, non assequatur.

Vel parturientes cernas obseruasti?] In cerua-
rum puerperio hinnulorumque nutritio-
ne, aliquid sine dubio maius est, & admirabi-
lius, quàm scriptores de re naturali cognoue-
runt, prodideruntque, nam quæ illi tradunt,
aut communia sunt cum aliis, aut certè nõ ad-
modum diuersa. Illud videtur certum ex hoc
loco, qui plus affert lucis ad cognoscendum
paruum, conceptumque ceruarum, illarum
partum esse difficilem, & nixum cum grauissi-
mo dolore coniunctum. Quod satis indicat
quod dicitur statim verf. 3. Incuruantur ad fœ-
tum, & pariunt, & rugitus emittunt. Quæ omnia
grauissimi doloris documenta sunt. Ad quam
difficultatem leniendam aliquot Deus beni-
gna prouidentia leuamentis obstetricatus
est. Primum indidit ceruis paulò antè durum
pariendi conflictum, appetitum, studiumque
quærendi

2.
Cervarum
partus quæ-
ritur.

3.

Cervia quo- modo se ad partum praeparat & ab eo se purgat.

querendi herbam, quae vterum laxat, & claustra mollit: quae leselis dicitur, de qua Cicero lib. 2. de natura Deorum; Cervae, inquit, paulo ante partum, perpurgant se quadam herbula quae leselis dicitur. Idem Plinius lib. 8. cap. 32. & addit, statim à partu contra dolorem, opinor, & languorem à puerperio, & enixu contractum, adhibere coquitam sibi medicinam. *Fœmina*, inquit, ante partum purgantur herba quadam quae leselis dicitur, faciliori ita utuntur vtero. A partu duas habent herbas, quae Aros (alij ehorion legunt, & fortasse melius) & leselis appellantur. Hoc idem docet Aristoteles lib. 9. de histor. animal. cap. 5. vbi dicit statim atque enixa est fœtum, cervam comedere leselim, & inuolucrum in quo fœtus inuolutus fuerat: cui vis medica inesse existimatur, vt ipse docet ad finem capituli. Hæc autem in ceruarum partu videntur admiranda. Illud deinde diuinæ solertia argumentum est, quòd eo tempore contingit ceruarum partus quando frequentia sunt tonitrua, quæ ceruas natura timidas, & puerperij dolorem refugientes; horribili sonitu sic afficiunt, vt cogitationem auertant à dolore, & metu, & tandem ad maiorem nixum præparant, & cunctantes acunt. Quod indicauit Dauid Psalm. 18. vers. 8. *vox Domini præparantis ceruos.* vox autem Domini tonitruum est. Atque ideo, vt docet Aristoteles lib. 6. de histor. c. 29. ab Arcturi ortu ceruæ ineuntur à maribus, id est, mense Augusto, & mense Septembri implentur, atque concipiunt: cum autem eodem teste octonis mensibus vterum ferant, necesse est, vt partus in mensem Aprilem incidat, id est, in vernale tempus iam adultum, quando cum fulmine, & fulgure increbescere incipiunt, & inhorrescere tonitrua. vide Plinium lib. 2. capit. 50. vbi causam reddit cur horridicæ hæc impressiones in vere potius, autumnòque contingant? Hoc de conceptus tempore, & de octomestri vtero docet etiam Plinius lib. 8. cap. 32.

Cervia con- trua ad partu inuenitur.

5. Vers. 2. *Dinumerasti tempus conceptus earum, & scisti tempus partus earum.* Hic locus penè à nobis explicatus est ex Aristotele, & Plinio, qui tempus conceptus statuunt sub ortu Arcturi, id est, sub mensem Septembrem, partum verò sub Aprilem adulto iam vere, cum frequentior est tonitruorum horror, qui idem ceruis beneficium præstat; quod obstetrix puerperis.

Vers. 3. *Incuruantur ad fœtum, &c.* Hoc etiam ex proximè dictis satis liquet, neque aliud sibi, opinor, vult, quam cum ingenti dolore contingere ceruarum partum.

6. Cervia quo- modo hinnu- los instituit.

6. Vers. 4. *Separantur filij ceruarum, & pergunt ad pascuum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.* Maxima prudentia præditam esse ceruam prodit Aristoteles lib. 9. de histor. animal. cap. 5. Tum ob alia de quibus proximè, tum quia hinnulos ad vitæ modum, & conseruationem prius sedulò instituunt, quam à se dimittant. Quare quia seiplos iam tueri possunt, & res curare suas, ad matres suas non reuertuntur. Hoc idem tradit Plinius lib. 8. cap. 32. *Editos, inquit, partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad præcepta ducunt, sal-* Gaspar. Sanctij Comment. in Job.

A tione demonstrant.

Vers. 5. *Quis dimisit onagrum liberum: & vincula eius quis soluit?* De onagrorum natura, intemperantia, libertate, satis nos multa ad illud cap. 11. vers. 12. *Tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* & ad illud cap. 24. vers. 5. *Alij quasi onagri in deserto,* vbi diximus hoc videri Idumæis familiare prouerbum, quo significant hominem suis studiis libidini, abdomini intemperatiùs obsequentem, indocilem iugi, qui priuatis inuigilat commodis, aliena, & publica prodit, & euerit. Multa de onagro, quæ valde faciunt ad hunc locum, diximus in nostris commentariis super Ieremiam ad illud cap. 2. vers. 24. *Onager assuetus in solitudine.* Huc omnia spectant, quæ eo loco de onagro dicuntur. Rogat igitur Deus Iobum, à quo huic asello data sit ea natura pronitas, vt velit, & ea vis, & facultas, vt possit sine lege viuere, iugum excutere, & sua regi libidine, non alienæ parere voluntati. Vincula illius soluit Deus, quando illum à iugo, & vinculo liberum creauit. Neque enim ille tantum solutus dicitur à seruitute, & à legibus, qui cum prius legibus teneretur, postea tamen principis beneficio immunitatem consecutus est; Sed ille qui ea conditione natus est, ne seruitutem subiret, aut pareret legibus. Quo sensu principes soluti quibusdam legibus esse dicuntur, non quia subiecti fuerint aliquo tempore, sed quia ne subellent, utpote legibus superiores, cautum est. Sic reus à vinculis liberatus dicitur ab eo, qui suo siue consilio, siue solertia egit, ne compingeretur in vincula, & homo liberatus à morbo, medici prouidentia, quæ ne ille in morbum incideret, effecit. Tam autem sunt imperij, & libertatis amantes onagri, tam profusæ libidinis, vt non patiantur quemquam irperij, aut venæpi congressus esse consortem. Quare, vt auctor est Solinus cap. 30. prolem masculam aut perimunt, aut propagandæ soboli reddunt inutilem. *Africa, inquit, onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum. Amulos libidinis suæ metunt: inde est quòd grauidas suas seruant, vt in editis maribus, si qua factas fuerit generandi, spem morsu detrucent.*

7. Qualis onagri libertas.

Illi soluti dicuntur legibus qui legibus nunquam fuerunt subiecti.

Onagri libidinosi & zelotypi.

B *Onager assuetus in solitudine.* Huc omnia spectant, quæ eo loco de onagro dicuntur. Rogat igitur Deus Iobum, à quo huic asello data sit ea natura pronitas, vt velit, & ea vis, & facultas, vt possit sine lege viuere, iugum excutere, & sua regi libidine, non alienæ parere voluntati. Vincula illius soluit Deus, quando illum à iugo, & vinculo liberum creauit. Neque enim ille tantum solutus dicitur à seruitute, & à legibus, qui cum prius legibus teneretur, postea tamen principis beneficio immunitatem consecutus est; Sed ille qui ea conditione natus est, ne seruitutem subiret, aut pareret legibus. Quo sensu principes soluti quibusdam legibus esse dicuntur, non quia subiecti fuerint aliquo tempore, sed quia ne subellent, utpote legibus superiores, cautum est. Sic reus à vinculis liberatus dicitur ab eo, qui suo siue consilio, siue solertia egit, ne compingeretur in vincula, & homo liberatus à morbo, medici prouidentia, quæ ne ille in morbum incideret, effecit. Tam autem sunt imperij, & libertatis amantes onagri, tam profusæ libidinis, vt non patiantur quemquam irperij, aut venæpi congressus esse consortem. Quare, vt auctor est Solinus cap. 30. prolem masculam aut perimunt, aut propagandæ soboli reddunt inutilem. *Africa, inquit, onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum. Amulos libidinis suæ metunt: inde est quòd grauidas suas seruant, vt in editis maribus, si qua factas fuerit generandi, spem morsu detrucent.*

C Vers. 6. *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra falsuginis.* Quædam animalia, aut natura mansueta, aut artificio, & vsu cicurata, ciuitates non horrent, & hominum conuentus: inter quos habitant non inuita, & suas cum illis delicias habent, & ludos exercent. Non ita onagri, qui solitudinem amant, & deserta loca, quæ hic ideo falsuginosa dicuntur, aut terra falsuginis, quia quæ eiusmodi, utpote sterilia, & parum humanis vsibus opportuna habitari non solent.

D Vers. 7. *Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.* Contemnit multitudinem ciuitatis, aut quia cum hominibus in ciuitatibus habitare renuit, aut quia si ipsum hominum multitudo venationis gratia persequatur, non timet; quia ad loca confugit inaccessa, atque inuia, quòd aspirare non potest sine periculo, aut inutili fatigatione venatorum anhelata contentio.

8.

9.

Onagri difficile à venatoribus capiuntur.

tio. Et quia ipsi tanta est in locis præsertim arduis, & tam expedita in summo etiam impedimento pernicitas, ut neque canum sagacitatem, neque equorum velocitatem atque impetum metuant. Sanè aliquid simile refert Xenophon lib. 1. de expeditione Cypri ad medium, ubi cum ageret de onagrorum venatione ait, *Onagri quidem cursu equos facile superabant: cumque iam ad eos equites proximè accessissent, ad cursum illi incitabantur: resistebant deinde cum abessent longius, atque ita sepius iterata fuga equites fallebant.* Dicitur autem exactoris clamorem non audire, quia procul ab hominibus in sylvis habitat, secus atque asini domestici, qui onerosa dorso portant, & interdum iugum subeunt, & aratrum trahunt. Quos homines insectantur, & urgent, modò, fuste verberant, modò stimulis pungunt, & varia ab illis exigunt ministeria. Hi credo dicuntur exactores, quos non timet onager, quia neque illorum seruit vrbibus, neque illos aspicit nisi oculo fastidienti, ac libero. Et fortasse exactor est, qui illum canibus, venabulo, & equis exagitat, quem usque adeò non timet, ut ipso venationis ardore magis de pabulo cogitet, quam de fuga, vitandòque periculo.

10. Verl. 8. *Circumspicit montes pascua sua, & c.*] Despectat à sublimi loco pascua, & eò se corripit, unde maior se ostentat pabulandi commoditas. Aut fortasse, dum magis exactor, id est, venator urget, & cingit indagine saltus, instigat canes, & intentat lato venabulo ferro: ipse animo securo, quasi nullus immineret hostis, circumspicit montes, & virentia quæque pabula perquirat. Neque posterior explicatio omnino displicet, cui fauet exactoris clamor: nam ut venatores canes ferunt, & retia, & instrumenta alia ad prædam opportuna, sic etiam clamorem adhibent, ad acuendos canes, turbandam prædam, & inducendam in retia, vel in foueam. De quo Maro 3. Georg.

Venatoribus familiaris clamor.

*Sape volutabris pulsos sylvestribus apros
Larratu turbabis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia ceruum.*

Esse autem clamorem in venatione quasi legitimum, indicat ex profanis Martialis lib. 10. epigrammat. 37.

*Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebisque tuos sordida præda canes.*

Item Nazianzenus in oratione funebri Basilij, ubi tradit quomodo Sanctus ille doctor, & venator egregius ad Christi retia traheret numerosam prædam. *Quibus, inquit, equis? quibus canibus? quo larratu, & clamore? quo inueniunt studio viarum exitus, ut venationis leges ferunt, occupantium? orationis tantum instæque partitionis vinculo constricti. Quem locum sic Nicetas ex Cyri Theodoti scriptis illustravit.*

*Venator arte subdola captat feras
Clamore sauo, nexibus, larratibus,
Venantur autem nobiles serui Dei
Vatis profusus, & fide firmissima.*

A His quæ de onagrorum velocitate, robore & animositate diximus, non parum incommodat quod lib. Georg. 3. Virgilius timidos appellat onagros, quique cursu capi, & superari possunt.

Sape etiam cursu timidos agitabis onagros.

Sed huic obiectioni satisfieri non difficile potest, si dicas non idem esse onagrorum ingenium in Italia, de quibus loquebatur Maro, & eorum, quos gignit Idumæa, & Syria, quorum ingenium Iobus optimè nouerat. Fieri autem solet, ut pro regionum diuersitate omnes viuientium formæ diuersissimæ sint, ut cuius explorare facile est. Seu certè de onagris adhuc teneris, quique materno pascuntur lacte, quique ad mensarum delicias expentur, loquebatur Maro; de quibus Plinius lib. 8. cap. 44. *Onagri, inquit, in Phrygia, & Lycaonia præcipui, pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellat.* De his Martialis tanquam de exquisito, atque delicato cibo ita loquitur lib. 13. epigram. 97.

Onager tenellus expentus pro mensis.

*Dum tener est onager, solaque lalisso matre
Pascitur, hoc infans, sed breue nomen habet.*

C Tunc autem non difficili superari cursu potest à venatore pedite, & comprehendi, sicut in ea ætatula leonum, & tigridum capiuntur catuli, cum tamen ferociores sint natura, & magis quam onagri formidabiles.

Verl. 9. *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?*] Quæ hic de Rhinocerote dicuntur, obscura non sunt. Tantum enim ostendit Deus illum indocilis esse naturæ, neque condoceri ab homine posse, ut iugum subeat aut frænum, seu lorum patiatur, ut ex eius robore aliquam homo commoditatem capiat, sicut ex equo, aut boue. Hæc omnium, quæ de Rhinocerote dicuntur, summa complexio. Nunc quadam explicanda, & primùm quid sit Rhinoceros, de quo plurima, & varia tum diuinarum Scripturarum interpretes, tum etiam illi, qui de rebus naturalibus texuerunt historiam. Sed ego ex hac longa, atque incerta tractatione emergam quam breuissimè potuero, sine vlla tamen, quoad potero, commentationis iniuria.

D Hebraicè dicitur דָּוִי reem, quam vocem Vulgatus modò unicornem reddit, modò Rhinocerotem. Quidam unicornem & Rhinocerotem eundem esse credunt. Plinius inter vtrumque non leue statuit discrimen. Agit de Rhinocerote lib. 8. cap. 20. de monocerote, seu unicorni lib. eodem cap. 21. Monoceros vnum creditur habere cornu, longum, & acutum quod è fronte pullulat. Rhinoceros cornutum habet nasum, & instructum, aut vno cornu, ut multi volunt, aut duobus, ut opinantur plures; & hoc potiùs. Ita Pausanias lib. 9. *Rhinoceroti, inquit, in summa nare est cornu, & aliud supra illud non magnum.* Quod item Martialis dixit in suo amphitheatro epigrammat. 22. ubi sic de Rhinocerote in arenam producto.

12.

13. Rhinoceros quid.

Duo habet cornua.

Namque

*Nunque grauem gemino cornu sic extulit A
vrsu,*

Lactat ut impositas taurus in astra pilas.

14.
Monoceros
an verus vel
fabulosus.

An monoceros sit in rerum natura, multi dubitant, & fabulosa putant, aut affinia fabulis multa, quæ de illius ingenio, atque virtute afferri solent. At de Rhinocerotē nemo prudens dubitare potuit, cum in Romanorum theatrum productus fuerit, primū à Cæsare Augusto, vt auctor est Dion lib. 1. Deinde à Domitiano, vt in amphitheatro canit non semel Martialis, & nostri viderunt in Oriente sæpe, & nostris temporibus vidit Hispania, in quo ego obseruavi attentē, & per otium, ea ferme omnia, quæ de Rhinocerotē produnt historici, qui à nostris hoc tempore vocatur *Bada*.

15.
Rhinoceros
non ciorra-
tus.

Rhinoceros porrò nullo artificio, aut vsu, cicurari potest. Quare illum non minùs magistrī metuunt, qui tenerum, & adhuc imbellem pullum venati sunt, quàm alij quique, quos nunquam antè viderat. Quare Martialis in suo amphitheatro epigrammat, 22. Rhinocerotis magistrōs timidos vocat.

Sollicitant pauidi dum Rhinocerotā magistrī.

Sanè Rhinoceros ille, quem ego in Hispania vidi, ipsi etiam magistrō, à quo alabatur, & cuius vocibus diu assueras aures habuerat, non minùs quàm aliis erat formidabilis. Quare illi, dum adhuc esset tener, & innoxius, effossi sunt oculi, excisa cornua, neque tamen ideo qui propè aderant erant à metu vacui, cum audiret strepitum, & vocem, & vel ipso odore aliquid adesse sentiret. His positis reliqua obscura non sunt: tantum enim significant vastam illam belluam cicurari non posse, neque doceri ea munera, quibus hominum vsibus seruire posset, cum tamen aliæ feræ neque mole minores, neque prius magis tractabiles, domentur vsu, & mansuecant obsequio. Hoc ergo versu 9. negat Deus adduci posse Rhinocerotem, vt hominum vtilitatibus seruiat, aut alligetur præsepio, sicut bos, & dorsum oneri, & collum iugo, lorove subiiciat.

16. Vers. 10. *Aut confringe glebas vallium post te? Confert, opinor, Deus Rhinocerotem cum boue, cui esse dicit longè dissimilem. Bos enim deposita naturali ferocia iugum subit, & bubulci stimulos patienter sustinet, & illius omnino studiis obsequitur, quod nullo modo à Rhinocerotē obtinebit etiam si diu multumque contenderit. Scimus boues dum plaustra trahunt, sic à bubulco regi, vt antecedit curram, & extenta pertica iugoque imposita, sequentes boues quamcumque in partem velit, ducat non reluctantes: quod etiam dum primū domantur, & aratro assuescunt, ac labori rustico, fieri quotidie videmus, & docuit Columella lib. 6. capit. 2. quod etiam fieri quondam, dum aratrum trahunt, & glebas confringunt, sicut cum plaustrali alligantur iugo, probabile valde est. Sanè cum primū syluestre & senticosum solum aperitur, & profcinditur, cum durus est ager, neque sulcus impressus; quem tanquam regulam sequatur bubulcus, quotidie faciunt*
*Aradi durū
in syluestre
solum modus
vstitatus.*
Gaspar. Sanctij Comment. in Iob.

aratores Hispani, etiam cum ab equis, aut mulis terra profcinditur, vt vnus antecedit, qui ducat, alter qui sequatur, & stiuam teneat, & tardantes acuat voce, & stimulis agitet. At Rhinoceros neque sequetur præcurrentem, nisi vt sternat, & laceret, neque à subsequente vrgebitur, cum stimulos non sentiat, cum ea sit tectus, & loricatus pelle, vt non sentiat stimulos, sed retundat, & frangat, non aliter atque si filix esset aut chalybs. Sanè experimento compertum est, neque in bombardā, & sclopo contra Rhinocerotem quicquam esse virium: nam cum pabulo esset intentus, & aenea pila à bombardā petitus, neque se commouit, neque reliquit pabulum, non magis quàm si infera laneo tomento pila foret percussus. Glebæ porrò dicuntur vallium, quia hæ aratro plerumque subiguntur, nam aspera, & confragosa loca aliam habent culturam.

Vers. 11. *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius; & derelinques ei labores tuos?]* Curas nostras, & onus in eos securè deriuamus, quos obsequentes esse, & fideles nouimus, tum præterea ita strenuos, vt pondus quantumcumque graue sustinere possint. Cum hoc posterius possit in magna fortitudine sua præstare Rhinoceros, non tamen illud prius, cum ingenium habeat indocile, neque naturalem possit eruere ferociam. Quare illi neque labores suos poterit, neque si qua intercidunt in colendis agris, aut rebus conuehendis, molimina permittere.

Vers. 12. *Numquid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?]* Explicatio est superioris versus, quasi dicat, sperandum non esse, vt ager à Rhinocerotē subactus sementem acceptam cum vsura reddat, quasi dicat, ab illo non esse subigendum agrum, neque ex eius opera vllum sperandum esse prouentum: quod magis adhuc exponit, dum dicit ex illius cultura, sicut ex hominum labore non esse implendam aream, ex qua frumentum deinde comportetur in horrea.

Vers. 13. *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris.]* Sicut aliqua sunt animalia amphibia, quæ non facile statuas an aquatilia sint, aut terrestria, sic etiam alia sunt, quæ numerari non magis possunt in volatilibus, quàm in terrestribus, qualis est vespertilio, qui non aliud esse videtur, quàm mus pennatus, aut struthiocamelus, qui, vt vox ipsa sonat, nihil est aliud quàm alatus camelus; qui vocari possunt aut vtriusque naturæ participes, aut vtriusque expertes; de hoc igitur nunc instat sermo, quem paucis descripsit Plinius libr. decimo, capit. vndecimo: *Avium, inquit, grandissimi, & penne bestiarum generis struthiocameli Africi, vel Ethiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt, ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiument. Ceterum non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Ungulae his ceruinis similes, quibus dimittunt bisulca, comprehendendis lapidibus vtilis, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus, concoquendi sine delectu deuorata mira natura. Sed non mirum stoliditas in tanta reliqui*
*19.
Struthionis
proprietas.*
R r 3 corporis

corporis abitudine, cum colla frutice occultauerint, A latere se existimantium. Præmium ex iis oua, propter amplitudinem pro quibusdam habita uasis: conisque bellicos, & galeas adornantes penna. Hæc Plinius.

20. Vbi Vulgatus *struthiones*, Hebr. est *רנני* *renanin*, quod aliquid indicat speciosum: & lætum. Quare hæc spectantes quidam *pauonem* reddiderunt: quia illius speciosa sunt pennæ, in quibus ipse se plurimum amat. Ita cum Rabbini Hebraizantes quidam, in quibus sunt Pagninus, & Hebræus apud Caietanum, à quo ipse non dissentit, Chaldæus *gallum syluestrem* esse putat. Sed quæ sequuntur non satis cum pauone, galloue syluestri conueniunt. vbi Vulgatus *herodij*, Hebraicè est *הרודי*, quæ variè à variis, imò à nostro interprete variis in locis variè redditur. Zachar. c. 5, vers. 9. *miluius*. Ierem. 8. vers. 7. *ciconia*. Deut. 14. 18. *porphyrio*. Leuit. 11. vers. 19. Psalm. 103, *herodius*, sicut hic. Septuaginta cum aliis locis *upupam*, *herodiuque* conuertunt, hoc tamen loco, & Ieremiæ cap. 8. nomen ipsum Hebraicum reliquerunt dixeruntque *asidam*. vide quid nos in nostris commentariis in cap. 5. Zachar. iuxta varias conuersiones, variæ etiam sunt interpretum sententiæ, in quibus commemorandis, aut refellendis nihil moror, quia neque admodum puto necessarium, cum vni ex omnibus vulgatæ translationi hæreat nostra commentatio, neque prodigus esse velim temporis, quo non nimis abundo.

21. Dum herodij, id est, alati cameli meminît Deus, suæ prouidentia admirabile producit documentum. Inprimis quia animali tantæ molis, & vt ex totius corporis constitutione coniectare licet, tardo, certè non admodum veloci pennas addidit, licet inter volucres numerari non debuerit. Sicut neque aliqui pennati serpentes, aut pisces maris, qui alarum remigio non minori velocitate in aëre sublimes, quàm illi in terris, aut in aquis mouentur, in volatiliu genere censentur. Alis autem, licet alienæ quodammodo naturæ affixis, struthionis tarditatem leuauit, & acuit, & illius præterea incolumitati consuluit, sicut dicemus statim vers. 18. dum autem alas struthionis similes vocat alis herodij, ostendit struthionem non numerandum inter aues, quando alas dicitur habere, & plumas, quasi esset auis. Sanè Plinius supra è bestiarum genere esse dicit, & clariùs Isidorus lib. 12. cap. 7. etymol. Aliud autem suæ prouidentia argumentum singulare exhibuit in pulloꝝ incubatione, & vita, de quo mox.

22. Vers. 14. *Quando derelinquit oua sua in terra.* Sicut in coruorum pullis, quos ex nidis expulere parentes, Dei sese indulgentissima prouidentia prodit, dum illos sustentat nutritis in modum; sic in fouendis, excludendisque ouis struthionum non minùs elucet diuina prouidentia. Cum enim ediderit oua, & in illis filiorum spem, & penè matuta femina, illa tamen quasi forent aliena derelinquit, illorum inimicor: neque propter stuporem naturalem curat an calcetur ab humano pede, aut laeretur, ac rumpatur à beluis, illorum tamen Deus curam suscepit, & aluit pro suis.

De struthionis ouis, aut foris, aut anima-

tis, multa dicuntur ab his, qui de rerum natura historiam concinnarunt, quæ ideo minùs placent, quia cum hoc loco non omnino contentiunt. Minùs tamen ex omnibus placet Ælianus, nisi fortasse de aliquo struthionis genere loquatur, quod valde sit diuersum ab eo, de quo nunc Deus: nam struthioni incubationem tribuit, & amorem in pullos ardentissimum: tum etiam solertiam singularem in construendo nido; quæ omnia negat Deus, & ex stupore, & obliuione struthionis suam docet, commendatque prouidentiam. Sic autem Ælianus de formando nido lib. 14, c. 6. *Pedibus*, inquit, *fabulum architectans in solo humilem nidum fingit, & construit: cuius medium concauum efficit, labra nidum ambientia altè exaggerat, ac tanquam muro circummunit, vt munitio emineus pluuiam in nidum insuere, & pullos etiam nunc teneros alluere prohibeat.* Ecquid hic stuporis apparet.

De ouis verò fouendis, excludendisque, & alendis pullis sit idem lib. 4. cap. 36. *Et si permulta oua parit, non tamen omnia ad frugem producit; at fecunda ab infecundis fecerit, tantumque frugiferis incubat; simul & ex his pullos excludit, & oua sterilia comedenda eduis pullis præbet.* De affectu in sobolem, aut duritia, multa dixit contra id, quod statim habemus è facto textu, tam etiam è Ierem. Thren. 4. versic. 3. cum enim modum traderet, quo struthio à venatore capitur lib. 14. cap. 7. ait; *Cum incubantem struthionem vir eius venationis bene peritus animaduertit, peracutas ex ferro cuspidis spiculorum more rectas circum nidum defigit: & alicubi propè in occulto latens ex insidiis rei euentum acerrime expectat. Struthio verò quoniam amore, quem erga fetus suos acerrimum habet, flagrans sitienter cum eis versari cupiat, ex inquisitione pastus reuertitur: ac nimirum prius quam in nidum introeat, huc, illuc versans oculos circumspicit, quod metuat, ne quis sese speculetur. Deinde ardentissimo pulloꝝ studio victa, & si ferrum splendescit, ita tamen alis passis, tanquam velis contento sine explicatis, intra nidum miserabiliter ingreditur. Nam cuspidato ferro transfixa, acerba morte afficitur. Venator verò repentinus eò accedit, & simul cum matre pullos capit.* Hæc Ælianus satis, vt vides contra ea, quæ Scriptura tradit.

Tu forsitan in puluere calefacies ea? Hæc satis ostendunt oua relicta à struthione non foueri: sed speciali aliqua Dei prouidentia; quæ sicut coruorum pullos respicit, & nutrit: sic etiam struthionis ex calefactis ouis pullos excludit, eisdemque prouidentia non minori sustentat. Quomodo verò Deus oua illa confoueat, formetque pullos, educetque animatos, ex rudi, confusaque materia, scito opus est. Neque curo quod alij dicunt, oua illa aspectu struthionis confoueri, quod dixit Cælius lib. 10. c. 5. magis videtur verisimile ab ipso puluere solis ardore calefacto animari fetum illum, & tandem excludi. ita Isidorus lib. 2. cap. 7. etymol. vbi sic de struthione; *Oua sua fouere negligit, sed proiecta tantummodo foru pulueris animantur.* Idem penè Albertus de animalibus lib. 23. Plura hæc de re vide apud Conradum Gesnerum libr. 3. de auibus, vbi de struthione multa. Foueri sine matri

Qualis est simacus struthionis in pullos amor.

23.

24.

Quomodo relicta struthionis oua fouentur à Deo.

Struthionis oua quomodo curat Deus.

Quomodo abique auii incubitu excluduntur pulli.

matribus oua, & ex illis pullos exclusi docent Aristoteles, & Plinius, ille lib. 6. de animalib. cap. 2. hic lib. 10. cap. 14. & 15. Vterque dicit in Agypto ex ouis in sineto obrutis magnā procreari pulliciem, id est, pullorum multitudinem, & idem contingere, si in valis calidis includantur oua. Quod etiam in Sinarum regione nunc fieri tradit Maphæus libr. 6. histor. Indica, quod artificium illi prouincia quæstuosum esse dicitur. Sic autem ibi: *Sunt qui intra naues alitum, atque unatum præsertim ingentes alant turmas, & facillima est soboles; propterea quod ex ouis non matris incubitu, sed leni tepore ex ignibus temperatis adhibito, quotquot visum est pullos excludunt.* Eo modo arbitror oua ab arena, aut puluere calido foueri, donec maturefcant, & excludantur fœtus: & in eo spectari diuinam prouidentiam, quod eo tempore contingit struthionis fœtura, quando ad pullationem magis est attemperatus calor: ille autem est mense Iulio, vt supra citatus obseruauit Albertus.

25. Est etiam circa pullos iam editos singularis alia prouidentia: nam quemadmodum coruorum pullos clamantes audit Deus, cisque de victu prouidet necessario: sic etiam exclusos pullos ex struthionis ouis non minori benignitate sustentat. Clamare autem pullos, illos a parentibus orbatos indicat Michæas cap. 1. vers. 8. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Quod de pullis videtur intelligi posse melius, quàm de parentibus. Vide quid nos in nostris commentariis ad illum locum, & supra cap. 30. versicul. 29. ad illud, *Frater sui draconum, & socius struthionum.*

26. Vers. 16. *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laborauit nullo timore cogente.* Non magis filios suos curat quàm alienos, neque laborat, aut curat ne conculcentur aut opprimantur à feris, aut prædæ fiant serpentibus, aut vilioribus belluis: quare suum laborem, quem in ouorum enixu pertulit, perire sinit, quod facit, non vt vitam suam tueatur, proposito metu à potentiore bellua (tunc enim parentes alij filiorum salutem nihili habere solent; dum tueantur suam) sed cogente nemine, sed animi duritie, & stupore grandi, quo suorum studium, & curam abiicit. Quod statim Dominus explicat, dum ait: *Præuauit enim eâ Deus sapientia.* Quod sine dubio propter hanc obliuionem, & inertiam dictum est, non autem vt ad versum 9. diximus ex Plinio. Quia tunc se omnino securum esse putat à venatore, & fera, si caput occultet, quasi putet, si caput lateat, totum etiam latere corpus. Hæc autem struthionis siue durities siue obliuio in prouerbium abiisse videtur. de quo Threnor. cap. 4.

Struthionis vers. 3. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in duritia pro deserto.*

27. Struthioni per alia dicitur: Vers. 18. *Cum tempus fuerit, in altum alas erigat: deridet equum, & ascensorem eius.* Diximus struthionem non esse omnino volucrum: quia licet habeat alas herodij similes, aut accipitris, non tamen supra terram eleuatur in aëra, quod faciunt volucres, quibus campus, vbi discurrant, seque explicent magis, & oblectent, aër est. Nihilominus magnū ex alis usum capiunt, quia quemadmodum velis, remisque velocius aguntur rates, & facilius aut assequuntur hostes, aut effugiunt pericula, sic struthio, quæ

A graui mole est, & incessu tardo, adhibito alarum quasi remigio, sic se mouet velociter, vt illam non assequatur equus, quantumuis calcariis excitatus ad cursum. Hoc aperte habemus ex hoc loco, & in verbo *deridet*, est in eo genere maior vis, perinde enim est ac si dicat Deus ludum esse struthioni equum effugere, & cum equite de cursus celeritate contendere. Addunt tamen aliqui in extremis alis habere quosdam aculeos, ex ossæ, duræque materia, quibus se calcarium instar excitat, & pungit; quo fit, vt non solum equos currendo præuertat, sed etiam volucrum pari velocitate adæquet: de hac velocitate Xenophon libr. 1. de expeditione Cyri ad medium; *Struthio camelum, inquit, nemo omnino capere potuit, tam longè enim & pedum pernitate, modo verò alarum quasi uelificatione promouebant, vt statim equites desperata præda insequi desinerent.*

B Vers. 19. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?* Meminit proxime equi, cuius anteuertebat cursum struthio alarum subsidio; nunc ab equi specie & generoso spiritu argumentum sumit, vt suam in illo formando sapientiam probet, & insipientiæ Iobum, atque impotentia conuincat. In illo primùm fortitudinem commendat, quæ spectari potest tum in ferendis oneribus in longo, & impedito cursu, in toleranda militia; in omnibus denique, quæ statim sigillatim numerantur, quæ audaciam probant, & timorem excludunt. In hinnitu verò strenuus indicatur, audax, impavidus, & generosus animus. In eo etenim sono nihil apparet ignobile, nihil abiectū, nihil querulū, sicut in tauro saucio aut agroto leone. Loquedi modus minus uisitatus, & si seorsū sumatur, pauld durior: verum non ite, si hinnitū cum equorum phaleris, & omni alio ornamento coniungas. Circundat homo equū natura nobilem, & superbum, equestri instructu, quo sic ille superbit, vt alacritate, incessu, hinnitu lætitiā suam dissimulare non possit. D Bucephalus Alexandri equus phaleratus, quasi alius esset à seipso, & ornamentorum venustatem, & pretium agnosceret, neminem sellum præter Alexandrum admittebat, cum autem ephippia, & equestria tollerentur insignia, facilem se præbebat & obsequentem aliis. Quare præcipua equorū ornamenta in franis sunt, & in collo, iis denique locis, quæ equorum oculis subiecta sunt. Sic Claudianus in epigram. de equo ornando;

-- Virides spumis perfunde smaragdos,
Luxurient tumida gemmata monilia collo,
Nobilis auratos iam purpura vestiat armos.

Virgil. lib. 7. Æneid.

Aurea pectoribus demissa monilia pendunt
Telecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Cum autem equi ornari se vident, tunc superbiunt elatis animis & quasi gratulati, aut assentati Dominis hinnunt, & alia edunt exultantis animi documenta. Sic sanè Ælianus l. 6. cap. 10. Equus, inquit, cum freni crepitum, & strata & cetera ornamenta videt, tunc fremit, & exultans vngularum suppositione obstrepit, & ex eorum conspectu quasi furoris afflatu ad iter accenditur: voce equisonis excitatur, & aures erigit, & naribus inflatis celerem festinationem anhelat, quodam incredibili cursu studio ad currendi memoriam rediens.

R. 4 Quod

28. Equi laud.

29. Equus phaleratus superbit.

Quod si hæc adimas, demittit animos, & rator est, minusque clarus, & alacer hinnitus; imò vt legisse me memini, licet in præsentia locus non succurrat, si quis iubas, quæ equinæ ceruicis ornamentum sunt, ronderat, statim quasi iniuriam agnoscat, abiicit spiritus, & demisso capite, mœrorem ostendit. Ita indicant hîc S. Thomas, Lyra, Dionysius, licet hi detonsis iubis sedari dicant rabidam libidinem; non restingui, ac comprimi præferoces, ac rabidos spiritus. Sed vtrumque indicat extēnis ornamentis delectari equum, & superbire, & illis detractis spiritus abiicere exultantes, ac superbos.

30. His positis sic locum explico, circumdabis equi collo baccata monilia, & reliqua ornamenta, quibus elatus equus gaudio tollat hinnitum; at hinnitū ipsū illius collo circūdare nō poteris, quia dare nō poteris spiritū, ex quo formatur equinus ille fremitus. Neq; apta animalis illius organa, quæ sonum illum cieant, & forment. Alij in *hinnitu* crepitacula intelligunt ærea inserta monilibus, quæ motu, & collisione sonant, quæ ex collo pendent. Sed est nimis dura translatio, neque proprietas defendenda, cum à re ipsa, & textu aliena non est.

31. Verſ. 20. *Nunquid suscitabis eum, quasi locustas?* In *locusta* multa sunt notanda, siue in figura, siue in saltu, siue in tegumento, siue etiam in multitudine, & acie, qua irrumpunt in segetes, & temporis momento populantur, & perdunt: in quo horum equus similis videatur locustis incertum est. Quidam secuti translationem Septuaginta similitudinem sumunt ab armis, quibus cataphractus equus locustarum refert similitudinem: Quasi dicat Deus, nunquid tu eo modo equum armabis ad pugnam, hominūque terrorem, quomodo armatae incidunt locustæ. Caietanus in *locusta* tremorem agnoscit, qui tremor in equo audaciæ signum est, & fortitudinis ad magnum aliquod opus gestientis, iuxta illud Virgil. libr. 3. Georg.

---Si qua sonum procul arma dederunt,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus.

32. S. Thomas equum locustæ assimilari putat in saltu, vt enim locustæ saltando se mouent, sic etiam equus vehementer saltit, contra morem multorum quadrupedum. Cum Sanct. Thomas sentiunt Dionysius, & Lyra, qua similitudine velocitatem equi significari putant; vt enim locustæ ita frequenter & altè saltant, vt non facile statuas, volentne an saltant, quia saltus ille non admodum differt à volatu: sic equus sic saltit, sic currit velociter, vt illum volare putes potius per aëra, quam per terram incedere, quam vix, dum currit, videtur pedibus attingere. Et certè equo Scriptores profani pro cursu dant volatum, & dicunt nulla velocis cursus in terra relinquere vestigia: Hoc nos docuimus in nostris commentariis ad illud Danielis cap. 8. ver. 5. de hircu in quo portendebatur Alexandri velocitas. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem, & non rangebat terram, quasi volare potius videretur, quam incedere. De curribus dixit Virgil. 3. Georg.

---Volat vi feruidus axis,
Iamque humiles, iamque elati sublimi videntur

Velocitatis
summa
vis
sua
hyper-
bole.

A *Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras.*

De equis Claudianus Panegyri. 3. in consulatu Honorij.

*Nobis Ionia virides Neptunus in alga
Pascit equos, qui summa freti per carula pos-
sent*

*Ferre viam, segetemque leui percurrere motu,
Nesciat aut spumas, nec proterat ungula cul-
mos.*

Silius Italicus.

Ereetus in auras

*It sonipes, rapidaque volans per aperta pro-
cella,*

Tenuia vix summo vestigia puluere signat.

B Hæc dixi pro sententia Diui Thomæ, quam aliqui è recentioribus sequuntur, quæ mihi non displicet.

Sed magis suspicor argumentum hîc adduci nō à locustarū similitudine, sed à dissimilitudine potius, ita vt non hîc similis equus dicatur locustæ in saltu, sed dissimilis in debilitate, pauore ac fuga. Nā locustæ exiles sunt, & ad resistendū infirmæ, & quæ ad leuē aliqū strepitū, aut motum aufugiunt, & locū relinquunt, quē infederūt. Nō sic autem equi, quos neque strepitus, aut clangor turbat, neque metus debilitat, ac frangit. Quare locum sic interpretor; Numquid suscitabis equum, aut è suo loco, aut statione mouebis, aut strepitu, aut obiecto terrore, quemadmodum excitas locustas, & abigis è locis, quæ disperdunt, & vastant: quasi dicat; Nequaquam. Quam explicationem, quæ statim succedunt, facillè confirmant. Nam potius strepitu, atque clangore militari acuitur, & inardescit equus, quam terretur, & languet. Ita putat Eugubinus, Tietelmanus, Isidorus, Stunica, & indicat vox Hebraica *וַיִּרְאָה* raas, quæ tremorem indicat, atque ita transtulit Pagninus, & Caiet. *Numquid timere facies equum, sicut locustam.*

Gloria narium eius terror. Hic locus duas admittit explicationes, easque, vt apparet, non inuitas. Altera est, vt nares patulæ, atque fumantes, quæ maxima est equorum gloria, venustas, & si qua esse potest, in belluina facie maiestas, ambitio, aliis terrorem incutiat. Quod certè explicuit, aut certè non obscurè indicauit Ioel cap. 2. verſ. 4. vbi cum Chaldæorum acies descripsisset horribiles, & Chaldæos ipsos truculento, ac præferoci vultu, cum equorum comparauit aspectu; qui sanè cum fumat nasus, obuius cuique timorem incutit vehementem; *Quasi aspectus,* inquit, *equorum aspectus eorum.* Quod autem equus è naribus fumum emittat, aut etiam ignem euomat, res est nota, & nos statim exemplorum satis adducemus.

E Altera explicatio mihi facilior est, & expedita magis, quæ terrorem non illum interpretatur, quem aliis obiicit fumans equorum nasus, sed quem alij equo obiiciunt; dum opponunt arma, dum obstrepunt inimico clamore, ac strepitu, & lituorum clangore, à quo tam longè est, vt terreatur, & retrorsus abeat, vt potius inde ardorem concipiat, & furorem bellicum, & tunc magis fumos aspiret: quod magis est incitati, ac strenui quam languidi, atque pauentis animi. Quare sensus erit: Non suscitabis equum proposito metu, aut edito clamore, aut strepenti pede, sicut suscitantur locustæ.

Terror

33.

34.

35.

Equus im-
pavidus.

Terror obiectus equo illi est gloria narium, id est, ad iram potius; quæ fumare facit nasum, mouet, quàm in metum trahit.

36.
Nasus fu-
mans furoris
signum.

Quòd autè flatus vehementior, & spiritus in naso iram efferbescentem prodat, & pro graui furoris estu per metonymiam vsurpetur tam in sacris, quàm in profanis multa docent. De his prius vsus fumante naso suam ostendit iam ebullientem, & foras erumpentem iram. Sic de illo Martialis lib. 6. epig. 64.

Sed misere tui, rabido ne perditus ore

Fumantem nasum viui tentaueris vsi.

De indignato sanè id dixit Isaias cap. 2. vers. 22. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Dauid lib. 2. Reg. cap. 22. vers. 9. *Ascendit fumus de naribus eius.* De equo id quotidiana docet experiètia, qui dum ardet ad pugnam, & clangente buccina incitatur ad cursum, maximè si adductis habenis gestientem erumpere coërceas, non fumum solum, sed ignem etiam è naribus expirat. Sic sanè poëtæ varij, & sæpe. Statius 1. Sylua.

Bistonius portat sonipes, magnòque superbit

Pondere, nec tardo raptus prope flumina cursu

Fumat.

Silius Italicus lib. 6.

--- *Fraxòque teneri*

Impatiens crebras expirat naribus ignes,

Claudianus de 4. consulatu Honorij,

Utque tuis primùm sonipes calcaribus arset

Ignescunt patula nares.

Virgil. lib. 3. Georg.

--- *Si qua sonum procul arma dedere*

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,

Collectùmque premens voluit sub naribus ignem.

Hæc explicatio mihi visa est expedita magis, à qua non videtur abhorrere S. Thomas, & Lyra. Neque ideo improbo illam, quam huic adduxi proximam.

37.

Vers. 21. *Terram vngula fodit, exultat audacter.* Hæc, & quæ sequuntur, obscura non sunt. Tantùm enim explicant mirabiles equorum proprietates, & naturam audacem, & ingenuam. Hæc porrò quæ hinc commemorantur, tunc accidunt maximè, quando illa proponuntur, quæ aliis metum inferre solent, quia vt dicebamus, tunc maximè incitatur equus, & exhalatur fumus, aut emicat ignis ex illius naribus, quando occurrit tremor, id est, illa, quæ tremorè ignobili belluarum generi afferre solent. Hinc enim spectant omnia quæ nunc de equorum præferoci spiritu, & audacia prædicantur. Quòd terram fodiat, quotidie videmus, quod facit plerumque impatiens moræ, cum carceribus oppositis, aut adductis fortiter habenis, cohibetur à cursu. Nemo ferme est qui nobile describat equum, qui hanc excauati soli notam prætereat. Virgil. l. 3. Georg.

At duplex agitur per lumbos spina, cauatque

Tellurem, & solido grauius sonat vngula cornu.

Vide quid suprà diximus ex Aliano lib. 6. capit. 10. vbi hanc terræ excauationem vngularum suppletionem vocat. De hac Nemesianus.

--- *Vngula terram*

Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

A *In occursum pergit armatis.* Adè non timet, aut refugit arma, seu periculum, vt illa appetat, & ægre ferat teneri se, donec laxentur claustra, aut, quibus arcetur, subducuntur, aut franguntur carceres. Hoc ipsum explicatur magis cum statim subditur.

38.

Vers. 22. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Pauor, tremor, timor, & similia, pro his rebus sumuntur, quæ aliis afferunt timendi causam, quales sunt hostes, feræ, arma. vnde Deus Gen. cap. 31. dicitur *timor Isaac*, quia illum timebat Isaac. Et inimicorum arma, minacèsque clamores *timorem* vocat Petrus epi. 1. cap. 3. vers. 14. *Timorem eorum me timueritis.* Sic ergo hoc loco pauor pro armis sumitur, & periculis, quæ non horret, aut curat generosus equus. Quæ de re alij multa, nos pauca adducemus. Virgil. 3. Georg.

39.

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces

Audet, & ignoto sese committere ponto.

Nec vanos horret strepitus.

Columella lib. 6. c. 29. hæc tradit equi generosi signa prognostica. Si fossam sine cunctatione transiit, pontem, flumemque transcendit, & alia quæ non aggreditur, nisi ille cui naturalis est virtus, & innata nobilitas. Oppianus aliquid maius narrat de equis quos alit Euphrates.

C --- *Qui habitant virides Euphratis ad vndas*
Magnanimis vtuntur equis ad bella leonum
Lumina glauca vibrant, & magnum in pectore robur.

Efferat audaces animos ad feruida bella,

Accedit leuitas cursus, quòdque ora leonis

Intrepidè perferre valet.

Vers. 23. *Super ipsum sonabit phæetra, vibrabit hasta, & clypeus.* Ingenui est animi, & bellicæ virtutis argumentum, non terri, aut commoueri strepitu inopinato, aut aspectu rerum horribili: quod assècura est nobilis equi generosa indoles; cum enim equus hastam gerat, & vibret, & clypeum, qui ab hoste percussus acutè aliquid sonat, & grauidam pharetram sagittis, quas totquet sonante arcu, & nostro sæculo sclopū qui areis globulis explosis reboat horrendum aliquid quod homo diu in acie versatus sine timore non audiret, id equus securus & intrepidus audit. Hoc signum equi nobilis tradit Columella nuper citatus. *Si intrepidus sineque conspectu, nouaque rei auditu terretur.* Quo-

40.

D modo autem ad harum rerum contemptum nouitius equus assuescat, ex Persarum disciplina præcepta quædam tradit Alianus lib. 4. cap. 25. *Ne armorum, inquit, fremitum, & gladiatorum ad clypeum resonantium crepitum equi extimescat, eos ad strepitum, & sonitum assuescere cogunt, armataque cadauerum simulacra sub ipsum fœnum subiiciunt. Vt casorum conspectum in bello ferre cōsuescant, ne rerum terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles sint.* Quod ab Homero etiam obseruatum esse dicit. Idem Xenophon monet equotū domitorem in suo Hipparchico, vt per turbam circumferat: admoueant illum variis speciebus, & fragoribus.

Equus quomodo docetur horribilia nō timere

E Vers. 24. *Feruens & tremens sorbet terram.* Equus cum huic atque illuc se versat impatiens moræ, & classicum expectat, vt in aciem prodeat, interim suos despumat ardores, & videntes & interno æstu fumos expirat: & quia hostem

41.

stem propè non habet in quem ardorem illum, & furorem effundat in terram ipsam, quam subiectam habet pedibus, totus desæuit, quam ita furiosus, & indignabundus appetit vngulis, & morfu, vt illam absorbere videatur. Porro *absorbere, vorare, & similia*, in omni, vt reor, idiomate idem sunt quod euertere, dissipare, sine vlllo labore, vel impendio, aut certè non longo, difficilique negotio. Fortasse sicut pro regionū varietate varia etiam sunt animantium ingenia, sic etiam equorum, quos habuit Idumæa, quosque lobus solūm, aut maximè nouerat, ea erat natura, vt in furore terram morfū appetent, sicut faciunt vngulis, quod etiam equi nostri, licet non ita sæpe faciunt aliquando.

42.

Quidam hoc ad celeritatem referunt, quæ magna spatia equi breuissimo tempore currendo conficiunt. In his sunt Eugubinus, & Vatablus. Et quidem, vt dicebam nuper, quæ breui, facile, & sine molestia facimus, illa deuorare, & quod idem est, sorbere dicimur. Sic sanè de equo, qui longa exiguo tempore metitur spatia loquitur Hispanus; qui talem equum appellat *traga leguas*. A qua loquendi forma non abhorret Latinus, qui helluonem librorum vocat eum; qui multos libros auide volutat, quem Hispanus diceret *traga libros*. Eugubinus hanc sibi sententiam persuadet, & explicat similibus dicendi modis. *Absorbere*, inquit, *terram per translationem dicitur, vt apud nostrates carpere iter, radere littora. Sic equus velocitate terram, spatiaque absunt. Hæc sententia posterior ideo placet magis, quia de terra equorum vngulis verberata, & fossa iam antè dictum fuerat vers. 21. neque videbatur omissa illorum in currendo celeritas, quæ in eo genere laus est præcipua, quæ optimè eo dicendi genere significatur. vt enim optimè equus dicitur corripere, aut carpere viam, sic etiam corripere, aut carpere, & quod his affine est, sorbere terram.*

43.

Ma deuorari dicitur, quæ facile & sine molestia sibi.

His addo explicationem aliam, quam persuadeo nemini, sed quæ non nihil habet probabilitatis. Equum sorbendo bibere tradit Aristoteles libr. 8. de animal. capit. 6. eundemque aquam bibere turbidam, id est, terræ confusam, atque permixtam docet idem, eodem lib. c. 8. & c. 24. *Bibunt*, inquit, *aquas libentius turbidas, quod si clara est, inturbant eam vngulis suis.* Sorbere autem aquam altius demerso capite, ex quo necesse est plus hauriat terræ, docet Plinius feruidioris ingenij signum esse libr. 8. cap. 42. *Qua quis*, inquit, *acrior, eo profundius naves mergit.* Fortasse vt magis fumantes naves, & ardentes refrigeret. Hoc autem videtur idem; aut perinde esse, ac sorbere terram.

44.

Equus aqua bibit turbidam.

Nec reputat tuba sonare clangorè. Si de equorum ardore, quo impatiens moræ, dum gestit ad cursum, seu in aciem erumpere, feruet, & fremit, quod proximè præcedit, intelligas, non est huius loci explicatio difficilis. Fert etenim ipsa rerum natura, vt quæ maximè cupimus, si paululum differantur, ad futura nunquam existimemus, idque non obscure significatur. Hinc illorum, qui aliquid amant, si quicquam intercedat moræ, desperatio. Hinc dies pro annis, imò & pro sæculis computari. Sic cum carceribus cohibetur equus, & exilire desiderat, neque facultas datur, donec insonet tuba, prænimio studio non putat futurum, vt aliquando clangente tuba sibi liceat in apertum erum-

pere. At si de equorum velocitate sermo sit, quod placebat magis, sensus erit, non impediri, aut retardari cursum velocitatem, etiam si contra ster multitudinis aspectus, armorum strepitus, & lituorum clangor, qui aliis magno esse solet impedimento.

45.

Vers. 25. *Vbi audierit buccinam, dicit vab.* Vab interiectio est, quæ gaudium significat immoderatum, & subitum, cum videlicet aliquis de voto diu suspensio, & tandè completo sibi gratulatur. Aut certè pro votis aliquid accidit opportunum maximè. Pro huiusmodi voce, aut aliis similibus, quibus homines de sua sibi fortuna gratulatur, quales sunt, *ò factum bene. Quis me fortunatior euge*, ecquis est hinnitus hilarior, & productior. Talem edit, cum audit resonantem tubam, cuius tantopere clangorem expebat.

46.

Procul odoratur bellum. Sicut animalia plurima, qualia fuerunt illa de quibus supra capit. 37. vers. 8. futuras temporum mutationes multo antè præfagiunt, sibi que ab illis maturè cauent: sic equi procul odorantur bellum, quod videntur appetere, & se ad illud multo antè disponere: non aliter, atque milites, & inferiores ordines, qui non solū arma comparant, quibus aduersarium oppugnēt, sed etiam aninos, vt ita imperatori pareant, ne vnquam ab eius præscripto, & tradita sibi statione recedant. Idè etiam videtur expectare equus; quod si non planè docet, obscure tamen indicat, quod statim subditur, *exhortationem ducum*: sed reuera exhortatio ducum, & vlulatus exercitus, est odor pugnae, quem multo antè pugnam præsentit equus, ex quo præfagit pugnam, quam proximè indicit lituorum clangor. Quasi dicat, exultat equus vehementer, cum audit clangentem tubam, & bellum iamiam adesse; licet multo antè præsentiat futurum, cum voces audit exhortatorias ducum, & tumultuantem exercitum. Quanta sit equorum intelligentia, quam acris rerum cognitio, docet Plinius libr. 8. c. 42. vbi plurima, eaque scitu digna producit exempla.

D

Vers. 26. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad Austrum.* De accipitre nihil ferme habemus, nisi quod hoc loco Scriptura prodit; & quod in huius loci explicatione, aut inuenerunt, aut excogitauerunt interpretes. De veritate licet Scriptores alij sileant, dubitare non licet: neque obscura est, aut dubia sententia. Hebræorum aliqui verbum *אָבֵר* *iaaber*, quod *plumascet* reddidit Vulgatus, conuerterunt *volabit*. Neque tunc de sensu dubitaret quispiam, quis enim non vidit volattem accipitrem? Sed quando à Vulgati sententia recedendum non est, de plumarum instructu nouarum, aut veterum renouatione hæc intelligamus necesse est. Et primū statuum sermonem non esse de plumatione, quæ pullos instruit, quādo ab eo ornato nudi cōtinebantur in nidis; tunc enim, vt plumescerent, nullas habuerunt alas, quas ad Austrum expanderent, nisi brachiola pro pennis sumas; quod apparet durum. Est ergo sermo de alarū renouatione, quando auis hæc iam senior excutit antiquas pennas, vt induat nouas, quemadmodum serpens senectam exuit, & iuuentutem induit, id est, iuuenilem ostentat speciem. Quo verò id modo faciat, docuit Gregorius, à quo sum

47.

Accipiter quomodo nouas assumat plumas.

sumpserunt alij non pauci. *Quod per annos singulos, inquit, pennam veterem accipiter noua nascente proniciat, ac sine intermissione plumescat, nullus ignorat. Non autem hic pluma tempus dicitur, quomodo nido vestitur, quia tunc pullus ad Austrum pennas extendere non valet: sed illa annua pluma describitur, quae laxata veteri penna, renouatur. Et quidem domesticis accipitribus quo melius plumescere debeant, humida, ac tepentia loca requirunt: agrestibus vero moris est, ut flante Austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam venti tepore coalescant. Cum vero ventus deest, alis contraradios solis expansis, atque percussis tepentem sibi auram faciunt, sicque capto tepore apertis poris vel veteres exiliunt, vel noua succrescunt.* Hæc Gregorius. Hæc aut similia tradunt alij de auibus aliis rapacibus, & carniuoris, de quorum genere est accipiter. Vnde non male aliqui coniectant, exempli gratia pro omnibus accipitrem esse propositum. Alianus lib. 2. cap. 46. vulturum, cum in eo genere masculinus sexus non sit, ait illam à vento Austro concipere, & ideo contra Austrum volare, & ab eo grauidatum augeri sobole. De aquila plura sunt testimonia, quæ docent singulari quodam artificio illam iuuenescere defluentibus pennis cariosis, & vietis, & statim pullulantibus nouis, de qua renouatione multa Patres ad illud Psalm. 102. *Renouabitur, ut aquila, iuuentus tua.* vide quid nos ad illud Isai. c. 40. *Assument penas sicut aquila.* Hoc autem præclarum est diuinæ providentiæ documentum, quod neque in humanam cogitationem videretur potuisse cadere.

48.
Aquila pro-
prietarios.

Verf. 27. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum.* In eodem genere rapacium volucrum exemplum aliud profert diuinæ solertiæ; quæ aquilarum generi illam indidit naturam, ut alta peteret: Neque tamen quæ longè distaret præda in depressis terræ locis, aquilinos lateret oculos, aut vngues effugeret. Quod dum facit aquila, diuino non humano obsequitur imperio, à quo id accepit, ut inclinationem habeat, & impetum ad ardua; & non nisi in præruptis, atque inaccessis scopulis nidificet. Quod in nobilissimo aquilarum genere videmus. Neque enim omnes quæ vocantur aquilæ, aut ea sunt velocitate, ac robore, ut nubes tranent, & vsque ad ætheream regionem attollantur, & in excelsis nidulentur rupibus; neque vsque ad eò perspiciacem habent oculorum aciem, ut quàm longissimè posita manifestè discernant. Sanè Plinius lib. 10. cap. 3. & Aristot. de animal. lib. 9. capit. 32. cum multa numerassent aquilarum genera, illorum aliqua dicunt habitare in locis planis, atque palustribus, cur verò nobile illud aquilarum genus loca elegerit excelsa, atque prærupta, multa dicunt interpretes. Sed illud præcipuè, ut pullos seculos habeat à serpentum allapsu, qui aquilino generi hostes sunt admodum infensi. vide Aristotelem loco nuper citato.

49.

Verf. 29. *Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.* Hæc est earum rationum non minima, propter quam Deus illam indidit aquilarum generi propensionem, ut rupes amarent, & sublimia montium, inaccessaque fastigia, ut inde spectarent prædam, quam perspicacibus oculis, & locis etiam procul distitis intæentur. De aquilarum oculis multa dicuntur:

A Sed illud admirabile, quod ex nubibus, aut ex scopulorum culmine pisces vident, qui vel in mari, vel in flumine natant; de quibus Isidorus lib. 12. Etymol. cap. 7. *Tanti, inquit, contutus esse dicitur, ut cum super maria immobili penna feratur, neque humanis pateat obrutibus, de tanta sublimitate pisciculos natantem videat, ac vormenti instar descendens raptam prædam pennis ad litus pertrahat.*

Aquila per-
spiciet oculos.

Verf. 30. *Pulli eius lambent sanguinem.* Sunt qui putant aquilis aquam non esse potum, sed prædarum sanguinè. Ita Suidas citatus ab Hildebrando, & Oppianus in ixeuticis. Quod ita certum putabat Aristoteles, ut libr. 8. de hist. animal. capit. 18. Hesiodum reprehendat, quòd bibentem aquilam aliquando fecerit: vbi dicit auem nullam bibere, quæ curuos habeat vngues. quod item affirmat Ælianus lib. 4. cap. 19. Loco itaque aquæ sanguinem exungunt, aut forbillant, ut docet Oppianus supra, & Ælianus, ut citatur ab aliis, quod tamen ego non inuenio. Sed utcumque sit, aquilarum pulli, dum in nido morantur, neque apras habent pennas ad volandum, aquam bibere non possunt, cum neque illius possint habere copiam. Quare illis à parentibus ad potum adducitur sanguis: aut quem exprimant ab animali viuento, ut putant S. Thomas, & Dionysius, aut quod exuctum, orèque exhaustum suo in os pullorum parentes euomunt, ut dicit Hildebrandus libr. 1. cap. de incubatu, aut quem ex femore suo rostri aduncitate, & saucio pullis exorbendum propinant, quod citatur ex Æliano in accessione Gyllij.

50.
Aquilarum
potus san-
guis est.

Et ubicumque cadauer fuerit, statim aduolat.] Insuper in præruptis silicibus aquila, vnde procul speculari, sicubi appareat præda, qua & suam, & filiorum famem expleat. Neque tantum sibi ex quadrupedibus, atque volucris cibum parat, sed etià è piscibus, ut paulò antè ex Isidoro dicebamus, imò ex draconibus, quos verè odio insectatur hostili. Ab hac draconum, & aquilarum pugna multæ à poetis ducuntur similitudines. Vide Ciceronem libr. 2. de diuinatione. Virgil. libr. 11. Æneid. Homer. libr. 12. Iliad. vbi eleganter draconis, & aquilæ describitur pugna. Addit autem Ælianus libr. 2. cap. 26. draconem cum primùm alarum aquilæ crepitum audierit, abdere se in latebras, ut ibi sui tam horribili inimico potestatem eripiat. Aduolat autem ad cadauer, quod intelligendum putant aliqui de aliquo aquilarum genere, quod cadaueribus vulturinum in modum pascitur: nam de aquilis alij communiter negant; quia ab aliena præda aquilam abstinere dicunt: & multo magis à cadauere ferenti, & putrido. Ego non ita suo honori studere aquilam existimo, ut si quando electi, recentes, & proprii non suppetant sibi perire velit fame.

51.
Aquila dra-
conibus in-
fensa.

D Quod putant S. Thomas, & Lyra: maximè cum Christus docere videatur contrarium Matth. 24. verf. 28. *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Vbi hoc communiter sentiunt interpretes. Quod videtur apud Hebræos locum obtinuisse prouerbij: & quidem locus prouerbio videtur maximè idoneus.

Aquilarum
quis cibis.

E Ego hæc potius de pullis aquilarum accipio, quos matres prius molli alunt, atque recenti cibo, qui tamen postea astueti carnibus, eò conuolant, vbi cadauer viderint, ex quo rabidam

52.

bidam expleant famem, cum parentes, utpote iam instructos alarum adminiculo, in nido otiosos, & desides sustentare nolunt. Ita putat Chrysostomus in locum nuper adductum ex Matthæo; licet tam hinc, quam in Matth. vulturem magis intelligat, quam aquilam. Sed fauet nostræ cogitationi, dum apud Matthæum homil. 40. hunc Iobi locum adducit, & in eo non vultures, sed vulturinos intelligit pullos. *Devulturibus, inquit, dicit Scriptura in Iob, quoniam vulturumque fuerit corpus, ibi inuenientur vulturum pulli.* Quod autem, cum primum volandi facultas aquilarum pullis cum penis aduenerit, illos parentes expellant è nido, suasque res curare iubeant, tradit Aristoteles lib. 9. histor. cap. 32. tunc autem pulli assueti prius sanguini, mollioribusque cibis: Deinde iam grandiusculi mortuo corpori. & ex angui siue leporis, siue agni, aut etiam draconis, ubi à parentibus pelluntur è nidis, talia meditantur, captantque, qualia ipsos suo docuerunt exemplo patres, & qualia teneriori, & infirmiori ætati suppeditarunt alimenta. Sic in hoc statu ac tempore de aquilino pullo cecinit Horatius libr. 4. Ode 14. qui expulsus è nido

--- Mox in ouilia
Demisit hostem viuendus impetus;
Nunc in relictas dracones
Egit amor dapis, atque pugna.

53. *Plurimum confort prima filiorum institutio.* Hoc idem optimè Iuuenalis satyra 14. docet, ubi ait omnium generum animantium solent illos amare, atque captare cibos, qui ipsorum fauces primum imbuerunt. Quæ verba hinc libenter repetam, quia optimè docent quanti momenti sit ad formandos filiorum mores, instillata in ætate prima disciplina parentum.

--- Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem sumptis quarunt animalia pennis.
Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascens propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famula Iouis, & generosa
In saltu venantur aues: tunc præda cubili
Ponitur. Inde autem cum se matura leuauit
Progenies, stimulantæ fame, festinat ad illam
Quam primum rupto prædam gustauerit ouo.

54. *Verf. 31. Et adiecit Dominus & locutus est ad Iob.* Postquam Deus ignorantiam conuicit Iobum, & suam ostendit sapientiam singularem, & in vniuersi administratione prouidentiam, & admirabile consilium, neque interrogatus responderet Iobus (nam, ut vides, interrogando Deus illum vrgebat) addidit aliquid non tam ut nouam aliquam adduceret rationem, quam ut illum sermonis non adeo considerati, & nunc silentij, cum argumentandi modus responsonem exigebat, argueret.

55. *Verf. 32. Numquid, qui contendit cum Deo, tam facile conuiescit, utique qui arguit Deum, debet respondere ei.* Qui magnum habet antagonistam, omnem adhibere debet contentionem, & studium, ne succumbat, cum res agitur læcertis, & ferro, omnes intenduntur corporis nerui, & instrumentum omne bellicum ad victoriam idoneum: cum verò rationibus agitur, & summa iudicia exagitantur iure, silere turpe est, & qui in eo congeffu silet, apertè fatetur se nihil habere quod obiciat, aut quod vtiliter

A ad obiecta respondeat. Ex hac pugnantium, aut altercantium consuetudine dicit Dominus Iobo, silere non debere eum, qui cum Deo acerri- mo videlicet aduersario, contendit, & illum, qui tantum sibi iuris assumpsit, & audaciæ, ut Deum aut incogitantiam inhumilet, aut iniustitiæ, rationem reddere oportere, cur hæc audeat, aut quid se ea certaminis, aut iudicij forma obtinere confidat.

56. *Verf. 33. Respondens autem Iob.* Inurbanus videretur Iobus, si iussus imperio Dei humanissimo respondere, recusatet tamen, quia in eo rerum articulo silentium, si ex humanis fas est coniecturam facere, animi est aut indignati, aut contemnentis, aut fastidientis alium. Quare respondit Iobus, sed ea humilitate, atque molestia, ut neque egisse videretur inurbanè, neque se ab obiecta dicendi libertate, aut inconsideratione defenderit.

57. *Verf. 34. Qui leuiter locutus sum respondere quid possum: manum meam ponam super os meum.* Cum Deo tunc legitime, fortiterque pugnamus, cum nostra humiliter errata confitemur, & nostram coram illo vilitatem agnoscimus. Hebraicus textus sic habet; *Contemptibilis ego sum.* Septuaginta; *Cum nihil ego sim.* Quia nihil magis lenit Deum aut aduersarium, aut iudicem, quam cum coram tanta maiestate prosternimus supplices: & humiliter de nostra conditione, & vitæ indignitate sentimus. Sic Abrahamus Genes. cap. 18. se coram Deo cinerem, & puluerem appellat. Hoc artificio magnus athleta Iobus cum Deo certare vult: quia scit illius contra spiritum humilem inermem esse manum: & quasi orator egregius id præmittit, quod ad beneuolentiam putat esse grauissimum. Fatetur enim se peccasse, non quidem quod malè vnquam de Deo cogitarit, sed quia urgente dolore, & externo conuicio mihi fuerit consideratè locutus, vnde alij in eam venire cogitationem, ut crederent ipsum, & sensisse de Deo parum pie, & locutum esse nimis arroganter, & temerè. Hoc autem est leuiter loqui, quia dolori in loquendo succubuit, neque omnino ratio linguam in querelas, & gemitus erumpentem moderata est. Quare si quid peccatū est, leuitatis fuit potius in sermone, quam impietatis, & erroris in animo. Ita cum S. Thoma interpretum plerique, qui in Iobo circumspectionem, & moderationem in loquendo, non pietatem in animo, aut obseruantiam requirunt. Quomodo ab illis verbis in quibus peccasse videri potuit, impietas, & scelus abfuerit, suis locis non satis, opinor, diligenter ostendimus. Quomodo digitus, aut manus super os, silentium aut indicet, aut significet, diximus suprâ c. 21. v. 5. ad illud; *Et superponite digitum ori vestro.*

58. *Caietanus asserit in Hebræo esse in præterito posui non in futuro ponam.* quod verè dixit, est enim *נשואי סמתי*, & putat hunc esse sensum, *manum meam posui ad os meum.* id est, peccatum sermonis mei agnoui, & accusaui. Sicut enim qui manu percutit pectus, cordis sui confitetur peccatum, & illud execratur, sic qui manu comprimit os suum, peccatum dicit esse in ore, & à corde abesse quàm longissimè. Ego, si ita legerem, aliter interpretarer, quasi Iobus ignorationis suæ conscius, & dolens, quod minus locutus esset circumspectè, statuerit non iam amplius sibi esse loquendum, nisi consideratè;

Apertum lin-
gua immo-
derata sup-
plicium.

rate, quia peccatum his, qui recte sapiunt, omne n eripit loquendi facultatem. Et qui lingua peccauerunt, aut multum, aut immoderate loquendo, illud sibi supplicium indicunt, vt non nisi parce, & moderate loquantur; quod supplicij genus *linguarium* appellant: & quidem peccatum ipsam, & de peccato conceptus pudor elingues reddit homines, iuxta illud psal- mi 106. vers. 42. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.*

59.

Verf. 35. *Vnum locutus sum, quod vitinam non dixissem: & alterum, quibus ultra non addam.* Vellet Iobus, si fieri posset, indictum esse, quod dixerat: quod cum fieri non possit, dictum esse dolet, & quoad fieri potest, verbum reuocat: damnat autem duo, in quibus excessisse videtur modestiam: alterum quod velle se dixerat legitimum cum Deo conferre iudicium, & cum eo contendere quasi nimium in sue cause equitate consideret. Alterum, quod grauius se punitum esse dixerit, quam suorum peccatorum explorata grauitas exigeret. In quibus aut nullum esse, aut non nisi leuissimum peccatum ostendimus; vbi lingue fuit non animi peccatum, vt suis locis ostendimus, Nam quod amici obiiciebant Deum a Iobo iniustum appellari, & eundem rerum humanarum depouisse memoriam, & similia, id

A Iobus non curat, quia nulla illum de hac impietate, atque blasphemia conscientia sollicitat. Quod tamen leuiter locutus fuerit vnde mala de Iobo sentiendi occasionem arripere magis, quam oblatam acceperunt amici, dolet primum, promittitque deinceps curaturum se in posterum ne ad eundem lapidem sapius offendar.

Hic ad extremum obseruo, non omnia, quae dicunt prophetae, spiritu fundere prophético, sed interdum suo duci, imò abduci spiritu. Vnde nonnunquam reprehenduntur a Deo, quod aliquid fecerint, dixerintque, & minus sanctè & non valde attemperate ad rem. Exemplo esse poterit Ionas, in cuius verbis multa sunt quae a diuino, atque prophético afflatu recesserunt. Neque pauca sunt in aliis, quae ex affectu humano potius, quam a prophético prodierunt, quae ipsi damnantur postea, & de quibus ignosci sibi a Deo petierunt. vide S. Thomam 2. 2. q. 171. art. 5. Gregorium homil. 1. in Ezechielem. Sic ergo Iobus cum propheta fuerit, vt supra a nobis demonstratum est: multa tamen suo sensu, ac spiritu locutus est; e quorum numero sunt illa, quae reprehendit Dominus, & quae ipse illustratus a Domino condemnat, a quibus in posterum sibi cauendum esse dicit.

60.
Propheta nō
semper spiri-
tu loquitur
prophético.

ARGUMENTVM CAP. XL.

TERTIVM Iobum Deus ad respondendum lacessit, & primum queritur, quod dum suam innocentiam tueri vult, diuinum nomen aliis reddat odiosum? Actandem docet, qualem debeat sapientiam, & virtutem habere ille, qui cum Deo voluerit inire certamen, & legitimum adire iudicium, quae abesse procul a Iobo tum aliis docet, quae Deus operatur, quae nulla possit mortalium prestare facultas, tum explicatius in domando, ac subiugando Behemoth, cuius naturam eleganter explicat. Deinde in marino monstro Leviathan, de quo deinceps multo plura: quae duae ingentes, ac truculenta belluæ domari a Deo facile, ab homine verò nulla ratione possunt.

CAPVT XL.

A PARAPHRASIS.

1. **R**espondens autem Dominus Iob de turbine dixit:

2. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.

3. Numquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, vt tu iustificeris?

4. Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?

5. Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.

6. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

1. 2. *Locutus est rursus Dominus ad Iobum de turbine in hunc modum; Accinge te, & virum te presta. Audi quod abs te rogem, & quid sentias, ac cogites praesenti indica*

3. *Numquid vt tuam iustitiam, atque innocentiam probes, meum improbabis iudicium? & illud iniquum esse dices, & eo me nomine condemnandum putabis?*

4. 5. 6. *Ille solus potest cum Deo de iustitia potentique virtute contendere, qui equalem cum illo potentiam, & brachium habet. Quod cum, o Iobe, tu non habeas, nihil contra illum moliri potes, aut tuam aduersus illum iustitiam tueri. Tunc autem in iudicio priores partes tibi concedam, & triumphali more efferris gloriosè patiar, & pretiosis indutum ornamentis in altum attolli, cum eadem in tonando, & fulminando contentione adhibeas. Cum superbos spiritus in tuo furore dispergas, & deprimas, & eorum potentiam, quam ipsi tanti faciunt,*

7. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.

8. Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam:

9. Et ego confitebor quòd saluare te possit dextera tua.

10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comeder:

11. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius.

12. Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt.

13. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum applicabit gladium eius.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes bestię agri ludent ibi.

16. Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.

17. Protegunt umbræ umbram eius, circumdabunt eum salices torrentis.

18. Ecce, absorbebit fluium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.

19. In oculis eius quasi homo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.

20. An extrahere poteris Leuiathan

A & amant, inanem esse, ac futilem ostendas.

7. 8. 9. Tunc te aliquid ostendes habere diuinum, si quotquot in vniuerso superbo sunt animo, solo tantum oculorum coniectu confundas, & deprimas: & impios in eodem loco, in quo immoderatè superbiunt, & exultant, extinguas, & in sepulcrum, & foueam tanquam ignobilis turba illorum cadauera ignominiosè conicias. Hæc ego nullo obnitente, ac retardante facio. Quod si tu, ô Iobe, prestare potueris, tunc tibi in tua causa disceptanda victoriam concedam, & te innocentem iniquo iudicio damnatum esse confitebor.

10. 11. 12. Accipe alia in quibus & Dei sapientiam, & tuam ipsius ignorantiam, & infirmitatem agnosces. Intuere iam taurum domesticum, nempe animal, qui ideo creatus est, ut tecum simul habitet, qui fœno pascitur, cuius est fortitudo, firmitasque mirabilis. Nam quod ad admissuram virtutemque genitalem pertinet, instructus est à natura potentissimè; habet enim neruum adiunctum umbilico, (qui ideo umbilicus appellatur, quòd etiam dicitur cauda) adeò rigentem, & firmum, ut è materia cedrina dolatus esse videatur; porro Didymi perplexo teguntur, atque firmantur neruorum inuolucro.

13. 14. Ossa illius quia firmissima sunt, atque pertusa, æreis fistulis quàm simillima sunt. Et cartilago, quæ extensa est, neque vlla ex parte perforata, ferrea lamina similitudinem refert. Hoc porro animal ex terrestribus propter magnitudinem, & speciem variòsque vsus, quos hominibus affert, præcipuum est: quod licet sit fortissimum, habet tamen Deus paratum gladium, quo illud exagitet ac perimat.

15. 16. 17. Hic montana pabula latè, & quasi aliorum princeps cum imperio pascitur, qui vsque adeò belluas alias, quibus nimirum fœnum pabulum est, non timet, ut illarum vim atque conatum ludum, & iocum esse putet. Cùmque in montibus vegetetur, pascaturque frequentius, regionem tamen adit littoralem, aut palustrem, ibique sub caricum calamorumve umbra somnos capit quietos, & longos. Opacant illius cubile, & vndique circumdant salices, quæ in humenti, atque palustri solo plerumque nascuntur.

18. 19. Exhaustet ille potando riuos, quæ est ingluuic. Neque hoc magnum aliquid esse arbitrabitur, cùm ipsum quoque Iordanem absorbere se speret, & audeat. Huic tamen præferoci, atque intractabili belluæ, ipsa spectante perforatis naribus circulum infiget aut hamum, trahetque Deus quamcumque in partem velit, licet reluctantem, & inuitam.

20. 21. Dixi de terrestri belluæ, nunc dicam simile

hamo, & fune ligabis linguam eius?

21. Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?

22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?

24. Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?

25. Concident eum amici, diuident illum negotiatores?

26. Numquid implebis fagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius?

27. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui.

28. Ecce, spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

A simile aliquid de marina, in quam non plus habet potentia mortalium infirmitas. An sicut alios pisciculos, piscari poteris Leuiathã, ac immane cetũ, & infixio illius lingue, ac faucibus hamo ad littus extrahere? An perforato naso, maxillisve circulum infiges, & ad tuos usus condocefactum aratrum aut plaustrum trahere compellas?

B 22. 23. Numquid eò adiges prostratum iam marinum hoc monstrum vt despondeat animum, & nihil in suis viribus putet esse subsidij, & ad supplices preces, quod hostes faciunt superati confugiant? numquid ad eam conditionem adduces, vt vitam, quam iure victoria iam victus amiserat, cum æterna seruitute commutet.

C 24. 25. 26. Numquid cum illo quasi cum auicula ludas, efficiēsve vt mansuefactus tibi molliorem aliquam afferat voluptatem? aut alligatum fune imbelli ancillarum gregi illudendum trades? non illam tibi commoditatem afferet, quam habet maximum piscatio, nempe, vt captum concidas, & ex illo amicis conuiuium appares, aut negotiatoribus tradas, qui distrahendis duratis sale carnibus aliquid inde comportent lucri. Quomodo enim tam vastam molem, quam cingit, & continet pellis, capiet rete: aut nassa illius concludet prodigiosum caput: atque ideo quo illum artificio piscaberis?

27. 28. Si in Leuiathan manum velis iniicere, sic in illo piscatorio conflictu afficiēris durè, vt illius belli semper memineris? neque addes ultra de eadem re cogitare, ac loqui. Ille enim piscator, qui de imo gurgite extrahere voluerit Leuiathan, cadet ignominiosè de sua expectatione & videntibus omnibus honoris, & vitæ dispendium subibit.

Verf. I. Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.]

1. **N**ON descenderat de turbine Deus, unde quasi de suggestu Iobum interrogat. Et de eodem loco alia rursus interrogat, quæ magis ipsum in eo sensu, ac mente confirmant, quam à recenti domini doctrina, aut reprehensione conceperat.

Verf. 2. *Accinge sicut vir lumbos tuos.*] Hic versus expositus est cap. 38. v. 2. neque aliud succurrit, quod addamus.

2. Verf. 3. *Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt iustificeris?*] Videri potest Iobus explicuisse proximè, quæ sint illa duo, quæ locutus est leuiter, & quæ dixisse nollet; quod facit verisimile Dei ad illa verba accommodata responsio. Sic enim locutus est antea Iobus, vt videretur his, qui loquenti aderant, condemnare dominum, quòd acerbius puniret, quam pro mensura scelerum, & quod in ipso fecisset, iudicium solueret, aut irritum ostenderet, quia minùs iustum, neque de prodenda diuina iustitia dubitaret, dum suam assereret, & vindicaret à culpa & ab iniqua suspitione ligasp. Sancti] Comment. in Iob.

A beraret. Hoc itaque iam clariùs reprehendit, ac propius. Hactenus enim tantum ostendit curare se omnia prouidentia singulari, neque in rerum creatione, ac conseruatione virtutem, atque solertiam defuisse, & hæc omnia à Iobo, & ab humana natura procul abesse. Nunc ita idem persequitur argumentum, vt Iobi in loquendo reprehendat audaciam: & quàm procul absit à diuina siue sapientia, siue virtute, vt ea comparatione abiiciat magis insolentes spiritus, si quos habet, & verè de sua tenuitate, ac vilitate sentiat.

3. Verf. 4. *Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas.*] Omnia ad versum 4. eò spectant, vt probent causam Iobi aduersus Deum nullo modo videri posse iustam, qualem Iobus videtur probare voluisse. Totam verò ratiocinationem sic instituo. Ille solus poterit cum Deo de iustitia, aut de potenti virtute contendere, qui paria Deo possit, hoc non potest Iobus, ergo hic non potest certare cum Deo, neque suam aduersus illum innocentiam, seu iustitiam tueri.

Hæc mihi videtur verior explicatio, & expedita magis. Alij alias adducunt, quas ego prudens prætereo, ne longior sim. Tantum adducam eam, quam iuxta Septuaginta translatione Græci probarunt Patres in Catena. Cum enim versum 3. sic conuertissent Septuaginta; *Ne repellas iudicium meum. Putas autem me aliter tibi respondisse, quam ut appareas iustus.* Sic hunc locum explicuerunt Græci patres Chrysostomus, Nyllenus, & Origenes, ut Deus & permiserit prius tam Iobum lauciari duriter, ut nota fieret omnibus eximia Iobus virtus; & quæ aliter premeretur in tenebris euocaretur in lucem, & omnibus esset singularis patientiæ propositum exemplum. Consentaneè ad hæc quartum etiã versum interpretantur; quem sic reddidere Septuaginta; *Numquid brachium tibi est contra Dominum, aut voce contra eum tonas?* Quæ sic exponit Chrysostomus, ut Dominus non lauciat Iobum, quasi cum illo vellet habere certamen, cum omnipotens virtus cum exili, ac futili hominum potentia honestè congruere non possit; sed ut inde diuinam potentiam plenius agnosceret. Origenes vocari putat Iobum, ad lauream, & fortitudinis gloriam, & ideo iubet statim splendorem, & dignitatem induat. Hæc iuxta Septuaginta, quæ cum antecedentibus, & consequentibus aut pullo modo, aut nonnisi difficilè contexi possunt. Sed placet magis explicatio prior, in quam interpretum plerique conspirarunt.

5. Versic. 5. *Circunda tibi decorem, & in sublime erigere? esto gloriosus, & speciosus induere vestibus.* Disceptare cum Deo videtur voluisse Iobus, & in eo congressu ostendere innocentiam suam, atque iustitiam; quod est omnino superiorem in ea disceptatione tenuisse locum. Quod docet Deus tunc superare posse Iobum, cum æquale cum Deo brachium, & potentiam haberet, & quando iudiciali congressu res esset transigenda, simili tonaret voce, ut tonantem, & fulminantem Deum intrepidus audiret; quod certè non posset. Ait ergo Deus tunc Iobum in sua causa triumphaturum, cantaturumque victoriam, cum parem cum Deo potentiam, æquale brachium, & similem in tonando, & fulminando contentionem nactus: (*tonare* autem hoc loco idem esse reor quod agere causas magna contentione, atque ardore dicendi. *Tonare* enim, & *fulminare* dicitur orator, cum magno spiritu, & vocis frementi fonitu anhelat, & bacchatur in causa) triumphantis autem signum est, atque victoris induere decorem, id est, pretiosas, & elegantes vestes, quales decent fortunam lætam, & triumphalem incessum. *Erigi in sublime*, idem est, atque ascendere in triumphalem, & genialem currum, aut in hominum humeros, quibus gestari solent victores, aut qui præclarum aliquid gesserunt à gratulante, seu plaudente turba. Quasi dicat Deus, tunc concessurum se esse Iobus palmam, cum parem nactus fuerit, & in agendo virtutem, & in dicendo facultatem, quam palmam assequetur nunquam cum talem nunquam sit virtutem habiturus. Alia sunt expositiones non pauca, quas prudens omitto, hanc amplector lubens, quia minùs videtur impedita.

6. Versic. 6. *Disperge superbos in furore tuo.* Ostendit Deus, quæ in re possit Iobus virtutis

A sua, atque potentia experimentum capere, ac tandem nosse parem cum Deo nactus esse potentiam. Tunc Deus se omnipotentem ostendit, cum omnem potentiam sibi subiectam non obscuro documento declarat, cum arrogantibus deprimit, & qui in sublimi loco suam sibi sedem locasse videbantur, ad infimum usque deturbat. Quod fecit sæpe post ætatem Iob, ut constat ex variis Scripturæ locis; & fecisse antea verisimile est, licet id sacris annalibus proditum non sit: nisi dicamus Gigantes illos, qui Genes. 6. viri vocantur famosi, fuisse superbos, & ideo communi aquarum inundatione fuisse demersos.

7. Versic. 7. *Et contere impios in loco suo.* Non est difficile superbum hominem, atque potentem in loco alieno superare, ac sternere, quia in eo minus habet potentia, minus ad resistendum virtutum. Non fuit opus difficile à iuniore Tobia enecari piscem grandem, & horribilem, à fluminis aluo in arena productum, fuisset opus omnino magnum in suo loco, id est, in iplo fluminis gurgite perimere. Sicut fecit Deus, cuius potentiam eo nomine Psaltes amplificat Psalm. 73. vers. 13. *Contribulasti capita draconis in aquis.* & Ezechiel. cap. 59. vers. 3. *Ecce ego ad te Pharaon Rex Egypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, &c.*

8. Versic. 8. *Abconde eos in pulvere simul, & facies eorum absconde in foueam.* Hoc dicendi modo mors significatur: *pulverem* enim, & *foueam* pro sepulcro sumi, ac *sepulcrum* pro morte nemo nescit. Et hoc potius indicari videtur à Deo: Nisi dicas in *pulvere* & *fouea* extremam hominum conditionem exprimi, aut quia homines cum nullum apparet mortis, aut seruitutis effugium cauernas subeunt, aut foueas in quibus inducto pulvere reguntur, & latent. Quomodo ad euitandum eiusmodi periculum, adhortatus est populum Isaias extrema metuentem cap. 2. vers. 10. *Ingrederere in petram, & abscondere in fissa humo à facie timoris Domini.* Aut quia *sedere in pulvere* eius est, qui arum nosam ducit, & ignobilem vitam. Quod in Scriptura obuium. Sic sanè Hierosolyma sedere dicitur in pulvere, cum vitam ageret extorrem, Thren. cap. 1. sic Babylon sedere iubetur in pulvere, cum illi ignominiosa denunciatur & dira captiuitas. Isai. cap. 47. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon.* Hoc ipsum dixisse videtur Iobus cap. 20. vers. 6. *Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit. Quasi sterquilinum in fine perdetur; & qui eum viderant, dicent, ubi est?* Vtraque expositio facilis, & cum textu satis aptè consentiens, prior displicet minùs.

9. Versic. 9. *Et ego confitebor, quod saluare te possit dextera tua.* Saluare hoc loco iuxta prædicta idem est, atque contra Deum id obtinere, ad quod in iudiciali contentione nitetur, nempe suam innocentiam, atque iustitiam ab omni culpa, imò ab omni culpæ suspitione vindicare. Sed quia hæc Iobus nunquam perficiet, quantumcunque corporis viribus, animique contendat, se ipsum contra nitentem Deo, saluare non poterit, id est, probare iniustum esse Deum, & se prorsus indignum, quem Deus tandiu, & tam vehementer afflixerit.

10. Verſ. 10. *Ecce Behemoth, quem feci, tecum fecum* *quasi* *hos comedit.*] Hunc locum natura ſua difficilem, & impeditum, multis impediunt modis diuerſorum auctorum multiplices ſenſus. multa hinc ſuo more Hebræorum magiſtri, quæ vt ridicula ſunt & ad plauium conficta popularem, ſic etiam à nobis ſuis auctoribus relinquenda, quæ tam illi amant, & commendant. Quidam in *Behemoth*, quæ vox eſt in numero multitudinis, vermes intelligunt, qui Iobi arrodabant carnes, & tanquam agreſtes feræ lacerabant. Quorum meminit Iulianus in Catena, neque tamen nominat. Alij nullum beſtiarum genus deſignari putant, ſed in belluis aduerſarias intelligi poteſtates, aut certè in genere belluas immanes, domitùque difficiles; quod non improbat in Catena Chryſoſtomus. Communiter interpretes in hoc nomine peregrino, quòdque hoc tantum loco reperitur, elephantum agnoſcunt, & in eo Dæmonem allegorico ſenſu. Quod vt verum fateatur, quod ad animantis ſpeciem ſpectat (nam de allegorico ſenſu alia ratio eſt) mihi nunquam probari potuit: neque enim elephanto quicquam illorum, quæ in *Behemoth* à domino numerantur, conuenire poſſunt, quæ in cõmentationis decurſu ſuis locis commodius oftendemus. Priùs autem quàm adducamus noſtram in hac difficultate ſententiam nonnulla præmittemus, quæ aliquid lucis afferant huic loco vehementer obſcuro.

11. Primum eſt, ad hunc locum reſpexiſſe Eſdræ; aut quicumque libri quarti, qui ſub nomine Eſdræ legitur, auctor fuit c. 6. v. 49. *Et tunc* (inquit, nempe quinto die) *conſeruaſti duas animas, nomen vni vocaſti Henoch (hic eſt Behemoth) & nomen ſecundæ vocaſti Leuiathan: & ſeparaſti ea ab alterutro. Non enim poterat ſeptima pars, vbi erat congregata aqua, capere ea. Et dediſti Henoch vnã partem, quæ ſiccata eſt tertio die, vt habitet in ea, vbi ſunt montes mille. Leuiathan autem dediſti ſeptimã partem humida, & ſeruaſti eam vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis.*

12. Behemoth commune nomen.

Secundum, *Behemoth* non ſignificare certum aliquod genus animantium, ſed commune, atque ideo variè à variis, neque à vulgato interprete, eodem ſemper modo conuertitur. In hoc libro *iumentum* reddidit 4. 12. verſ. 7. & cap. 35. verſ. 11. & mille aliis locis *animal*, expers nempe rationis, quod tamen à volatili diſtinguitur. Quare non magis hæc quàm illa animantium genera ſignificat; & per ſynecdochen certæ alicui animalium formæ interdum attribuitur. Sicut Pſal. 49. verſ. 10. Chaldaus tranſtulit *boves*, & Hieronymus *pecudem*, quæ vox domesticum ſignificat animal, ex quo homo varios capit, & neceſſarios uſus.

13. Tertium, hoc nomen eſſe in numero multitudinis, quod docuerunt Septuaginta dum reddunt, *Ecce beſtia*. Quare ſi velis ad aliquam contrahere animantium formam, neceſſe eſt, vt eximiũ aliquod animal intelligas. Nam pluralis numerus cum ſingulari perſona in verbis aut in nominibus cum ſingulari numero coniunctus epitafim habet, id eſt, magnum in ſuo genere eſſe dicit id, quod exprimit eo multitudinis numero. Hanc regulam tradit Pagninus lib. 2. inſtit. c. 4. Aut certè pluralis numerus ſubiectas ſibi partes diſtribuit, & pro aliquo ſingulari ponitur, eorum, quæ in plurali

Behemoth in numero plurali.

Gaſp. Sancti Comment. in Iob.

A numero continentur. Quam item regulam adducit Pagninus lib. 4. inſtit. cap. 15. vt Pſal. 1. *Quod plantatum eſt ſecus riuulos aquarum*, id eſt, ſecus vnum è riuulis. Iudic. 12. verſ. 7. *Sepultus eſt in vrribus*, id eſt, in aliqua vrbiũ.

Ex his habemus è duobus alterum: aut magnum hoc loco ſignificari animal, aut certè ſignificati ex animalibus vnum aliquod, quod poſtea per partes ſingulas certo aliquo ſigno demonſtratas latè, & manifeſtè deſcribit, & hoc potius. Quare ſenſus erit; *Ecce ex animantibus illud quod feci tecum, &c.* Hoc ſenſu ponitur hoc eodem libro vox eadem *Behemoth*. Nam cap. 11. v. 7. vbi Vulgatus; *Interroga iumenta, & docebunt te*, Hebr. *Interroga Behemoth, & docebit te.*

B His vtcumque poſitis, dico videri mihi veriſimile, deſcribi hic aliquid aliud ab elephantò, quod tunc conſtabit, cum ventum erit ad illa, quæ naturam, & proprietates explicant illius animantis, de quo nunc ſermo, quarum plurimæ nequaquam conuenire poſſunt in elephantis naturam, & ingenium.

14.

C Dico ſecundò, videri mihi admodum probabile his verbis non aliam quàm tauri naturam, & ingenium deſcribi, quod ex antiquis docuerunt Hebræorum magiſtri, vt referunt Albertus & Dionyſius, qui ingentis magnitudinis bouem eſſe dicunt, & Chaldaus in Pſal. 49. verſ. 10. *bouem* item reddidit. Hoc autem textus ipſe facit aperte meo iudicio probat, quia ea tradit de illa bellua, cuius in hoc capite natura deſcribitur, vt nihil non in illam aptiſimè conueniat; & quædam, eaque non pauca, quæ in elephantò non facile deprehendas. Illa igitur nos perfequamur, & paulò diligentius exploremus.

15.

Behemoth videtur eſſe taurus.

Verſ. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.*] Frequentes alij ideo ſimul cum Iobo factum eſſe dicunt *Behemoth*, quia eodem quo primus homo, creatus eſt die, nempe ſexto. vbi enim Gen. 1. v. 24. ſcribitur; *Producat terra iumenta*, Hebr. *eſt behemah*. Quæ ratio parum videtur habere firmitatis, cum animalia omnia, quæ reptant, aut gradiuntur in terra, eodem cum homine die creata fuerint, neque quòd homini in ſuo genere cõtemporanea fuerint, quicquam ad propoſitam quæſtionem facere videantur. Illud mihi magis videtur ſolutum & facile, cum homine factum eſſe *Behemoth*, quia creatum eſt illud animal, non vt ſolitarium habitaret in montibus, neque hominum ſeruiret uſibus, ſed vt inter homines ageret, & vaccas redderet fœcundas; ex quibus homo quotidianas capit vtilitates. Neque hoc parum facit ad explicandam, & augendam hominis infirmitatem, cum domare non poſſit belluam illam quam habet ſibi familiarem, quam quotidie videt, & ex cuius admiſſaria opera vaccarum habet vtiliſſimam ſobolem. Porro hinc taurum intelligo iam robuſtum, & grandem, qui ſuperbus eſt, qui dominatur in gregibus: non vitulum, qui emasculari poteſt, & cicurari, atque aſſueſcieri iugo, & plauſtro: nã execti in eo genere mares, qui communi iam hominũ acceptione dicuntur boues, ſeruunt homini, & trahunt aratrum, & ceruicem longo uſu peruſtam, & ſanciam iterum & ſæpius iugo ſubmittunt. Elephante non eſt natus cum homine; quia inter homines non habitat, imò rarò viſus in ea faltem regione,

16.

Behemoth cur dicatur creatus cum Iobo.

vbi agebat Iobus, neque illius nomen in Scriptura sacra ad tempus vsque Machabæorum vnquam auditum, nisi cum illorum dentes è transmarinis, aut certè quàm longissimè distitis regionibus dicuntur aduecti. Quare non videtur Iobus, neque qui Idumæam regionem incoluerunt, Elephantum vidisse.

17. *Fœnum quasi bos comedit.*] Illud quasi, vt aliis sæpe locis, non similitudinem significat, sed veritatem, vt Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Et 1. Petri 2. *sive Regi quasi præexcellenti.* Quare sensus est, bonum, aut taurum iuxta naturam suam fœnum comedere. Hoc porrò pabulum sic erat bobus familiare, ac notum, vt ab eo sciretur similitudo. Quare Dan. cap. 4. & 5. Nabuchodonosor fœnum, sicut bos comedisit dicitur.

18. *Facultas generandi robur vocata.* Versic. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris est.*] Hic interpretum plerique quàm verissimè cogitant sermonem esse, aut de belluæ ardentissima libidine, aut de generandi facultate. Neque nomen fortitudinis, aut, virtutis parum fauet huic cogitationi: vis enim fœcunditatis, & feminis in viro fortitudo dicitur, & virtus. Sic Iacob sub hoc ipsum tempus Genes. 49. vers. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea:* dicitur autem fortitudo patris, quia in ipso apparuit virile robur patris. Illud autem, quod statim sequitur, *principium doloris mei,* alij sic vertunt ex Hebræo; *Principium roboris mei.* Chaldæus; *Principium feminis mei.* Hæc autem fortitudo, aut facultas virilis, est primùm in femine, quod è lumbis defluit, quia in illis primùm elaboratur; vnde ad generationis organa, aut exprimitur, aut elabitur. Deinde verò in umbilico, id est, in ea ventris parte, vbi in aliis animalibus umbilici sedes est, id est, in medio ventris. In eo autem loco tauris genitalis prominet neruus; quod præcipuum in maribus est generationis organum. Quare hic nihil agi puto de fœminis; quibus in umbilico dicitur esse luxuries, sed de illa corporis parte, ad quã ad extremum ex renibus defluit, & effunditur seminalis humor. Ad hanc autem cogitationem non parum facit, quod in omni ferme idiomate modestiæ gratia à re proxima, quæ obscura sunt, honestè nominantur. Quare in vtroque sexu impudica membra dicuntur *inguina*, quia inguinibus vicina: item in homine *cauda*, & *penis*: quia proxima sunt caudæ, quæ etiam vocatur penis, & in Scriptura sacra *femur*, vnde de femore Iacob dicuntur egressi filij. horum obuia sunt exempla. Sic ergo quia genitale membrum tauris est adiunctum umbilico, umbilicus dicitur.

19. Hinc etiam constat Behemoth aliquid esse ab Elephante diuersum, cum masculinam illam fortitudinem in umbilico non habeat, id est, in medio ventris, sed vbi equus, aut asinus, inter femina. Quod etiã indicat quod statim additur.

20. Versic. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum.*] Cauda non est quod propriè sonat, pars extrema spinæ, sed per metaphoram id significat honestiori vocabulo, quo mas à fœmina distinguitur. Non autem quasi cedrus dicitur, quia prodigiosa magnitudinis, alioquin neque in Elephantem conueniret, cui exiguum inesse genitale membrum tradit Aristoteles lib. 2. de Histor. animal. c. 1. dicitur verò quasi cedrus

A salax illa cauda, quia sic riget cum in venerem prurit, vt non ex carnea; neruaceaque, sed ex cedrina, cupressinave materia formata videatur. Neque aliud hic adducam, quia ex hac materia emergere studeo, quàm quod Gellius in accessione ad lib. 4. *Aliani prodit c. 38. Taurus,* inquit, *tanto ardore genitalem neruum contendit ad vaccam adiunctus, vt sine motu villo semen emittat. Ac si à muliebri genitali neruus in aliam corporis partem aberrauerit, vaccam rigidissima intentione vulnerat.* Porrò caudam pro obscœna illa corporis parte sumi, Latinis etiam, & Græcis vsitatum est. Latini quidem *penem*, qui propriè caudam valet, ad aliam significationem transtulerunt, sicut & nomen ipsum *caudam*, licet aliquid interdum addant claritatis gratia. Horatius lib. 1. satyra 3. caudam appellauit *salacem*; & iterum lib. 2. satyr. 7. *turgentem.* apud Græcos ad eandam significationem transfertur *βρα*, & *κένος*, quæ caudam significant.

Nerui testicularum eius perplexi sunt.] Hæc satis ostendunt in qua significatione sumenda sit *cauda*, de qua proximè, neque plus addo, quia materia neque grata esse potest scriptori modesto, neque valdè interpretis diligentiam desiderat.

22. Versic. 13. *Ossa eius velut fistula æris, cartilago illius, quasi lamina ferrea.*] Quàm sint dura taurorum ossa, quotidie nos videmus; & idem de cartilagine dicendum, quæ vt Aristoteles docet lib. 3. de Histor. animal. natura eadem qua ossa, constat, & quemadmodum os præcisum nunquam recrescit, ita & cartilago rupta nunquam reparatur. Hoc autem dicit esse discrimen, quod in animalibus terrestribus, quæ animal gignunt & sanguinem habent, cartilago nullo foramine hincit: nec ossum more medullam habet, quæ ossa perforata complet. Ossa igitur, quia perforata, cum æreis comparat fistulis, quas hominum industria pertundit, cartilaginem autem cum ærea lamina, quæ latior est, neque villo foramine patet, ac hiat.

23. Versic. 14. *Ipsè est principium viarum Dei.*] *Principium* id significat, quod maximū est, aut optimum, & præcipuum in aliquo genere. Hoc sanè sensu sumpsit Ecclesiasticus c. 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim, vt patet, non prima sunt, sed præcipua humanæ vitæ subsidia. Et Saul 1. Reg. 15, qui optima de gregibus obtulit Deo; de prædarum initiis sacrificium Deo dicitur immolasse. Iacob. 1. v. 18. homo initium esse traditur creaturæ Dei, non sanè quia primùm conditus à Deo, sed quia dignitate creaturas reliquas antecellat. Taurus autem initium esse dicitur creaturarum nempe rationis expertium; de his enim, vt apparet, præsens est sermo, quia aut præcipuus est inter animantes, aut certè, quia cum præcipuis numerari potest. Video alia animalia, si corporis spectes molem, esse multo maiora; Rhinocerotico dico, & Elephantum. Sed si vsus spectes, & commoditates, quas ex ipso capit humana necessitas, longè vterque inferior tauro. Adde quod Elephantus non erat lobo notus, quare illius hoc tempore nõ videbatur opportuna commemoratio. Quod verò eo tēpore neque notus esset Elephātus, neque aliud tauro maius cognitū esset animalium genus, satis facit illud verisimile quod cum primùm visus est Elephantus, neque illius

Elephantus illius auditum esset nomen, vocari cœpit bos A
cui vocatus Luca seu Lucana. Sic Plinius libr. 8. cap. 6. *Elephantos* Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & *bos Luca.* boues Lucas appellauit, in Lucanis visos, anno urbis quadringentesimo septuagesimo secundo. Quod bellum contigisse traditur longè post solutam captiuitatem Babylonicam. Appellati sunt à Romanis boues, quia nullum ad illud vsque tempus visum fuerat animal boue maius. Ita M. Varro lib. 1. de lingua Latina, vbi causam tradit cur bos Luca dicatur Elephantus, quòd fortitudine, ac ferocitate taurus censeretur, aut omnium maximus, aut cum ferocissimis quibusque formidandus, indicat illud Psal. 21. ver. 13. vbi Dauid hostes fortissimos tauros appellat; *Circudederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* His adde tauri pulcritudinem, à cuius similitudine Iosephi speciem commendauit Moyses Deut. 33. ver. 17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Propter hæc omnia cum respectu ad Iobi tempora, & illius cognitionem, appellari potuit taurus initium viarum Domini, id est, terrestrium animalium præcipuum.

25. *Qui fecit eum applicabit gladium eius.* Cùm taurus fortissimus sit, & quem homo ferro tettare, aut prouocare non audeat, maximè cùm solutus, & liber, & syluis tantùm assuetus in montibus vagatur: quod si tentet, sine magno tamen vitæ periculo non faciet: tamen Deus facile suo conficit gladiò, id est, sua voluntate, aut aliis armis, quibus vbicumque locorū plus satis abundat, quibus ingens illa, & fortissima moles momento temporis exanimata corrui. Non negat Deus taurum confici posse à mortali manu, cùm id sæpe accidere videamus: Sicut etiam Elephantus, aut quæuis alia fera, humana industria capitur, & extinguitur; sed quia id sine magno labore, atque periculo fieri non potest. Quod autem difficile factu est, ex Scripturæ consuetudine perinde habetur, ac si effici non possit. Est autem præter Deum qui fecit illum nullus, qui non sine difficultate ac periculo opus illud suscipiat.

Asilus raris infestissimus. Cùm omnis creatura gladius sit, qui ab omnipotente manu virtute in quodammodo omnipotentem habeat, tamen est quidam gladius, seu stimulus, quo taurum Dominus vehementer exagitat, quem Græci æstrum, Latini asilum vocant, de quo Ieremias cap. 46. ver. 20. *Vitula elegans, atque formosa Aegyptus, stimulator ab Aquilano veniet ei.* & cap. 4. Osee, vbi Vulgatus; *Sicut vacca lasciuientis declinauit Israel, Septuaginta æstri furorem, & stimulum intelligunt.* vbi sic Hieronymus; Pro lasciuiente vacca Septuaginta transtulerunt, quæ æstro, asilòque percussa sit, quem vulgò *tabanum* vocant, de quo & Virgil. in 3. Georg. libro refert,

Cui nomen asilo

*Romanum est, æstrum Graij vertere vocantes,
 Asper acerba sonans, quo tota exterrita syluis
 Diffugiunt armenta, furit mugitibus ather.*

Quàm porrò asilus infestus sit tauro, explicuit Oppianus libr. 2. Halieut. vbi dicit ea rabie agitari boues ab asilo percussos, vt nullus locus illis sit non peruius, vt illam molestiam effugiant. Quare in montes se corripunt, & scopulos, & in ipsam etiam insiliunt mare: neque quicquam magis horrent, quàm quod ab asilo, seu æstro patiuntur,

Verf. 15. *Huic montes herbas ferunt.* Sicut tyranni, ac principes, licet non plus alimenti sumant, aut potus, quàm alij de plebe, dicuntur tamen multa comedere, quia multa possident, quibus & ipsi aluntur, & numerosa familia; (quomodo Isai. cap. 37. ver. 25. *Ego fodi, & bibi aquam: & exiecaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum*) sic etiam montes herbacea pabula alere dicuntur tauris, quia illi aliorum animalium, quæ herba vescuntur, quasi Reges sunt, vt capra, oues, cerui, ibices, quæ subesse videntur taurorum imperio, & ad illorum pertinere familiam. Certè Homerus illum cui traditum est exercitus Græci gubernaculum, cum tauro comparat, qui aut suo generi imperat, aut fortasse aliis quæ carniuora non sunt. Quomodo tauri inter se de imperio certent, & cruentum ideo ineant certamen, expressit optimè Virgil. libr. 12. Aeneid.

Cùm duo conuersis inimica in prælia tauri

Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri.

Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuuenca

Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Et Plinius libr. 8. capit. 45. vidisse se dicit tauros de imperio decertantes. Quare optimè dici possunt montes tauro herbaceum pabulum præbere, quia illo totam taurorum familiam abundè sustentant. Et in hunc sensum videtur explicuisse Chaldaeus illud Psalm. 49. *Quoniam mea sunt omnes fera sylvarum, iumenta in montibus, & boues.* Sic autem hoc loco Chaldaeus; *Quoniam mea sunt animalia syluestria nemorum, & præparavi iustis in horto deliciarum animalia munda, & bouem syluestrem qui pascitur quotidie montes mille.* Sic apud Nebiensem. Et eodem penè modo in Bibliis Regiis, Bouem porrò esse voracissimum nemini dubium est, & dixit optimè Cicero ex Aristotele lib. 5. Tuscul. qui cùm Sardanapali hoc epitaphium adduxisset, quod suo ille tumulo incidi iusserat.

D *Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
 Hausit, at illa iacent multa, & præclara relictæ.*
 Subdit,

Quid aliud in bouis, non in Regis sepulchro incideres?

Omnes bestia agri ludent ibi. Duplex potest ex hoc loco deduci sententia: altera quæ docet ad eò taurum non curare reliquas bestias, nempe quæ herba vescuntur, neque timere, ne ab illis expellatur à pascuis, aut in pascendo turbetur; vt illarum vim, aut conatum, ludum, & iocum esse putet. Altera, eo præsentè, licet vitibus valeat, & aliis appareat formidabilis, nihil tamen alias bestias sibi timere, cùm scenum taurus comedat, non vescatur carnis. Quare licet simul cum ipso pascantur in montibus, nihil sibi metunt periculi, imò cum ipso ludunt, securæque vagantur. quod certè non facerent, si iisdem locis dominarentur leones, vrsi, lupi, & qui vt suam expleant famem, infirmiores bestias lacerant, & vorant.

Verf. 16. *Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.* Licet in montibus sæpe pascantur boues, magis tamen loca palustria amant, & fluminum ripas: quare Suidas *ὄκταν βόωνων* vocat, quia in littore commodè, atque iucundè pascuntur boues. Sic Pharao Genes. capit. 41. ex eo quod ipse aliquando viderat,

§ 4 somniauit

26.

Tauri de imperio certant.

27.

28.

29.

somniauit in littore, locisque palustribus videre se pascentes boues: & Psal. 67. feræ arundinis, id est, quæ inter arundineta, quæ statim vocantur congregatio taurorum, cum vaccis lasciuire dicuntur. Tauri igitur licet ad montes digrediantur interdum, cum tamen meridianus instat calor, ad umbram confugiunt, quæ in littorali regione commodior est, & gratior; & ibi illimis, & purior aqua, cuius sunt apperentissimi boues & turbidam exerantur, & horrent. ita Aristoteles lib. 8. de histor. animal. c. 8.

30.

Verf. 17. *Protegent umbræ umbram eius, circumdabunt eos salices torrentis.* Umbræ dicuntur arborum frondosi rami ab effectu, quia umbras diffundunt, & subiectum sibi locum opacant. Sic Virgil. lib. 12. *Æneid.* de ligneo sceptro dixit, iam a suo stipite præciso.

Nunquam fronde leui fundat virgulta, nec umbras.

Et ad illius imitationem Valerius Flaccus.

Hanc ego magnanimi spoliū Didymaonis hastam,

Quæ neque iam frondes virides, neque proferet umbras.

Quare in altera parte umbra figuratè, in altera propriè sumenda est, in hunc sensum: frondosæ arbores umbram inducent, ubi dormiat Behemoth: quod statim magis explicat, dum arborem nominat, à qua latè diffunduntur umbræ. Notum est salices familiares esse littoribus, & locis humentibus, è quorum ramis prope flumina Babylonis suspensa sunt captiuorum organa. Psalm. 136. & docuit Maro libr. 2. Georg.

Fluminibus salices, crasisque paludibus alui nascuntur.

31.

Verf. 18. *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd insuat Iordanis in os eius.* Prouerbialis est apud Hispanos bouum immodica in potando largitas, quæ etiam hoc ipso dicendi modo, quem adhibet Scriptura, explicari solet. Sic enim de immoderatè bibente dicitur, *bibit sicut bos*, aut *fluuium bibendo exhauriet*. Sic reor hunc dicendi modum hyperbolicum planè vim habere prouerbij. In *fluuium* autem priori loco riuum intelligo, aut torrentè; in quo minus est aquæ, quòdque exhauriri potest minori negotio. In Iordane *fluuium* intelligo, in quo latior est alueus & longè maior gurgitis altitudo. Quia in terra promissionis, & in Idumæa præcipue, torrentes reperiuntur, & riuus. Vnus tantum Iordanis suo merito fluuius vocari potest; qui Iobo ignotus esse non poterat, cum ipsos penè Idumæorum fines allueret, Behemoth igitur, in quo bouem significari diximus, absorbebit fluuios, neque mirabitur; quia præ sua auiditate, & siti torrentes omnes, & riuos adeò contemnit, ut speret absorbere se posse etiam Iordanem, qui fluuiorum omnium in illis latè finibus copiosissimus est. ubi Vulgatus *mirabitur*, Hebr. est יַחְפּוֹז *iachpoz*, quod Hebræi communiter vertunt, *festinabit*. Sed est sententia aut omnino eadem, aut non admodum diuersa. Quasi dicat, non multum contentionis adhibebit, ut totos epotet fluuios.

32.

Ille porrò dicendi modus maius aliquid indicat, nempe Behemoth esse instar maris, in quod ylerò naturali fluxu delabuntur flumina. *Mare* verò rem significat latissimam prouerbiali spe-

cie, ut docuimus in nostris commentariis ad illud Thren. 2. *Magna est velut mare contritio tua.* Quasi dicat, non secus atque si Iordanis influat in mare, non tamen illius implebit capacissimos sinus; sic etiam si in immensam stomachi Behemoth voraginem illabatur, aliquid tamen in illo vacuum relinquet. De hoc postea plura in allegorico sensu.

Verf. 19. *In oculis eius, quasi hamo capiet eum: & in sudibus perforabit nares eius.* Licet hæc bellua indomita, maximè cum iam in ætatem robustam adoleuit, ab homine non patitur circulum, aut iugum, Deus tamen ipsa spectante bellua, hamum illis naribus infiget, trahetque, reluctetur licet, quamcunque in partem velit; Quod homo non audebit, neque si audeat faciet impunè. Huc credo allusit Deus Isai. capit. 37. Nam cum ibi Senacherib de sua potentia prædicasset eadè penè, quæ nunc dicuntur de Behemoth (*Dixerat enim, ego bibi aquam, & exiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum*) Dixit illi Deus; *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frantum in labiis tuis.* Hic locus mihi persuadet de tauro potius, quàm de elephanto esse sermonem. Neque enim elephanto perforatur nasus, & hamus, seu circulus infigitur, quo non aliter trahatur regaturve, quàm equus freno; sed taurino generi, ut nostra fert, & multo magis antiquorum ætas. Conantur alij hæc accommodare elephanti proboscidi, quem à venatoribus perforari dicunt: & alios huius explicandi nodi modos inueniunt, sed certè durè nimis atque distortè, & ut aiunt, inuita Minerva.

Hucusque de Behemoth, quicumque ille sit, in quo illa secuti sumus, quæ implere magis textum; & ad veritatem accedere videbantur. Verùm quia hæc, quæ de immani hac bellua à Deo dicuntur; quidam allegoricè exponenda putant, quod sanè videtur non difficile, ideo in expositione allegorica, & mystica plusculum operæ nobis ponendum est. Et primum allegoricum sensum non solum ad Dæmonem, sed etiam ad hominem superbum, potentem opibus, inflatum spiritu, & ingenio ferocem, & audacem, traduci posse arbitror. De hoc prius, deinde de Diabolo, & de utroque breuiter,

De Behemoth superbiorum symbolo.

Dixerat supra Deus v. 6. *Disperge superbos in furore tuo.* Qui fuerint hi superbi, quos Deus à Iobo dispersos, ac omnino perditos esse vult, suo loco docuimus: nunc horum hominum ingenium in Behemoth, seu tauri moribus expressum esse suspicor. Primum hi fœnum comedunt, non secus ac boues, id est, res captant inanes, & futiles, neque magis stabiles, quàm fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur; quòdque spiritus alit omnino bellunos, ac stupidos. Talia sunt illa quæ homines isti ambitiosi, & vani ab stultæ multitudinis opinione gloriolæ vanæ non tã cõmoda, quàm honoris detrimenta venantur; quæ prudentes animi & benè constituti contemnenda putant magis, quàm amanda.

Verf. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius.* Diuitias, & otium, & quæ superbiorum, atque lautorum hominum studia comitantur, intemperantiam alunt:

33.

34.

35.

Superbi, & ambitiosi facti, non id est, rebus vanissimis se sustentant.

36.

Diuitia, & otium intemperantiam alunt.

aluunt, & illam præsertim, quæ est à venere. Ad quam præcipiti feruntur impetu, non secus, ac taurus, cuius est rabidus ad opus illud & insanus furor, qui furor optimè describitur per fortitudinem, quæ est in umbilico, & lumbis, & in salaci cauda.

Verf. 13. *Ossa eius velut fistula aris.*] Æs, & ferum difficile molliantur, ac domantur, neque prius, quam ab igne candescant, aut liquecant. Sic sanè superbi diuites, ac tyranni: quos nulla vis, nulla legum feueritas, nulla religio, ac metus in officio continet, aut ab eo abducunt instituto, quod sceleratè prius arripuerunt. Quod nos quotidie experientia didicimus, dolemusque huic morbo nullam admoueri posse medicinam.

Verf. 14. *Ipsè est principium viarum Domini.*] Per Reges, & Principes Deus hominum cætus, atque conuentus moderari voluit. Per illum enim Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; at illi ambitione vana suos inflarunt, & extulerunt spiritus, quod Deo suæ felicitatis, & potestatis auctori subdere debuerant. Acceptam autem potestatem eò contulerunt, vt subditos opprimerent, non fouerent: suis seruirent commodis, non communibus, & vt spoliatis aliorum domibus, suas haberent, tyrannica inclementia, instructas, & ornatas.

Verf. 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes bestia agri ludent ibi.*] Huius superbi, atque tyranni hominis auaritiæ, & luxui inferior, & timida turba ad nutum obsequitur, si quo modo illius possit declinare sauitiã. Quare ludit ante illum, & quantum potest illius sibi gratiam, cum magno etiam rerum dispendio conciliare studet. Quare si quid est in montibus amœnum, & pascuum, si quid in agris vber, & pingue, illius vsibus, & libidini seruit. Quæ omnia ea sibi licentia, aut impudentia vendicat, quasi illi vni tota rerum natura laboraret. Qua de re nos plura supra capit. 3. versic. 14. *Cum Regibus, & consilibus terra, qui adificiant sibi solitudines: aut cum Principibus, qui possident aurum.*

Verf. 16. *Sub umbra dormit, in secreto calami.*] Horum hominum vita deliciis affluit, & eis fruitur commodis, quæ aqua terraque suppeditant, quorum ea vox est, quam impiis tribuit diuina Sapientia cap. 2. versic. 8. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Pascitur Behemoth in montibus dum statio illa voluptati est, & dulce, ac salutare pabulum: meridiatur in litorali tractu, vbi à salicibus arboribusque palustribus grata funditur umbra, quæ calorem frangit, & molle præbet, ac gelidum cubile. Cùmque deliciis fruatur ingentibus, & omnes riuos, qua est ingluuie, intemperanter exorbeat, plura tamen appetit, & maiora, neque sua capacitate, & siti fluuium ipsum Iordanis putat esse maiorem. Hoc ipsum facit homo superbus, suoque ventri, ac genio deditus, qui alia, atque alia mutat loca, vt quicquid in singulis iucundum sit, suum esse faciat, neque altius illius animus attollitur, quam belluarum sensus, quas pronas natura finxit, & abiecit ad pastum, atque ideo subdit.

Verf. 19. *In oculis eius quasi hamo capiat eum, & in sudibus perforabit nares eius.*] Hunc hominem suo prorsus abdomini, & libidini deditum, Deus in belluarum numero posuisse videtur: quando illius perforat nasum, & inserto

A hamo non aliter versat, quam bubuleus bouem, aut bubulum adducit ad pascua aut reuocat ad iugum. Sanè id minatur Senacheribo Assyriorum Regi, Isai 37. & idem precatur, aut prædicit Dauid Psal. 31. *Incamo, & frango maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Hæc breuiter de homine superbo, & molli, qui expressus videtur in *Behemoth*. Nunc de Diabolo eadem breuitate, quem plurimi iidemque magni nominis interpretes in *Behemoth* mystico, imò, & literali sensu designari credunt.

De Diabolo allegoricus sensus.

B Nemo ferme est, qui non hæc aut proprio, & literali, aut allegorico sensu de Diabolo sumentia non putet. Quare meo muneri id debere videor, vt hanc etiam partem atrextam, quam non nisi à paucis præteriri video. Et quidem cùm de præcipuis creaturis egisset Deus, vt suam probaret omnipotentiam, non videbatur illam omitturus, quæ reliquis esset longè præstantior. Et cùm aut non, aut saltem non nisi difficile inueniatur vllum animal, cui illa conueniant omnia, quæ Deus de *Behemoth* enunciat, sit verisimile non in vero, sed in ficto, & quasi hieroglyphico animali expressum esse Dæmonis ingenium. Quid tamen nobis magis esset probabile, suo loco diximus.

C Est præterea obseruandum, per Metonymiã illud Diabolo nomen attribui, cuius ipse in illo, quem obsidet, tentat, aut exagitat, causam dedit. Quare mutus, aut surdus dicitur, si alterius contrinxit linguam, aut aures obstruxit; dicitur spiritus fornicationis, aut etiam fornicarius, si ad fornicationem inducit. Quemadmodum mors dicitur pallida, senectus rugosa, & frigida, quia illa cadaueri pallorem, hæc seni rugas, & frigus inducit. Quare licet eorum, quæ dicuntur de *Behemoth*, in Dæmonis naturam non conueniant, Dæmoni tamen attribuantur: quia Dæmonis opera talia patiuntur illi, quos ipse obsidet, & exagitat. Iam ergo persequamur singula.

D Verf. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.*] Repete quæ supra in literali sensu diximus, vbi bouem, seu taurum in *Behemoth* significari putabamus, qui animal est domesticum, & cum homine viuit, licet cùm adulta iam est ætate, & imperium gregis obtinuit domari non possit. Sic ergo nunc illum Dæmonem esse suspicor *Behemoth*, qui datus est ab initio Iobo, vt illi esset assiduus, oppugnatetque quotidie vehementer: vt enim à Deo datus est homini in ipso vitæ exordio Angelus custos; sic etiam à tenebrarum Principe Angelus aduersarius, qui illi sit assiduus, & ad peccatum, & exitium inducat. Hæc est à plerisque patrum recepta sententia. Quam indicat Hieronymus in hunc locum, cui Beda subscribit, tenet Magister 2. d. 11. vbi citat Gregorium. Cassianus col. 8. capit. 17. Tertul. libr. de anima capit. 33. Athanas. libr. de diuersis quæst. q. 3. Origenes homil. 35. in Lucam. Nyssen. in vita Moyse, & plures alij. Est igitur *Behemoth* datus à tenebrarum Principe Iobo, vt illi assideret perpetuò, & quantum posset ad ruinam impelleret. Qui fortasse dictus est in plurali numero *Behemoth*, quod item valet, atque e *multa bestia*, quia multis Iobum exercuit,

37. Superbi, & diuites non facile domantur.

38.

39. Superbi, & diuites aliorum bonam denotant.

40. Diuitum, & potentium immoderata diuicia.

41. Superbi, & diuites vitæ agunt belluina similes.

42.

43.

Tale Diabolo nomen datur quale illi conuenit, qui ab eo tentatur.

44.

Angelus malus datus homini existimatur à Satana sicut bonus, & custos à Deo.

cuit, atque vexavit modis; ut enim paulò antè dicebamus, ille dicitur spiritus mutus, qui linguam constringit, & ille surdus, qui aures obrurat, &c. sic iste multorum spirituum partes sustinuit, qui variis modis Iobum, exterius, interiusque turbavit; quæ de re nos supra c. 3. à principio.

45. *Fœnum quasi bos comedit.* Comedit Dæmon fœnum, ut dicit hoc loco Gregorius, quia insectatur homines, & eorum ruina latatur, & pascitur, quod probat ex illo Isaia cap. 40. *Omnis caro fœnum, & fœnum est populus.* Sed præcipue fœnum appellantur carnales homines, qui carni suæ indulgent, & genio, & eò rapiuntur, quò vocat irrationalis naturæ vāsanus appetitus. Hieronymus ad hunc locum, & ex cò Beda de Diabolo loquuntur ad Iobi certamen, & vexationem accommodatè, cui nò permisit Deus ut quasi leo carnes laceraret, voraretque, id est, vitam eriperet, & in ruinam spiritualem deiiceret: quæ interiora sunt, & magis propria, plurisque faciendā: sed quasi bos fœnum, rem videlicet abiectam, & vilem comederet, id est, externa bona, pecudes, domum, & reliquas opes: alienaret amicos, domesticos, & familiares abduceret: Vtraque expositio satis ad mores; quæ optimè explicat, quo loco habenda ea, quæ fœni natura, & vilitas adumbrat, quæ sunt apta magis Diaboli, quàm hominū pabulo. Quibus ipse stultorum hominum ambitioni, & avaritiæ illudit, prouocatque magis, quàm exfaturat famem, & quàm sunt viles, qui carnalibus æstuant desideriis, & suæ libidini, ac genio intemperanter obsequuntur.

46. *Verf. 11. Fortitudo eius in lumbis eius: & virtus illius in umbilico ventris eius.* Diabolus spiritus est, id est, incorporea quædam substantia, neque carnē habet, neque mēbra quæ carnis appetitiones, & desideria cōpleant. Quare non est cur in eo lūbos, aut umbilicū inuestigemus: lūbos tamen habere dici potest, id est, esse luxuriosus, & lasciuus: quia homines nimium obsequentes, & credulos, ad luxuriam inducit, facitque lasciuos: sicut etiam mutus esse dicitur, & surdus, quando obsessi hominis aut linguam cōstringit, aut aures obrurat. Aut etiam quia hominum lumbi, & umbilicus illius existimandi sunt, quia his vitur pro suis, & in eo certamine, quòd contra castitatem à Dæmone suscipitur, illius sunt hæc arma præcipua, quæ ita sunt in homine, ut contra hominem pro Dæmone pugnent: Quæ eo magis sunt perniciofa, atque timenda, quò interiora magis sunt, & magis blandæ, atque latentes insidiæ. In umbilico fœminarum, in lumbis virorum significari libidinem docuit Gregorius ad hunc locum: & Hieronymus ad illud Ezech. capit. 16. *Nò est præcisus umbilicus tuus. Quomodo, inquit, virorum seminarium significatur in lūbis, ita genitalia fœminarum honesto sermone iuxta consuetudinem Scripturarum umbilicus vocantur, testimonio Iob, &c.*

47. *Verf. 12. Stringit caudam suam quasi cedrum.* Vis, credo, vehemens significatur tentationis, quæ ad euertendam castitatem adigit obsequentes. Stringit autem caudam quasi cedrum, quia id efficit in eo, quem ad libidinem virget, & inflammat. Quid sit autem cauda, & quare dicatur cedro similis, diximus supra in literali sensu, ex quo facilè sese

A prodit allegoricus. Sanct. Odo optimum ex hoc loco sensum ad mores assumit. Ait enim Dæmonem principio sensim illabi: deinde verò petere, & virgere vehementer. Cauda molle aliquid est, & à qua timeri nihil potest, illa blanditur, & allicit amice potius, quàm minatur, & terret: sed deinde stringitur, & riget, sicut cedrus: & quem prius allecabat ad voluptatem molli-ter, deinde durè, atque hostiliter trahit ad interitum.

Nervi testiculorum eius perplexi sunt. Hi nervi seu meatus per quos vitiorum deriuantur semina, vnde tandem concipitur ex malo coruo malum ouum, & ex parente pessimo scelerala soboles, suasiones sunt, & rationes, quibus vitur Diabolus, ut sua hominibus consilia persuadeat. Hæ verò perplexæ sunt, & obliquæ, ita ut quid sibi velint, aut quò spectent, principio non omnino cognoscas. Quæ sic artificiosè, ac callidè honestatis speciè deformitatem velant; ut pulcrum appareat, & honestum, quod turpissimum est, & prorsus execrabile. De hac Dæmonis in loquendo perplexitate diximus plura ad illud Isaia, capit. 41. *Annunciate quæ ventura sunt.* Exemplorum ibi satis adduximus. Vide Theodoretum libr. de oraculis, qui seorsum ab aliis excusus est: vbi multa adducit oracula eiusmodi, ut ex illis capi nihil certi possit. Sed omnium optimè expressit Cicero libr. 2. de diuinatione, vbi Apollinem, cuius certissima putabantur oracula, in hunc modum alloquitur; *Sed iam ad te venio Sancte Apollo, &c. Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen impleuit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut sit in omni oratione sapissimè: partim flexilquis, & obscuris, ut interpretes egeat interprete, & fors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, & quæ ad dialecticum referenda sint.* Sunt item testiculorū nervi perplexi Diaboli, prædicatores, & ministri, per quos ille ad populos errorum, & turpitudinum semina deriuat: qui cum à magistro veteratore, & callido persuadendi modum & artem didicerint, non minus illi fraudulenter, & callidè orationem suam ad persuadendum instruunt.

Verf. 13. Ossa eius velut fistula æris. Hoc symbolo Dæmonis significatur incredibile robur, & indefessa in tentatione constantia, quem neque frangit tēporis diurnitas, quominus homines incessanter oppugnet, neque si iterum, ac sæpius repellatur, despondet animum, aut in pugnandi contentione languet. Ut enim ossa non flectuntur, aut remollescunt, sicut carnes, ac nerui, maximè si æris, ac ferri duritiem imitentur, sic etiam Dæmones neque incuruuntur domiti, neque longa tentationis mora quicquam de tentandi contentione remittunt. Et sicut in exagitanda, ac persequenda præda non fatigatur, sic etiam in retinenda constantissimus est: ex cuius vnguibus non minus extorquetur difficilè, quàm ut est in proverbio, ab Hercule clava, aut è leonis faucibus semelus agnus. Gregorius Dæmonis seu Antichristi ossa illos esse dicit, qui Dæmonis causam promouent, & sustentant, qui valentiores sunt, qui neque flecti possunt, aut incuruari metu, aut pudore, aut alio quouis artificio ad æquita

Dæmon fœno, id est, carnalibus hominibus pascitur.

Dæmon non Iobum sed eius bona comedit.

Diaboli in luxuriosos potestas.

Dæmon primum aggreditur molli-ter, deinde virget hostiliter.

48. Verba dæmonis obliqua, & ambigua.

49. Diaboli indefessa in tentando pertinacia.

50. Ossa Dæmonis sunt qui illius causam promouent.

æquitatem & officium adduci; neque sibi tantum peccant, sed alios exemplo pessimo ad malum pertrahunt, & ad Dæmonis castra, seu scholam traducunt. *Quid, inquit, aliud ossa Antichristi, quam quoslibet in eius corpore valentiores accipimus, in quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per ea tota eius corporis compago subsistit.*

51.

Verf. 14. *Ipse est principium viarum Domini: qui fecit eum, applicabit gladium eius.*] Hic locus omnium facillimè accommodatur Dæmoni, nam si viarum Domini illud vocatur initium, vt in literali explicatione probauimus, quod est opus præcipuum, nemo negabit creaturarum omnium Angelorum naturam esse præcipuam, contra quam vis nulla alia creata pares poterit afferre vires. Solus qui fecit Deus, suo conficere gladio potest, & ad nihilum vique redigere.

52.
In superbiorum animis multi simul Dæmones habitant.

Verf. 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes bestia agri ludunt ibi.*] Cum magna sit in mundo Diaboli potestas, & imperium vbique gentium longè, latèque diffusum, præsertim tamen habitat, & pascitur in montibus, id est, in superbiorum animis, vbi simul cum Behemoth, id est, Dæmonum principe, alij etiam complures Dæmones pascuntur, & exultant. Quia superbia vitiorum regina longam post se ductat vitiorum agmen, vt docuit Gregorius, qui superbiam aliquando reginam, aliquando vitiorum omnium radicem appellat: Ac tandem addit libr. 31. Moral. cap. 13. *Ipsa vitiorum Regina superbia, cum deuictum planè cor ceperit, mox aliud septem principalibus vitis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit.* Quare non solum superbia, superbiorum calcatur, & pascitur animum, sed alia etiam bestia, quæ à superbia nascuntur, & illam quasi Reginam, & ducem comitantur assidue. Quod ad hunc locum optimè idem Gregorius; *Pro eo, inquit, quod superbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla est agri bestia, quæ non horum montium herbis satietur.* D *Huic ergo Behemoth montes herbas ferunt, & omnes bestia agri ludunt ibi, quia in superbiorum corde quilibet malignus spiritus tanto latius pascitur, quanto & omne vitium de superbia generatur.* Vide Cassianum libr. 12. capit. 27. vide item collat. 7. capit. 17. vbi docet non omnes dæmones vniuersas hominibus inferre passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare. Hi verò, vt modò dicebamus ex Gregorio, superbiam comitantur: & in superbiorum animis quasi in communi pabulo lasciuunt.

53.
Luxuriosus Dæmonum soluta brui.

Verficulo 16. *Sub umbra dormit, in secreto calami & in locis humentibus.*] Hic locus est, quia umbrosus, & amœnus, maximè opportunus otio, & illius assiduo comiti luxuriæ, quæ Diabolo idoneum valde preparat volutabrum; vt enim porci, vbi primùm afflauit à cœni proluuie grauis anhelitus, eò aduolant: sic Dæmones ad luxuriæ fœtorem intolerabilem quamprimùm properant, vbique se quasi in suo cubili. Si qua illis potest esse iucunditas iucundè volutant. Sanè optimè dixit Climacus, nulla re magis delectari Dæmones, quàm fœtore luxuriæ; Multa Patres dicunt, quæ ad hanc sententiam plurimum faciunt, ad illud Lucae capit. 11. vbi Dæmon dicitur per-

A ambulare pro loca inaquosa, neque inuenire requiem, quia nimirum illam habent in locis humentibus, & in secreto calami.

Verf. 17. *Protegent umbra umbram eius.*]

Hic locus superioris explicatio est: quare id pro morali sensu tantum addam, quod ad hunc locum docet Gregorius. Pro cuius sententia obseruo in umbra considerari duo, & quod corporis imago sit, & quod sequatur corpus quamcunque se in partem moueat. Ex quo fit, vt qui alios obsequij, aut alicuius commoditatis gratia sequuntur, quique aliter assecla dicuntur, appellentur umbra. Illi igitur umbræ videntur esse Dæmonis, qui Dæmonis expriment mores, & ingenium, quia illi Dæmonis tegunt umbram, id est, occultas fraudes, & insidias; dum ipsi perditè viuunt, & quia potentes sunt, conculcant leges, lasciuunt, rapiunt, & quicquid libet, audent, grassantur tandem, & bacchantur impune, & denique turpissimis vitis, quique ingenuos mores minimè decent, apud ignobilem multitudinem aliquam prætendunt honestatis speciem, faciuntque vt illa plebs ignobilis minus verecundetur, & horreat. Hæc aut his affinia multa Gregorius: cuius è multis pauca referam carptim; *Umbra, inquit, sunt Diaboli omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis eius inferuunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt: umbra umbram eius protegent, dum nequissimorum facta nequiores ipsi peruersis patrocinijs tuentur.* Quod hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa, in qua ipsi obligati sunt, in aliis corrigatur, ad ipsos quandoque veniatur, &c. scelera quippe peccantium tanto maiora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentim diu inulta tolerantur. Vide plura ibidem Gregorio non indigna.

Aliter ad mores, & maximè ad religiosorum profectum ex hoc loco explicationem attempero. Sedet Diabolus in secreto calami, id est, in umbra, aut obscuro loco, vnde securè & sine errore in quoscunque velit, tela iaculatur. De quo est illud Psalm. 9. versic. 29. *Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* & Psalm. 10. versicul. 3. *Vt sagittent in obscuro rectos corde.* Hanc umbram tunc ille tegit, qui cum tentationem sentit, & spiculum à Diabolo vibratum, silentio premit, & tegit, neque vulnus spirituali medico reuelat. Est autem silentium umbra, sicut etiam errorum excusatio. Audi quid de hac umbra siue silentio Cassianus collat. 2. capit. 20. *Nulatenus, inquit, decipi poterit quisque, si non suo iudicio, sed maiorum vinat exemplo, nec valebit ignoracionem eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes perniciose verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobatur, vel admittit. Illico namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium perforatur, serpens terribissimus velut è tenebroso, ac subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones eius noxia dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* & capit. 11. eandem iterat amplificatque sententiam, & optimo illam exemplo confirmat.

Verf. 18.

54.
Improbiorum sunt Diaboli, quia illum imitantur & sequuntur.

55.
Tunc Diabolus in tentatione potens, cum tentatio non reuelatur.

56.
Religiosorum
ruinam maxi-
mè appetit
diabolus.

Verf. 18. *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur.*] Tanta illi inest stomachi capacitas, tam siticulosa rabies, vt si fluvium bibendo siccauerit, suæ sitis satisfactum esse non putet; sed sitiat adhuc, & ad aliud, atque aliud flumen exhauriendum anhelet, & ad ipsum quoque Iordanem insignem, & generosum fluvium aspiret. Iordanis terram intravit promissionis, quam Deus pro sui populi hæreditate ex omnibus elegit: vt autem flumina passim pro illis regionibus usurpantur, quas rigant & obeunt, in d. & pro illis qui regiones inhabitant, sic etiam Iordanis pro Dei populo ponitur: quem Deus suis instituit legibus, suis ornauit beneficiis; quales sunt qui Euangelico sæculo in claustris viuunt, & religiosa excoluntur disciplina, ad quos irumpere conatur immanis hæc bellua, & sperat se ardentissimi huius voti futurum esse compotem: & pro dolor, ac pudor, illius cogitationem, & spem successus aliquando non fallit.

57.
Diabolus licet inuitus hominum utilitati seruiat.

Verf. 19. *In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.*] Multa sibi Diabolus ex humani generis victoria promittebat, vt videmus: At Deus præferocem taurum, qui terrorem incutiebat omnibus, & cornibus variè ventilabat, seruire fecit hominum vsibus, & hominum imperio aliqua ratione subiecit. Vt enim quidam egisse dicuntur sub iuga leones, elephantos, tygrides, qui magis videbantur ad hominum exitium, quàm ad illorum leuamentum nati, sic etiam Deus tauro huic præferoci, ac pingui circulum infixit, & perforato naso, quasi cicuratum, & domesticum bouem, hominum commoditati, atque vsui parere compulit. Sicut apparuit olim in causa Iobi, cuius cum Diabolus cuperet obscuare nomen, & in exitium trahere, fecit tamen Deus, vt magis toto mundo redderet illustrem, & meritorum incremento supra omnes illius ætatis homines auget. Quod optimè in Psal. 60. docuit Augustinus; *Profectus*, inquit, *nostrer per tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus: nec potest conari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare nisi inimicos, & tentationes habuerit.* Aliquid aliud in perforato naso videt Gregorius. In naso significari sagacitatem, res est nota, quem tunc perforat Deus quando illius detegit astuta consilia, & occultas prohalat insidias.

De Leuiathan.

58.

Verf. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?*] Egredere proxime de animali terrestri, omnium aut præcipuo, aut maximo, nunc agere instituit de aquatili, & marino, quod appellat Leuiathan. Quod autem sit illud, obscurum est, & diuinandum omnino, aut obscuris admodum agendum coniecturis. Illud concedunt omnes, esse ex genere cetaceo, id est, ex illis piscibus, quorum est prodigiosa proceritas; & illius inter reliquos pisces imperium formidabile. Sed cum illius generis, & nota fuerint olim, & nunc quotidie appareant inuisa antea, & inaudita monstra, incertum est quodnam illorum describatur hoc lo-

co, & in quod, quæ nunc traduntur proprietates, & signa conueniant.

De Leuiathan nos supra non pauca in cap. 3. versic. 8. ad illud; *Qui parati sunt suscitare Leuiathan.* De hoc animali, deque nominis notatione multa dicunt Hebræi, sed vt solent, mera, atque ridicula figmenta, & somnia, à quibus commemorandis prudens abstineo, ne cum illis nugari, ac delirare videar. Communis est sententia, in *Leuiathan* intelligi balænam, quæ cæterorum omnium vastissima creditur, de qua multa Plinius, Strabo, Ælianus, Gellius, Solinus, denique quotquot de animalium natura commentarios ediderunt. Neque balæna ignota esse potuit Iobo, cum illa in mari rubro, seu sinu Arabico visa fuerit, quod videtur significasse Plinius, dum in illo sinu immanes cetos inueniri dicit libr. 32. cap. 1. nimirum sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, & nomen ipsum valde cum balænarum ingenio, & proprietate consentit. *ללא לואא copulare* significat, aut *adherere*, & ideo Lia Genes. capit. 29. cum tertium peperit filium: appellauit illum Leui, & statim illius nominis notationem addidit, dicens; *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, &c.* & idcirco appellauit nomen eius *Leui*. Balænae autem pisces, & conchæ dicuntur adglutinari; & adherere quasi saxi. Est enim illius belluæ tanta, tamque tarda moles, vt his, quæ lateribus adherent, nocere non possit, neque quantumcunque velit, à se ipsa discutere. Dicitur præterea ab illa pisciculus nunquam discedere, qui illam regit, & in locum deducit magis opportunum. Magnis hisce aquatilibus belluis pisces adherent, sicut Regibus inferiores alij, qui ex ea societate aliquid captant, aut sperant emolumentum. Sic sanè loquitur de Pharaone sub allegoria Draconis, seu ceti magni, qui viuit in aquis Ezech. cap. 29. versic. 3. *Ponam frantum in maxillis tuis, & adglutinabo pisces flumium tuorum squamis tuis.* Est autem mihi valde probabile ad hunc Iobi locum alluisse prophetam, dum marinæ huius belluæ maxillas infranat. Vt cumque sit, quando de Leuiathã, qui ex sua etymologia ad varias patet cetorum species, natura certa non constat, balænam tamen esse dicamus, & ad eius proprietates explicationem accommodemus, prius literali sensu de marina bellua, deinde allegorico de diabolo. Sed aduertendum est in illo cetaceo genere plures videri balænarum formas; inter quas aliqua fuit minus nobis, aut scriptoribus nota, cui istæ proprietates collectæ conueniant. Quod si hoc durum videatur, alia nobis forma in cetaceo genere quærenda, quæ balæna non sit.

59.

Leuiathan creditur esse balæna.

Balæna quid

E

An extrahere poteris Leuiathan hamo?] Non est difficile fune, & hamo captare pisciculos, qui facillè trahuntur ad littus, & nassam, neque ab illis imminet aliquid periculi: at piscari velle marina monstra, quæque mole valent, & viribus, quæque natura sic contra vim externam, & insidias muniuit, vt nemo illa lacessat, aut aggrediatur impunè, id verò non humanæ facultatis est, sed illius, qui tam vastam molem creare potuit. Id igitur nunc docere vult Iobum Deus, vt discat quanta sit humana fragilitas, quàm diuina potentia omni-
ni crea

60.

ni creata magnitudine superior. Extrahere porro hamo, nihil est aliud quam piscatoria arundine ad littus extrahere, quod statim explicat magis, cum addit.

61. *Et fure ligabis linguam eius?*] Ligatur aliquis cum impeditur, ne quod velit abeat: aut suo se arbitrato moueat, & regat. Ligatur qui clavis affigitur cruci, aut qui in senticoso loco spinarum detinetur aculeis, licet nulla intercedant funium, aut catenarum vincula. Sic etiam ligari diceretur lingua Leuiathan, si hamo caperetur piscatorio, quod sane Deo facillimum est, homini vero plusquam difficile.

62. *Versiculo 21. Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius.*] Circulis, & armillis domantur, & circumaguntur ferae, & ad hominum usus, & subeundum iugum, & plaustrum adiguntur, sicut paulo ante dicebamus de Behemoth versiculo 19. Quare hic, ut reor, nihil significatur aliud quam cicurari non posse, aut eò adduci Leuiathan, ut hominum seruiat imperio, & in illorum usum aliquod velit obire ministerium. Ad hunc locum, opinor, respexit, ut paulo ante dicebamus, Ezech. cap. 19. v. 3. cum sub draconis, aut piscis magni metaphora dixit Pharaoni: *Ponam franum in maxillis tuis*; vide quid nos ad illum locum.

63. *Verf. 22. Nunquid multiplicabis ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*] Qui victi sunt à potentiore hoste, & periculum imminet seruitutis aut cædis, cum lacertis, ac viribus nequeunt propulsare periculum; ad preces confugiunt, & supplices lacrymas, quantumuis prius spiritus habuerint arrogantes. Quod in suo Turno ambizioso prius & feroci expressit Maro, qui cum paulo antea præclara edidisset heroicæ virtutis documenta, & nihil sibi non promississet in posterum, ubi stratus fuit ab Ænea, & ferrum aspexit imminere iugulo, multiplicauit preces, & mollia locutus est ad Æneam, quem hunc in modum affatus est.

*Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens, equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest Dauni miserere senecta,
Uterius ne tende odiis.*

Sumit itaque supplices preces, & verba mollia, pro victoria ex immani illa bellua comparata per synecdochen, quæ antecedentia consequentibus explicat, præcedit enim victoria, subsequuntur preces. Hæc porro per profopopœiam dicta sunt, quæ vocem tribuit, & sermonem rebus sermonis, & rationis expertibus.

64. *Verf. 23. Nunquid facies tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?*] Notum est perpetuo seruitutis nexu redimi vitam, quæ fuerat ferro legitime deuota. Nam qui iure belli occidi potuit, non duram subit conditionem, si paratam mortem cum longa seruitute commutet, neque cum illo iniuste agit, aut crudeliter victor, si seruilibus notis ingenuam compungat faciem, dum vitam concedat, quam amittere potuit, qui ad illum usque articulum eripere studebat alienam. Sic sane fecit Bennadad lib. 3. Reg. cap. 10. cum victus esset ab Achab, eò se demisit subita rerum inclinatione percussus, ut seruum se ultro offerat, vitæ tantum possess-

Gasp. Sanctij Comment. in Job.

A sione contentus. Quare legatos mittit cum mandatis, quorum hæc est summa: *Seruus tuus Bennadad dicit, vnat, oro te, anima mea.* id est, ut eo loco exponit Iosephus, dicit se dedititium in perpetuum fore, si modò ipsi à victore vsura vitæ concedatur, quam conditionem nunquam accipiet à Leuiathan, quia nunquam suam illum potestatem adducet; vide quid nos ad hunc locum in nostris commentariis ad 3. librum Regum.

Verf. 24. Nunquid illudes ei quasi ani, aut ligabis eum ancillis tuis?] Solent venatores, & aucupes captam prædam ad cibos concidere, & sibi suisque amicis in mensis apponere: aut etiam seruare domi ad lusus, & delicias ad oblectandam familiam. Quorum neutrum præstabit piscatori balæna, quia non est eiusmodi ut capi à piscatore possit, neque eius ingenij, ut si capi aliquando contingat cicurari possit, & ad pueriles, aut ancillares lusus adhiberi. Scimus syluestres feras & montanas volucres, maxime si in ætate teneriori capiantur, tractatione molli mansuescere, & hominibus præbere assiduos, neque iniucundos ludos. Quales sunt è genere volatili plittici, corui, pica, aquilæ, & aues aliæ, quæ vsu condocefactæ neque horrent domesticos, neque illis horrore sunt; aut fastidio. Idem dicendum de terrestribus, qui familiariter inter homines viuunt, & non ligati solùm, sed etiam soluti ludunt, & gestiunt, & mille hominibus afferunt voluptates, ut sunt cerui, dorcades, & illa de quibus Martialis lib. 7. epig. 86. quæ in deliciis habuisse dicuntur otiosi quidam homines, & parum lauti. De quibus sic

*Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus,
Si Cronius similem carcopsithecon amat.
Delectat Marium si perniciosus ichneumon:
Pica salutatrix si tibi Lause placet,
Si gelidum collo nectis Glacilla draconem, &c.*

D *Quod item dixit Seneca lib. 2. de ira capit. 31.* *Aspice, inquit, elephantorum iugo colla submissa. Taurorum pueris pariter ac foeminis persultantibus terga impunè calcata; & repentes inter pocula, sinisque innoxio lapsu dracones: & intra domum vsorum, leonumque ora placida tractantibus, adulantisque Domino feras.* Habuisse Tiberium draconem in deliciis, tradit in eius vita Suetonius. Quemadmodum apud Ægyptios cicurentur aspides, simulque cum infantibus innoxia viuant, & vocati veniant, & in mensa comedant, prodit Ælianus lib. 17. de histor. animal. cap. 5. Hæc autem nullus homo obtinebit à Leuiathan, etiam si capiat, & in domum adducat.

E *Verf. 25. Concident eum amici? diuident eum negotiatores?*] Prædæ, ut dixi proximè, ad voluptatem capiuntur, & delicias, ut auiculæ vocales, quæ clauduntur in caueis, aut feræ quæ cicuratae blanditiis lusingant domi, & retinet spectantium oculos: itè ad cibos, ut apri, ibices, cerui. Nihil horum præstare potest Leuiathan, non illud, ut modò dicebamus; non hoc, quia nunquam in piscatorum potestatem veniet. Quare neque amici, cum aliis instruere voluerint geniale conuiuium, illius concident carnes, & in epulas condient. Neque negotiatores, qui varia piscium genera in alias

Te atquo

65.

Fera ad hominum delicias cicurata.

66.

67.

atque alias regiones distrahunt à piscatione, A
 marique distantes, diuidunt Leuiathan, vt sicut
 thynnorum, & aliorum piscium, sic etiam Le-
 uiathan duras sale carnes, & in frustra concis-
 sas venales comportent. Quæ verba plane doc-
 cent, neque capi a piscatore posse Leuiathan,
 neque ab illo aliquid sperari posse compendij.
 Aut certe ideo dicit non diuidendum à nego-
 tiatoribus Leuiathan, quia sicut in aliis pisci-
 bus omnia membra esculenta non sunt, & ideo
 quædam à piscatoribus reiciuntur tanquam
 inutilia, sic etiam in balæna, quædam sunt mi-
 nus, alia nullo modo, alia maximè ad homi-
 num vsus necessaria. Quæ mercatores diui-
 dunt, ne industriam suam, & operam perdant.
 Sane in thynnis, qui ex genere cetaceo sunt,
 multiplex fit à piscatore diuisio; de quibus
 Plinius lib. 9. cap. 15, *Thynni membratim casi cer-
 uice, & abdomine commendantur, atque cladio re-
 centi duntaxat, & tunc quoque graui ructu cætera
 parte plenis pulpamentis sale asseruantur.*

68.

Verficulo 26. *Nunquid implebis sagenas pelle
 ejus? & gurgustium piscium capite illius.*] Adhuc
 peritat in eodem argumento, & quæ proxime
 dixerat, magis amplificat. Piscatorum plura
 sunt instrumenta; sed duo præcipua, alterum
 rete, quod aliter appellatur sagena, alterum
 nassa; quod hoc loco Vulgatus videtur appel-
 lasse gurgustium, alij vimineum vocant laby-
 rinthum. Ait igitur Deus, neque pellem Le-
 uiathan piscatorio reti capi, aut contineri pos-
 se, neque in gurgustio, id est, iunceo seu vi-
 zaineo filco caput concludi. In pelle autem per
 Metonymiam totum piscem intelligo; sumitur
 enim continens pro contento, quod item de ca-
 pite censeo, caput enim pro eo cuius est caput
 vsurpari frequentissimum est.

69.

Verficulo 27. *Pone super eum manum tuam;
 memento belli, nec ultra addas loqui.*] Quod ra-
 tione probauerat Deus, ad experientiam vo-
 cat, & iubet, vt vires suas, & artem piscato-
 riam, quantum possit adhibeat, vt illius ma-
 rinæ belluæ, roboris, & infirmitatis suæ peri-
 culum faciat. Hoc autem sibi velle arbitror il-
 lud, *Pone manum tuam super eum*, id est, iniice
 manum, vt exposuit Chrysostomus, tunc talem
 ex illius horribili aspectu concipies pauorem,
 vt neque audeas loqui de bello fortasse vlti-
 rius inferendo; aut certè quia metus ille subi-
 tus præclusis faucibus loquedi facultatem eri-
 puer. In genere loquendi duo hic obseruo, al-
 terum est imperatiuum poni pro futuro, quod
 in Scriptura obuium. Deinde quod etiam He-
 braico idiomati familiare est, subaudiri in prin-
 cipio conditionalem formam, *Si*, in hunc sen-
 sum, si posueris manum tuam super eum recor-
 daberis belli, quod videlicet temerè tentasti,
 nec addes ultra de eadem re cogitare ac loqui;
 ac denique sapiens magno tuo malo victus,
 quod prius inexpertus ignorabas. Hic mihi

sensus germanus videtur, & solutus. Neque
 alium, opinor, sensum continet, quàm illud
 Latinorum eodem argumento prouerbiū,
Piscator ictus sapiet.

70.

Hæc mihi explicatio difficilis non est. Sed
 vide an illa placeat quam non nemo indicat
 licet obcurius. Coargui hic Iobum cum cer-
 tare velit cum Deo iudicio legitimo, dum ad-
 uersus eum de sua innocentia, & de pœnarum
 acerbitate disceptare vult, cum tutò non possit
 cum hac marina belua certare, quæ longe est
 inferior. Ac si dicat; Abstinebis, sat scio, à
 congressu cum tam immani fera, si vel tan-
 tum manum admoueris: ab hac igitur disce ti-
 mere mecum legitimum inire certamen, cuius
 maior est virtus, & magis periculosa congres-
 sio. Memento igitur belli, quod mihi teme-
 rarius indixisti, & age pœnitentiam, neque
 vltius ea de re verbum loquaris: sed quic-
 quid à me factum est, id iustum puta, neque
 æquitatem in meis iudiciis, aut clementiam
 requiras.

71.

S. Hieronymus, & Beda paulò aliter: quasi
 hoc modo Iobum alloquatur Deus, Tu, ó Iobe,
 capere non poteris, aut domare Leuiathan,
 illumque ancillis illudendum tradere; & ego
 id faciam, & ita tibi subiectum, & obsequen-
 tem dabo, vt imponas illi manus, atque de-
 mulceas, non secus atque si dorcas esset, aut
 agnus. Quare memento belli, quod frustra, &
 non impune suscepturus esses, quòdque ego su-
 scepi cum hoc marino monstro fœliciter. Et
 gnarus virtutis meæ, & tuæ infirmitatis, que-
 relas mitte à te sapius iteratas, & æternum tibi
 ea de re indicito silentium. ita ferme Hiero-
 nymus, cuius deinde sensum in morali expli-
 catione magis explicabimus. Tres istæ expli-
 cationes satis sunt ad textum: neque video
 quid in illis offensionis occurrat, in postre-
 mam illarum magis propendet assensus, quia &
 ipsa facilis, & bellè cum capitis sequentis ini-
 tio consentit.

72.

Verficulo 28. *Ecce spes eius frustrabitur eum,
 & videntibus cunctis precipitabitur.*] Si de tri-
 bus primam sequaris sententiam; necesse est
 hoc in loco sermonem esse putes de piscatore,
 qui de imo gurgite voluerit extrahere Leui-
 athan, ille enim qui maiora animo concepit, ac
 sperauit, quàm vires & solertia promitterent,
 cadet ignominiosè de sua expectatione, & vi-
 dentibus omnibus honoris ac vitæ dispendium
 subibit. Hæc explicatio optimè congruit cum
 prima sententia. Sin autem vtrambet de po-
 sterioribus probes, hæc ad Leuiathan referas,
 oportet, quem præcipitabit Deus videntibus
 omnibus, & de illa spe ignominiosè deiiciet,
 qua sibi à nemine cauendum putabat. Hæc de
 Leuiathan in literali sensu, nunc inducemus al-
 legoricum, cum decurso cap. 41. absoluta erit de
 hac immani bellua instituta tractatio.

ARGUMENTVM CAP. XLI.

N Superiori capite describere cœperat Deus immanitatem, & robur Leuiathan: nunc docet eam sibi inesse potentiam, & in rerum vniuersitatem imperium, ut ad quiduis moliendum, illius aut alterius viribus non indigeat. Deinde illius proprietates, naturamque accuratè describit, docetque sic esse à natura munitum egregiè, ut cum ipse omnibus sit formidabilis, à nullo tamen sibi timendum putet. Ad extremum ait nullam in terris esse potestatem, quæ illi non cedat; quia animalium omnium superbissimum est, nihil expectare non excelsum.

CAPVT XLI.

A PARAPHRASIS.

1. **N**on quasi crudelis fuscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?

2. Quis antè dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.

3. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

4. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit?

5. Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.

6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.

7. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.

8. Vna alteri adhaerebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.

9. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, ut palpebræ diluculi.

Gaspar. S. in. t. ij. Comment. in Iob.

1. 2. 3. Non suscitabo Leuiathan, hostili animo, ut tibi, aut aliis noceat. Quod faciunt, qui malum aliis moliuntur, qui cum infirmis sint viribus, neque suam possint iniuriam ulcisci, alienas precantur, & asciscunt. Quis autem est, qui mihi se aduersarium opponat, aut cuius ego potentiam vel mea solius voluntate non comprimam. A nemine quicquam unquam rogavi: quia alterius ope nunquam indigni, neque à quoquam aliquid accipi, neque me alicui debitorem constitui; quia à mea potestate alienum est nihil. Quare non est cur illum verbis aggrediar deprecantibus, & ad persuadendum artificiosè compositis, cum cogere possim imperio, & ipsi deprecanti ac supplici extremam asserre perniciem.

4. 5. Iam redeo ad describendum Leuiathan, & enumeranda alia, quæ in eo planè sunt horribilia. Et primum illius indumentum, id est, natia pellis, adè est dura ut discindi ferro, & aperiri nequeat, quare faciei pellem perforabit nemo, ut maxilla armillam inducat, aut in os illius insinuare se, ut infixo faucibus hamo aut constricta lingua excedere cogat, è marino gurgite, & varia ad hominum vsus obire ministeria. Quis enim os illius aperiet, quod vultus illius ostium est, cum illud munit formidabilis vallus.

6. 7. 8. Corpus eius squamis, quasi oreis scutis obductum est, quæ neque ferro discindi, neque vlla vi, aut machinatione diuelli possunt. Squama enim quasi è duro chalybe formata ita se in prodigioso corpore constringunt, & complicant, ut in vnâ omnes coaluisse videantur. Quare neque patere potest vulneri latus dissociatis squamis, neque perforatis adigi lethale spiculum.

9. 10. 11. 12. Halitus illius instar obtinet ignis, quem circumfusis aër vehementius

Tt 2 incs

10. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.

11. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis.

12. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.

13. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas.

14. Membra carniū eius cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.

15. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.

16. Cū sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.

17. Cū apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.

18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs,

19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.

20. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.

21. Sub ipso erunt radij solis: & sterneret sibi aurum quasi lutum.

22. Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cū vnguenta bulliunt.

23. Post eum lucebit femita, æstimabit abyssum quasi fenescentem.

A incitatus accendit. Oculi eius subucidum aliquid & igneum emittunt: qualis esse solet splendor aurora. Ex ore euomit admixtas fumo flammæ, quales pingues emittunt, & ardentis tædæ, fumat nasus, & talis ab eo vapor exhalatur, qualis ab olla, cui subiicitur ignis. Talem denique halitum eructat, ut opposita ligna inflammare possit, & in prunas, fauillâsque conuertere.

13. 14. Egi hætenus de capite *Leuiathan*, ad collum descendo, in quo ea est ingluuius, & tanta voracitas, ut illum nulla ciborum abundantia expleere possit: usque adeo, ut quodcumque illi pabulum obiciat, egestatem esse putet, quæ potius acuat, & aduocet, quàm saturet, aut obtundat famem. Quod atinet ad totum corpus, membrorum omnium ea est compages, atque durities, ut vel ipsa fulmina ab impenetrabili corpore resiliant, neque ad interiora corporis ferantur loca, sed in ipso corporis tegumento deficiant.

15. 16. Cor autem illius usque eò durum est, & impavidum, ut neque silici cedat, neque incudi ferrea, quam assiduis ictibus mallei diuerberant; & tamen aliis ita est horribilis, ut si se in mari commoueat, qui aut illum vident, aut aquam ab eo commoueri suspicantur, in magno ponant beneficij loco, si periculum sibi propositum euadere contingat, quod suspensis in templo donis gratitudinis ergo, aut alio accepti beneficij monumento testabuntur.

17. 18. 19. 20. Si homo benè armatus, & loricator accedat contra *Leuiathan*, omnia tela in illius tegmine frangentur, & resiliant, aut hebescent. Neque ferrum pluri faciet, quàm stipulas; aut æs, & chalybem, quàm lignum carie, aut vetustate putridum. Neque si vir urgeat sagittarius, aut funditor è sua se statione commouebit, quia lapides, & tela non plus habent ad nocendum virium, quàm arentes stipulae; neque magis timebit clauam, & malleum, aut ab hostili manu vibratam hastam, quàm stupam & paleam, & si quid est istis in rerum natura futilius.

21. Neque times, neque curat solares radios, qui siccare solent flumina, & quibusdam piscibus afferre perniciem; neque aurum, quo ad bellum siue declinandum, siue inferendum potentissima solent comparari subsidia.

22. 23. Ea est immanis huius ceti magnitudo, ut cū se in aquarum profundo gurgite commouerit, ferueat mare non aliter, atque olla, aut vnguenta igne supposito ebulliunt & æstuant. Tum præterea cū magna se mole, ad alia, atque alia

A *alia maris loca traducit, lucentem post se semitam, & spumis albicantem relinquit; ita ut mare senilibus canis conspersum esse credas.*

24. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.

25. Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.

24. 25. *Vt vno verbo complectar omnia, nulla est in terra potestas, nullum robur, quod illius possit adæquare potentiam. Tantum est enim huic marino monstro concessum virium, ut nullum timeat, quia suam super omnes excellentiam agnoscit. Atque ideo nihil videt, aut meditatur nisi sublime, & magnum: est enim animalium omnium superbissimum.*

Verf. I. *Non quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo?]*

Locus iste varios admittit sensus, & ideo variè distrahit interpretes, maximè cum in Hebraico textu non sit prima persona *suscitabo*, sed *tertiam suscitabit*. Ad quam accommodatè Hebraizantes priora verba non ad Deum referunt, sed ad hominem audacem, & temerarium, qui cum vires habeat infirmas, cum horribili, ac validissimo hoste certamen meditatur. Qui sanè crudelissimus est in seipsum, & vitæ omnino prodigus, cum sciens, volensque in exitum ruat voluntarium. Sed noster interpres melius adhibuit personam primam, tum quia id apud Hebræos frequentissimum est, qui de se ipsis tanquam de persona tertia loquuntur, sicut verba Christi manifestè docent, dum ait; *Quem dicunt homines esse filium hominis*, & similia, id est, quem dicunt homines esse me. Deinde quia quæ proximè succedunt, cum tertia persona non aptè consentiunt. Sed adhuc est explicatu difficile, cur Deus suscitaturus sit Leuiathan non quasi crudelis. Quidam sic exponunt: Licet Deus immanem hanc belluam suscitauerit, quæ tantum habeat crudelitatis, & virium, non tamen ideo censendum esse crudelem, quia sua potentia coërcebit illam, ne tantum audeat, faciãtve, quantum velit, & possit. Ita indicat S. Thomas. Alij non creatum esse dicunt marinum hoc monstrum, ut hominibus noceat; id enim à crudeli spiritu factum videretur, sed ut in tantâ mole, ac fortitudine suam hominibus potentiam ostenderet.

REGVLA.
Hebrai de se ipsis quasi de tertia persona loquuntur.

Deus cum aliquid mittit aduersum, non facit ut crudelis.

Hæc sanè prudenter ac piè; quæque ego probo libenter, & amplector, sed nescio quomodo quæ deinceps adduntur, minus bellè cum hac cogitatione conueniunt. Quare ego existimabam exponendum esse locum istum accommodatè, ad illa quæ latius explicuimus cap. 3. ad illa verba versiculo 8. *Maledicunt ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan*, vbi diximus carmen esse quoddam execratorium, in quo aduocabatur Leuiathan, quasi aliquid pestilens, & sæuum, & humanis rationibus aduersarium. Quod non fiebat nisi ab iratis, & crudelibus, qui aliquid dirum aliis imprecarentur, ut suo siue odio, siue dolori, satisfaciant alieno dolore. Qui autem ad

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A hunc finem suscitatur Leuiathan, ut sibi nempe adsit, quo possit aut iniuriam vlcisci, aut alterius incommodo suum leuare dolorem, aut idem faciat, quod ipse suis viribus præstare non potest, planè fatetur sibi minus esse virium, quam Leuiathan, quando ab illo sperat, quod à se fieri posse desperabat. His utcumque positis facillè ad reliqua incumbit commentatio. Nam primùm Deus non suscitatur quasi crudelis Leuiathan, quia illius viribus, & crudelitate non vitur, ut homines perdat, sed ut exerceat, & probet, & illorum virtutem splendere magis, & augeri faciat, quod paternæ charitatis est, non crudelitatis hostilis. Deinde non est cur eo spiritu excitari velit, cum & ipse præstare per se possit nullo negotio, quod alij sibi à Leuiathan præstari desiderant, & ideo ad hæc statim attemperantissimè subditur.

Quis enim resistere potest vultui meo?] Quasi dicat, cur ego alienam virtutem auxiliarem accersam ad quodcumque opus pro mea voluntate præstandum, cum nemo possit voluntati meæ, consilioque resistere? An cum omnia ad nutum mihi pareant, seque vel inuita versanda, aut fingenda meæ voluntati, ac potestati præbeant, externum auxilium mihi implorandum aut accersendum putem, ut actum agam, & obsequentia cogam, ut subiecta subiiciam?

Verf. 2. *Quis ante dedit mihi, ut reddã ei omnia que sub cælo sunt mea sunt.]* A nemine quicquam rogavi, quia alterius ope nunquam indigui, neque à quoquam aliquid accepi, neque me alicui debitorem constitui, quia nihil est à mea potestate alienum. Quare non suscitabo Leuiathan precibus, ut faciunt, qui in dolore aut offensione illius opera precantur, & sollicitant: vel quia non egeo, vel quia quicquid ille habet meum est, & imperio cogere illum, non precibus exorare debeo. vnde aptè post hæc.

Verf. 3. *Non parcã ei, & verbis potentibus, & ad deprecandũ cõpositis.]* Cum hæc ita sint, cur verborum tale monstrum occidere, cum virtus mihi ad tantam molis euerionem non desit: & de illo quasi de re omnino mea, iure meo liberè statuere possim, Quare nõ est cur illud verbis aggrediar

Tt 3 depre

deprecantibus, demissis, ac supplicibus, & ad A
persuadendum artificiosè compositis, cum co-
gere possim imperio, & deprecanti, ac suppli-
ci extremam asserre perniciem.

6. Hæc mihi omnium probantur maximè: sed
addo explicationem aliam, quæ alicui fortasse
non improbabitur, ita ut hæc non pertineant
ad Leuiathan, sed ad Iobum, quem hîc Domi-
nus reprehendit, & ad iudicium vocat, à quo
ipse prouocatus fuerat capit. 23. vers. 3. Quam
sententiam à cap. 40. versu 28. deduco: qui cum
principio cap. 41. coniungendus videtur, ubi
Deus directè dissoluit iteratam sepe Iobi que-
rimoniam. Oportebit autem verba ipsius Iobi
in præsentia præmitti, quæ nobis ad infor-
mandam hanc explicationem aperuerunt aditu-
m, & lucem præbuerunt. Sic autem ibi Iobus;
Quis mihi tribuat, ut cognoscam, & inueniam
illum, & veniam usque ad solium eius: Ponam cor-
am eo iudicium, & os meum replebo increpationi-
bus, ut sciam verba, quæ mihi respondeat: & intel-
ligam quid loquatur mihi. Nolo multa fortitudine
contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me
premat. Proponat æquitatem contra me, & perue-
niat ad victoriam iudicium meum. Tria hîc ut vi-
des ostendit Iobus, primùm cupere se ad Dei
solium venire, & coram illo queri, & suam
apud ipsum causam dilceptare. Neque dubita-
re se in eo legitimo congressu fore superiorem, C
alimmodo Deus non se in eo iudicio crudelem
ostendat. Id enim valet illud, nolo multa fortitu-
dine contendat mecum, &c.

7. His tribus responderet Deus. Principiò illum
ad iudicium vocat, & iubet, ut ad interrogata
respondeat à cap. 38. ubi dicit; Accinge sicut vir
lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi. De-
inde cap. 31. vers. 28. ait tam longè fore, ut in
eo iudiciali congressu Iobus euadat superior,
ut potius spe frustretur sua, & omnium con-
spectu, atque iudicio ignominiosè cadat. Tandem
in principio cap. 42. admittit à Iobo obla-
tam conditionem, & dicit in eo congressu se
non futurum esse crudelem, quod Iobus opta-
rat, & illius rationem probat, quia nemo erit,
qui ipsius possit vultus seueritatem, & oculo-
rum scintillantem aciem sustinere. Hoc enim
est, suscitabo illum nempe Iobum ad pugnam,
non ut crudelis, atque ideo non in multa con-
tendam fortitudinè, neque mole premam ma-
gnitudinis meæ. Hæc directò respondent tri-
bus rebus, quas sibi esse in votis Iobus antè
prædixerat. Nunc verò rationem reddit, cur in-
iusta sit aduersus Deum, & stulta Iobi queri-
monia. Cum enim quæcumque sunt in rebus,
Dei sint, neque ille quicquam ab hominibus
acceperit, propter quod illis aliquid debeat:
sed potius omnia ipse hominibus liberali ma-
nu largitus sit, nemo iuste cum eo expostulare
poterit, si quæ dedit reperat, & nudum relin-
quat, quem nudum inuenit, & multis deinde
locupletauit ornamentis. Quod Iobus ipse con-
fessus est cap. 1. dum dicit; Dominus dedit, Do-
minus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum
est: sit nomen Domini benedictum. Id verò quod
dicitur, non parcam ei, & verbis potentibus, & ad
deprecandum compositis, hunc habet sensum, li-
get ille sapius orauerit verbaque addiderit ad-
mixta lacrymis, quæ sunt ad exorandum po-
tentissima, & commouendum animum artifi-
ciosè concinnata, non tamen à me impetrabit,

ut ipsi, aut verbis supplicibus ignoscam. Quod
fecit hætenus, dum illum interrogando vehe-
menter vrget, & faciet ad finem vsque capitis
41. Hæc explicatio mihi valde placet: neque
certus sum e duabus extremis vtram amplectar
magis.

Vers. 4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* 8.
Longum videtur intercessisse hyperbaton à
versu 27. præcedentis capitis vsque ad hunc
locum, in quo omiſsa fuit marini monſtri in-
ſtituta deſcriptio. Iam Deus ad interrupta re-
uertitur, & pergit referre, quæ videri poterat
omiſſiſſe, & illius amplificat horribilem ſpe-
ciem: & prodigioſam molem ita munitam, ut
à mortali manu nullo, aut non niſi quàm diffi-
cillimo negotio penetrari, ac ſuperari poſſit.
Agit primùm de pelle, quam Leuiathan appel-
lat indumentum, quæ adèd eſt dura, ut diuidi
ferro, aut ſecuri nequeat, de qua plura ſtatim
verſ. 6. Facies autem indumenti ex Hebræorum
idiomate idem eſt quod indumentum: quo mo-
do facies gladij, frigoris, famis, idem eſt, quod gla-
dius, frigus, fames. Quare ſenſus eſſe poſſet,
quis pellem illius duram ferro diſcinderet?

Sed licet hæc explicatio pluribus placeat,
neque ego illam improbem, propiùs tamen vi-
deor dicturus ad textum, ſilumque ſermonis, ſi
hæc quæ ſuccedunt proximè ad illa referam,
quæ præcedenti capite à versu 19. dicuntur de
frano, hamo, & ſubiectiõne, denique Leui-
athan, ubi negauit Dominus ligari poſſe, & ad
hominum ſeruitutem adduci. Denique ſi ſta-
tuam in hoc capite rationem reddi illorum
quæ præcedenti capite negantur poſſe fieri.
Hæc autem verba ad illam partem reuoco cap.
40. verſic. 21. ubi negantur armillæ perforari
poſſe maxillæ Leuiathan. Et obſeruo vſitatam
eſſe in Scriptura figuram illam, quam Græci
vocauerunt hypallagen, Latini permutatio-
nè, aut ſubmutationem appellare poſſent, quæ
tunc contingit, quando aliqua permutato, aut
præpoſtero ordine dicuntur. Quomodo dixit
quidam ex profanis, *trade rati ventos*, qui recto
ordine dicere debuiffet, *trade rarem ventis*. &
illud; *Perſtauit fiſtula buccas*, pro *bucca perſtaurunt
fiſtulam*. In Scriptura frequentiffimus hic præ-
poſtere, & permutatè dicendi modus. Aliquot
hic adducam exempla, ne cuiſpiam durior vi-
deatur expoſitio, quam informare ſtudeo. Pſal.
18. verſ. 5. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, pro
in tabernaculo ſuo poſuit ſolem. 4. Reg. 9. verſ. 30.
ubi Vulgatus de Iezabel, *depinxit oculos ſuos ſti-
bio*. Hebr. *poſuit in ſtibus oculos ſuos*, pro poſuit
in oculiſuis ſtibiũ. Iudic. 1. 8. ubi Vulgatus,
Tradentes cunctam incendio ciuitatem. Hebr. *ciui-
tatem miſerunt in ignem*, pro *ignem miſerunt in ci-
uitatem*. & idem inuenies Pſalm. 73. verſ. 7. ubi
Vulgatus; *Incenderunt igni ſanctuarium tuum*. Et
ne longiùs abeamus, ubi vulgatus de hoc ipſo
Leuiathan Iob c. 40. v. 20. *ſune ligabis linguam
eius*. Hebr. *in ſune merges linguam eius*, pro *in
lingua eius merges ſunem*. Sic ergo hunc locum
per hypallagen expono, *quis reuelabit faciem
indumenti eius*: id eſt, *quis reuelabit indumentum
faciei eius*. Indumentum autem faciei eſt pellis,
quam perforare nemo poterit, ut in perfora-
tam maxillæ cutem armillam inducat.

Et in medium oris eius quis intrabit?] Nunc
ostendit fieri non posse, ut quisquam ha-
mo faucibus impacto, aut alligata lingua ex-
trahere

REGVLA.
Hypallage
apud He-
bræos vſita-
ta.

10.

trahere possit à gurgite Leviathan in aridum litus; quia nemo in illius os, & fauces ingrediatur, ut linguam capiat atque configat, aut infixo faucibus vno excedere cogat è marino gurgite. Hoc manifestè indicat textus Hebraicus qui sic habet; *Cum duplici freno suo quis intrabit?* id est, quis intrabit cum armilla, & hamo, ut illam maxillam, hunc linguam infigat. Caput autem balenæ rictus erectum hominem, ut testantur qui viderunt sepe in septentrionali oceano; at ut dicemus statim, oris claustra adeo horrent naturali munimento, & dentium acutissimorum vallo, ut nemo in locum illum quantumcunque capacem sese audeat immittere.

11. Vers. 5. *Portas vultus eius quis aperiet: per gyrum dentium eius formido.* Sicut in muris portæ sunt, id est, spatia diuisa & caua, quæ ingredienti admittit: sic in animalis vultu porta est oris rictus quem aperire nemo poterit, ut frænum iniiciat, & ad varia ministeria, sicut bouem obsequentem trahat, tum quia pars illa marinæ belluæ ingentis est molis, tum quia acutissimis vallata dentibus, quæ sui aspectu audacissimum quemque deterrebit, exanimabitque.

12. Vers. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia.* Quemadmodum perforari non potest maxilla, aut nasus, ut armillam accipiat, vel vncam: sic etiam neque vulnerari, aut in frustra concidi corpus, quia intectum est quasi æreis scutis squamatum consertis, quæ neque ferro discindi, neque vlla vi, aut machinatione diuelli, aut dissibulari possint. Squamæ enim quasi è duro chalybe formatæ ita se in prodigioso corpore tegendo constringunt, & cõplicent, ut in vnâ omnes coaluisse videantur. Quare neque patere potest vulnere lacus hiantibus, aut dissociatis squamis, neque perforatis adigi letale spiculum.

13. De Leviathan multa dicuntur, quæ in balenam non conueniunt.

Diximus supra cap. 4. versic. 10. dubium esse an de illa quæ communiter à nobis balena dicitur, hæc intelligantur, neque nobis eo loco tam probabatur communis opinio, ut non existimarem valde verisimile de alio quouis cetorum genere hunc esse sermonem. Dubitandi autem nobis hic locus occasionem dedit: nam multa hic proponuntur signa in marino môstro, de quo nobis sermo, quæ in balenam quam viderunt nostri, aut quam de re naturali auctores descriperunt, non inueniunt. Primum balenæ squamæ non sunt, deinde pelliculis adeo mollis est, ut humanis distringatur aut diuidatur vnguib; quam pertundunt, & lacerant vermiculi quidam marini, à quibus ipsa vehementer vexatur. Hæc sanè audimus ab his, qui frequenter in Catabrico oceano hanc belluam piscantur. Scio à quibusdam tradi duram esse cutem, ita ut perforari nequeat, ita Genserus libr. 4. de balena, & Galenus ab eodem citatus libr. 6. de vsu partium, vbi etiam dicit balenæ cutem esse propè insensibilem. Fortasse pro natura regionum variæ sunt huius prodigiosa belluæ proprietates, sicut in aliis rebus vsu plerumque venit, & ideo arbitror licet in oceano Hispanico balenarum pelliculis mollissima sit, in aliis eiusdem maris regionibus sub diuerso celo fuisse durissimam.

14. Quod ad squamas attinet, quas in balena nullus esse concedit, multo plus habet diffi-

A cultatis, & ideo ferebar licet inuitus in illam cogitationem, quæ aliquid hic accipit à balena diuersum, nisi dicamus quod S. Thomæ placuit, quod etiam Caietano visum est, & Pinedæ, hic agi non de toto balenæ corpore, sed tantum de ore, palato, totòque rictu, quod durissimum est, & ossibus quibusdam laminis rectum, quas hominum vulgus barbaram vocat balenæ. Et sanè hanc cogitationem verisimilem facit, quod tam quæ præcesserunt, quam quæ succedunt proximè, omnia ad os rictumque pertinent Leviathan. Squamatum autem vocari potest os illud, quod illæ inferunt laminae, seu verius asseres ex ossibus siue corneis tabulis, quas neque diuidet gladius, nec perforabit micro: neque configet, aut violabit sagittarius. Hæc pro communi sententia; quam ne deseram facit, & quod ab eo recedere nollem, quod plerique probant, & quod neque certam aliquam in cetaceo genere formam inuenio: in quam proprietates omnes hoc loco descriptæ omnino conueniant.

B Vers. 7. *Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Ita sunt illæ squamæ, siue corneæ laminæ in Leviathan corpore siue ore strictim consertæ, & quasi in continens aliquod corpus coalitæ; ut neque pars exigua spiritus in illarum iuncturis intercipi possit: quia videlicet spatij vacui nihil relinquitur, quod vel tenuissimam aëris particulam concipiat, & teneat.

C Vers. 8. *Vna alteri adheret, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Eadem est sententia, magis tamen explicata, quæ significat eo nexu colligari squamas, sic arte coniungi, ut artificio nullo diuelli, aut disturbari queant.

D Vers. 9. *Sternutatio eius splendor.* An hoc alicui monstro ex cetaceo genere contingat incertum est; naturali virtute posse contingere, nemini, credo, dubium est; de quo mox. Quidam quicquid hic de splendore, igne, fumo dicitur, ad aquas illas referunt, quæ per duas fistulas quàm longissimè sursum eraculatur balena; quæ splendores dicuntur, quia lucent, & candicant. Sicut apparet in fontibus, ex quibus magno impetu sursum vibrantur aquæ, neque aliter è magno incendio erumpit primum fumus, deinde flamma. Dicuntur porro de ore, naribusque procedere: de naribus quidem, quia fistulæ illæ, siue siphunculi, instar obtinent narium; de ore verò, quia quicquid aquæ hauserunt per os, tunc maximè cum illud habent in mari demersum, per fistulas eructant. Atque ideo de ore primum ad fistulas, & inde in aërem aqua distantur.

E Ego verò puto ex ore, & naribus, splendorem, fumum, & ignem erumpere. Rationem reddit Aristoteles libr. 2. Meteor. cap. 4. ea verò est, quia halitus animalis viscosus, pinguis, & calidus condensatur antiperistasi circumfusi aëris frigidi: & tandem inflammatur, sicut contingit in cometis, & in eo igne, qui dicitur fatuus. Hinc sepe videmus in fumis equorum auribus emicare flammæ, quæ ex illorum halitu, & ambiente aëre exagitato, & frigido condensantur, & tandem ignescunt. Hinc duo illa lumina, quæ in summo nauium malo mirantur, & venerantur nauigantes: quæ antiqui Dioscuros, id est, Castorem, & Pol-

lucem, nostrates *santelmum* vocant: quorum materia est conuectorum vapor, ex anhelitu crasso; qui ab agitato in tempestatibus aëre condensatur. Quod in astris contingere docuit Plinius lib. 2. cap. 37. *Vidi, inquit, nocturnis militum vigiliis inbarere pilis pro vallo fulgorem effigie eis, & antennis nauigantium,* agebat autem ibi de stellis Castorum. Hinc saepe equi, & tauri dicuntur spirare ignes, quia reuera calidus, & pinguis anhelitus per antipenistasio accenditur. Exempla plura adduximus supra capit. 39. versic. 20.

79. Quod igitur de equis alij, id nos de balanis sentire, & dicere quis vetat? cum respiret balana, vt Aristoteles docet de respiratione cap. 5. & Plinius multis lib. 9. ca. 8. & S. Thomas hic calorem qui è balana visceribus egreditur, magnum esse dicit. Est igitur sternutatio eius splendor ignis, quia respiratio illa vehementior, anhelitus non tam sedatè efflat, quam eiaculatur vehementer, qui tum ex motu magis concitato, tum ex ardore naturali occurrente, & condensante aëre refrigerante accenduntur, & ardent.

20. *Oculi eius, vt palpebra diluculi.* Cum ex oculis maximè in furore & ira emicent flammæ, id tamen præcipuè in serpentibus, siue terrestribus, siue aquatilibus obseruatur antiqui, qui scintillas illorum oculis tribuerunt, & micantes flammæ. Sic sanè Virgilius draconibus enantibus è fluuio lib. 2. Aeneid. dedit

Ardentes oculos, suffectos sanguine, & igne.
& de serpente item aquatili lib. 3. Georg.

Exilit in siccum, flammantia lumina torquet.
Ouidius lib. 3. Metam.

Martius anguis erat cristis præsignis, & auro,

igne micant oculi.

Silius lib. 2. item de serpente.

Igneæ sanguinea radiabant lumina flamma.

21. Innumera occurrent exempla mediocriter attento. Tales oculos habuisse dicitur Leuiathan ita scintillantes, vt splendore quodam naturali micent, & ad hæc aliquid à furore splendoris accedat. Atque ideo fortasse palpebris diluculi, siue aurora dicuntur esse similes. In aurora etenim lux est subobscura, & turbida: & quia rarè orientalis illa plaga ante solis ortum est à nubibus omnino pura: quæ nubes sic lucent à sole illuminante, vt etiam rubeant, videri possunt oculi Leuiathan diluculi, palpebris non absimiles, quia non tam videntur lucentes, quam inflammari: & sicut lib. 2. Aeneid. dixit de duorum draconum oculis Maro; *Suffecti sanguine, & igne.* Ita hic Caietanus. Septuaginta legunt; *Quasi species luciferi.* Tunc autem oculi splendentes significantur: neque semel oculi, qui lumina etiam dicuntur, aut lydera vocantur, aut lyderibus similes.

22. *Ignis ex ore furoris indicium.*

Versiculo 10. *De ore eius lampades procedunt.* Hic locus, & qui proximè succedunt, iam ferme à nobis explicati sunt. Tantum enim significant quidquid est in ore aut ignem euomere, aut fumum: aut certè id quod facile inflammatur; aut ignem imitari. Quare in Leuiathan nihil est non horribile, cum oculi scintillent, os eructet incendium, fumet nasus, & vapor exhaletur, sicut ab olla, cui subijcitur ignis. Hæc ex dictis obscura non sunt. Illud obseruandum, hæc maxima existimari furoris signa,

A & ideo in Poëtarum fabulis adhiberi frequenter, imò & in historiis obseruari nonnunquam, sanè fumare in ira nasum vsu, penè prouerbiale est. Ab eo quod vsu plerumque venit, lib. 4. Georg. attribuit Maro Proteo *ardentes oculos.* & lib. 8. Aeneid. *Caco fumiferam noctem & commixtas igne tenebras.* vide quæ supra diximus c. 39. versiculo 10.

Versiculo 12. *Halitus eius prunas ardere facit.* Rationem videtur physicam ostendere cur ignem euomat, aut videatur euomere Leuiathan, quia halitus eius ita calidus est, vt ignem excitet in ligno, quod non solum facit intensus calor, quem ab immanis belluæ visceribus traxit, sed etiam incitatus motus, qui quo est acrior, eo est ad excitandum ignem vehementior. Sicut apparet in follibus, qui quo magis incitant flatum, eo citius incendunt materiam, & flammam exuscitant. Hic ego figuram intueor, quam aliis locis non semel obseruauit, & hoc ipso l. c. 22. v. 6. ad illud. *& nudos spoliasti vestibus.* vbi diximus rem interdum nõ ab eo, quod habet, sed ab eo quod habitura est, nomen assumere. Quomodo ibi dicuntur spoliandi nudi, cum tamen, cum spoliati sunt, nudi non essent, sed postquam fuerant illis indumenta detracta: plura ibi adduximus exempla. Sic etiam modò halitus Leuiathan dicitur inflammaturus prunas, cum tamen eo tempore ligna fuerint, quia illa ligna ab illo calido, & vehementi flatu ventilata in ignem & prunas conuertenda sunt.

Versiculo 13. *In collo eius morabitur fortitudo.* Egit hæc de capite Leuiathan, nunc suo ordine descendit ad collum, quod caput cum reliquo corpore coniungit. Plerique in collo Leuiathan significari dicunt illius robur, & dum in eo fortitudinem morari audiunt; fortissimum illum esse intelligunt, quod Aristoteles docuisse videtur in Physiognomicis dum ait, illos esse fortes, qui collum habent grossum, imbecilles autem, qui illud habent gracile. Quæ ego non improbo, quia & auctores habent non ignobiles, & quia nil occurrit tantum, quod nos ab illa sententia vehementer abducatur. Verum in aliam cogitationem magis inclinatur animus; quæ ad rem propositam magis videretur facere, & est, nisi me ipsum fallo, multo magis expedita sententia. *Fortitudo*, vt opinor, excellentiam significat in quacunque materia. Vnde fortitudo ponitur pro magnis opibus. Isai. 60. v. 5. & Ezech. 28. 5. & supra cap. 40. vers. 11. pro ardenti, profusaque libidine; *Fortitudo eius in lumbis eius.* Sic hoc loco fortitudinem sumi puto, pro immensa ingluuie, ac voracitate Leuiathan, quæ in collo est & in faucibus, in qua morari dicitur, quia nunquam illius satiatur fames, & expletur ingluuies. E Quare ad hanc explicationem accommodatè subditur.

Et faciem eius præcedit egestas. Hic iam plures habeo quos sequar, qui hæc de Leuiathan ingluuie, & voracitate interpretantur, quam nihil sedare aut explere potest. Quare quicquid obuium habet, quantumcunque illud pingue sit, & pro multorum fame sufficiens pabulum, egestatem putat: quia pro illo immenso gurgite quacunque rerum abundantiam stillam esse deputat, aut micam exiguam. Quod fortasse paulò antè significatum est in Behemoth, qui talem habuit sitim, vt absorbeat fluum, neque

23.

24.

Fortitudo pro excellentia.

25. *Leuiathan mira ingluuies.*

neque miretur, id est, neque magnum aliquid esse putat, si flauium exiccauerit: cum ipsius etiam Iordanis capacem habeat & sitientem stomachum. Ad hunc modum Alexandro magno egestas videbatur vnus mundus, cum multos appeteret, & satis pro multis habere se facultatis, & virium existimaret. Et qui multa desiderat, quæ iam expectatione deuorarat, si non omnia consequatur, inopem se vocat, & quicquid habet, tamen non exiguum, quia cupiditatem non exaturat, egestatem vocat.

16. *Verf. 14. Membra carniū eius coherentia sibi.* Descendit à collo ad reliqua membra, quorum magnam dicit esse compagem, & tantam ex ea firmitatem, atque duritiem, vt nullum timeat appulsū, nullum ictum, etiam fulminum, qui ex impenetrabili corporis tegumento resilient; neque eo perforato ad corporis interiora peruenient, aut certè neque sentiet se à fulmine percussū. Quare neque seipsum ab eo in quo confederat loco mouebit.

17. *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.* Duos hinc sensus ebullire videre mihi videor: alter illud non ferentur refert ad fulmina, quæ vsque ad eum inuenient vastam molem in hoc marino monstro, vt in ipso deficiant, neque ad alia, atque alia loca proximè transiliant. Quod faciunt plerumque fulmina, quæ vicina loca afflant, atque percutiunt: quam explicationem indicat S. Thomas. Vel quia certe ad alium locum non ferentur, quia durum corporis tegumentum non transferebunt, atque ideo in ipso languescunt, & consistunt cortice; neque ad illa quæ à pelle continentur, penetrabunt. Et hæc mihi sententia magis videtur expedita, in qua tamen aliquid videtur hyperbolicum.

18. Refertur item poterit ad Leuiathan, ita vt cum egregiè, sit à naturali tegumento, lorica-tus, non sentiat se à fulmine vel leuiter afflatum; quare non mutabit locum, neque relinquet pabulum, si tunc illud captabat, neque soluetur à somno, si illo dormire tempore contingat. Quæ explicatio placeret magis si illud ferentur non esset in multitudinis numero: nam licet aliquando pro singulari pluralis adhibeatur numerus, id tamen fit non ita frequenter, & tunc ad illud effugium, seu sanam solutionem confugimus, quando aliter sensus exprimi non potest idoneus.

19. Antiquæ, & recentes aliquot editiones, etiã vulgatæ pro fluminibus habuere flumina, cur ita reddiderint, fecit Latinarum vocum similitudo. Sed sanè vulgatæ, & Sixtiana lectio facili-or est. Si tamen lectionem illam admittas, erit sensus non difficilis; isque duplex: Alter est, non ferentur flumina, id est, fluent vterius, quia illa exorbebit, & exiccabit Leuiathan: vel non sinet vterius flumina defluere, si in medio fluminū transuersum se opposuerit Leuiathan, quia sua mole, quasi obiecto aggere sistet flumina. Quod videtur significasse, aut certè indicasse, ad hunc locum respectans Isaias cap. 27. *vers. 1. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.* Hic porrò locus Isaiæ satis indicat Leuiathan non esse balenã, quia illa non habet tortuosam molem, quæ variis conuoluatur spinis, & sinuosa feratur in-

A gressu: neque huic coniecturæ parum fauet locus hic quem modò commentamur, cum balenæ pellis ita sit mollis, vt à tenui paxillo perforari, & à vermiculis tenerrimis sauciari possit.

Verf. 15. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Au vlla sit Leuiathan naturalis in corde durities incertum est: officulum quibusdam animantibus esse in corde docet Plinius lib. 11. cap. 37. & in his numerat boues, & equos. idem de bobus Aristoteles lib. 2. de animal. cap. 13. at alicui esse ossæ, aut corneam habere duritiè, nemo dixit. Quare ego hæc non tam de Physica intelligenda puto, quàm de morali duritia. Quæ duplex est, aut enim non timet gladium, hastam, fulmen, quia cor habet impavidum: non secus atque incus malleorum verbera non meruit: aut quia non mouetur ad misericordiam: neque se continet ab aliorum piscium, seu animantium cæde, quorum carnibus insatiabilem exaturat ingluuiem. Hi autem duo immitium animalium affectus incudis, ac lapidis similitudine explicari solent. De priori est illud trimetrum Græcum, quod prouerbialem habet speciem ἀπὸρ μέγιστος ἢ φοβηταὶ τὸς ἰόπος, id est, maxima incus strepitum non timet. De posteriori exempla sunt plurima quæ dicunt crudelem, & inclementem, aut è saxo genitum, aut cor habere saxum.

C Vtrumque saxum, & ferrum in homine inclemente, & sauo coniunxerunt Poëtæ. Quidius 1. Tristium eleg. 7.

Et tua sunt silicis circum præcordia venæ,

Et rigidum se, vt femina pectus habet.

Idem lib. 9. Metamor.

--- Neque enim de Tygride natus,

Nec rapidos silices, solidumque in pectore ferrum

Aut adamantæ gerit, nec lac bibit ille leonæ.

Tibullus lib. 1. eleg. 2.

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro

Vincta, nec in dura stat tibi corde silex.

Verf. 16. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Hic locus variè à variis

D exponitur. Ego hanc expositionem germanam ac simplicissimam puto, vbi primùm seipsum Leuiathan è sua sede, id est, ab infimo gurgite sustulerit, timebunt etiam fortissimi. Quod intelligere possunt, qui rei nauticæ aliquam operam dederunt, vel quia dorsum aut caput à summis fluctibus extare vident: aut quia ad illius motum feruere videtur mare, non aliter atque si grauis inceperit tempestas ingruere, æstus autem marinus, vbi nullus perflat ventus, aut exterior causa, tempestatis censetur certum & illustre prognosticon. De quo multi variè, Cicero lib. 2. de diuinatione;

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros

Inflatum mare, cum subito, penitusque turre scit.

Seneca in Thyeste,

Imminet nautis fera tempestas

Cum sine vento tranquilla tument.

Plinius lib. 18. cap. 35. cum dixisset, in tranquillo mari internū murmur, & spumas dispersas, & bullantes aquas tempestatem prædicere, addidit; *Sæpe & in silentio intumescere, flarique altius solito, iam intra se esse ventos fatetur.* Quare cum mare sine vento feruere, aut intumescere viderint nautæ, quia tempestatem imminere, aut ibi latere Leuiathan, ac tandem sursum illum moueri suspicabuntur, timebunt, quantum

30.

Cor ferreū,
seu saxum,
quid.

31.

Cum sine
vento mare
feruet, tem-
pestatis pro-
gnosticon.

32.

quantumcunque animo sint impauido, ac forti, cum obuersi sibi ante oculos mortis periculum non temere arbitrentur.

33.

Angeli cum ex communi usu substantiam significant spiritualement, & incorpoream, interdum tamen significant id quod in rationali natura excellit plurimum; quocumque illud genere praestare cotingat. Sic Malach. c. 3. & idem c. 2. Sacerdotes Angelos appellat. Sicut etiam Paulus 1. Cor. 11. & Apocal. 1. septem Episcopi septem vocantur Angeli: & qui a sapientia, pulcritudine, aut alia ingenua dote laudantur, cum Angelorum venustate, aut scientia conferuntur. Qui igitur scientia excellunt nautica, & ipse etiam usus, & pericula frequenter adita fecerunt, ut animo essent impauido, ac forti, bene possunt aut vocari Angeli, aut cum Angelis in eo genere conferri. Sed hic non est illa vox, quae communiter ad explicandam Angelorum naturam assumitur, sed *עלמ* *elim*, quae *fortes* significat, & ita ferme conuertunt omnes recentiores interpretes.

54.

Et *territi purgabuntur.* Multi hic obscenum aliquid meditantur, & meo iudicio, loci sanctitate, & diuinis verbis minus dignum, quod miror in tot hominum doctrina, & pietate insignium cogitationem venire potuisse. Dicunt enim his hominibus, quos marinae huius belluae motus, aut aspectus horrificus terrefaciet, illud euenturum; quod patiuntur homines, & natura pauidi, & subito aliquo terrore percussis, nempe, ut aluo soluta effluant ciborum excrementa. Haec cogitatio ne videamur prorsus ad illam nauseare, confirmari a suis auctoribus possit, primum ab ipsa rerum natura, quam quotidiana timidorum experientia confirmat: cuius causam reddit Aristoteles sectione 4. problem. 10. & lib. 4. cap. 5. de partibus animalium. Et idem ibidem docet, de vrina, quam metus euocat e vesica. Deinde quia idem Deus qui purgandos dicit illos, quos exangues reddet *Leuiathan*, non putat indignum effectu, aut signo non admodum dissimili, magnum, & subitum hominum metum significare. Sic enim Ezech. cap. 21. vers. 7. *Omnia genua fluent aquis*, ubi in aquis vrinam plurimi significari putant, quae sponte defluit in metu, sicut ventris onus: sic certe putat eo loco Hieronymus; *Pauoris*, inquit, *magnitudine vrina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica prohibere*. Quare non videtur usque adeo despuenda illa cogitatio, quae in purgatione ventris existimat significati proluiem, si non alia hic sese proderet ex his verbis, magisque decora sententia, non ego explicationem istam inuitus admitterem; sed sunt aliae & honestiores, neque minus accommodatae exponendi formae, quas iam assero,

35.
Tempestates
propter peccata
immitti
ipsas etiam
Gentiles cognouerunt.

Cum graui nauigantes iactatione susque deque feruntur; & imminere putant extremum vitae diem; sua ipsi peccata detestantur, & damnant, propter quae a Deo scelerum vindice luere se credunt debita supplicia. Quod etiam ipsi Gentiles agnouerunt, qui propter peccata immisam esse tempestatem putarunt: & horribile contigisse naufragium. Eam esse causam censuerunt Graeci, cur graui tempestate Aiaceis Oilei classis perierit. De quo Iuno apud Maronem lib. 1. *Aeneid.*

*Pallasne exurere classem
Argiuum, atque ipsos potuit submergere ponto*

A *Vnius ob noxam, & furias Aiaceis Oilei.
Dissecitque rates, cueritque equora ventis?*

Mille possem afferre exempla; sed erit vnum pro mille apud Ionam cap. 1. vers. 10. ubi Gentiles nauae ex naufragio cognouerunt aliquod a Iona admissum esse scelus, cuius & ille poenas lueret, & alios in idem traheret exitium, quare placare Deum voluerunt immolatis victimis, & votis religiose nuncupatis: sic puto purgari, qui peccasse se credunt, & purgari student ab admissio scelere.

Alia succurrit explicatio, satis ad rem ipsam, & Hebraicum textum accommodata, ubi *Vulgatus* purgabuntur, Hebr. est *יִתְחַטְּטוּ* *ithchattau*, quod in *hithpael* significat expiare se a peccato. Quare necesse est, ut expiatorium opus aliqua praecedat moralis macula, qualis est a peccato, aut ab insipientia, qualem in re nautica contraxisse videntur illi, qui ab illius monstri aspectu terrefacti, in regenda nauis disciplina nautica multipliciter peccant. Quorum stuporem, & exanimatum peccus descripsit *Ouidius* lib. 1. *Tristium* eleg. 2. imminente naufragio:

*Rektor in incerto est, nec quid fugiatve, pe-
tatve,*

Inuenit, ambiguus ars stupet ipsa malis.

Sed multo melius explicuit *David* *Psal.* 106. vers. 25. *Stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt usque ad caelos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Contingit in Scriptura sacra per sepe, ut expiatio, seu excusatio criminis, aut errati, pro ipsa sumatur culpa, vel errore, pro quibus illud expiatorium opus, quodcumque fuerit, assumitur. Est enim in omni literatura frequens, ut in consequenti id, quod necessario praecedat, intelligatur. Sic redemptus dicitur qui captiuus fuit, sanctificatus qui pollutus, solutus qui ligatus, quia nisi captus, pollutus, aut ligatus fuisset, nunquam diceretur redemptus, sanctificatus, aut solutus. Imo, & huiusmodi consequentia nomina pro his quae antecessere capiuntur, licet quod consecutum videri poterat, nunquam acciderit; ita ut quod pollutum est, sanctificatum dicatur, & expiatum, quia expiari, & sanctificari debet. *Leuit.* 6. vers. 27. ubi sermo est de hostia pro peccato; *Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.* Quod vero ibi non sequatur sanctitas, sed potius immunditia, quae purgari debeat, docet quod statim sequitur; *Si de sanguine illius vestris fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto; vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quod si vas aeneum fuerit, defricabitur, & lauabitur.* Et *Deut.* 22. v. 9. *Non seras vineam tuam alieno semine, ne & sementis, quam fecisti, & qua nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, id est, eiusmodi sint, ut sanctificari debeant, aut mundari. In quam sententiam exposuimus in nostris commentariis illud *Isai.* c. 13. v. 13. *Et merces eius sanctificata Domino*, id est, execrabiles Domino; ubi in hanc sententiam plurima. Quare illud, *Territi purgabuntur*, hunc habere videtur commodum sensum; *Territi* errabunt, aut peccabunt in regenda nauis, cum perturbatio, atque aestus omnem a nautis scientiam, imo & mentem expectoret. Quare facient tunc, quod deinceps purgare, aut excusare debeant.

36.

37.

REG VLA.
Expiatio, seu
excusatio
culpa pro ipsa
culpa.
REG VLA.
In consequenti
id quod
necessario
praecedat, in-
telligitur.

Tertiam

38. Quis in periculo sunt, vota faciunt, & reddunt.

Tertiam accipe expliationem non admodum diuersam à secunda. Qui in tempestate præfens vitæ periculum declinare student; vota faciunt pro salute, & seipsum nuncupari voti reos constituunt; eo maximè rerum articulo, in quo ab humana solertia nullum occurrit mortis effugium. Quod item fecerunt quàm sepiissime alij qui variis, atque periculosis morbis iactati, aut granibus periculis defuncti sunt. De illis Cicero lib. 2. de natura Deorum; Tu, inquit, qui Deos putas humana negligere, non animaduertis ex tot tabulis pictis, quàm multi vim tempestatum effugerint, in portumque salui aduenierint. De his Tibullus eleg. 1. ad Iliam.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mēderi

Picta docet templis multa tabella tuis.

Qui autem vota nuncuparet, reus iudicabatur & damnatus voti, donec illud impleret. Qui loquendi modus vsitatus erat apud Latinos. Lilius sæpe damnari ciuitatem dixit suscepti voti, quod item Virgilius dixit Ecloga 5.

Tibi sic vota quotannis

Agricolæ faciant, damnabis tu quoque votis.

Idem lib. 5. Aeneid. reum appellat voti, qui votum nuncupauit.

Du, quibus imperiū pelagi, quorum equora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in luttore taurum
Constituam ante aras voti reus.

39. Quis voti reus,

Vide quæ diximus supra c. 22. v. 27. ad illud, & vota tua reddes. Interim dum vota suscepta soluerit debitor, damnatus, aut reus voti existimari potest ille qui nuncupauit, & quodam modo impurus. Tunc verò ab hoc solutus, & purgatus macula censetur, cum ab hoc se debito primùm exoluerit. Quocirca perinde est vota concepra solvere, atque à debito, & quodammodo à scelere purgari. Ex tribus sententiis elige quam malueris, omnes enim videntur probabiles.

40.

Vers. 17. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax.] Persequitur Leuiathan explorare, atque explicare robur, & paucis significat, neque quicquam illi nocere posse, cum satis sit à natura contra omnium telorum genera munitus: quæ ille non aliter cedit, aut metuit, quàm stipulam, aut si quid est stipula frutuosus. Si quis, inquit, thoracem induerit heptabœum, qui nullo videatur spiculo penetrari posse: si omnibus se telis instruxerit, nullum vulnus infliget, quia in illius tegmine omne spiculum frangetur, resiliet, aut hebescet: Neque plus habebit momenti, aut firmitatis ad inferendam plagam marino illi & horribili monstro, quàm lignum putridum, aut ex stipulis aridis, aut ex arborum foliis confecta spicula. Hæc ad versum vsque 20. expliatione non indigent, omnia enim eò spectant, vt marini monstri amplificent robur; hominum extenuent, & tegumenta Leuiathan area esse dicat, hominum arma infantiles stipulas, & tenues guttulas. è molli pluuia, quæ scopulos feriunt, aut aliquid simile.

41.

Vers. 21. Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum quasi lutum.] Sicut variè hic locus à variis redditur, sic etiam in varia auctorum iudicia distrahitur. Hebræi pro solaribus radiis, acuta supponant testarum fragmenta, quod item secundo loco faciunt, pro iuro, & vsque ad eò quæ esse putant cutem, aut squamatam lori-

A cam Leuiathan, vt in acutis testis, aut petrarum acuminibus ita placidè dormiat, ac si supra lutum subactum, & molliter solutum requiesceret. Non longè ab his recedit Septuaginta translatio, qui ita conuertunt, lectus eius obelisci acuti, & omne aurum maris sub eo, sicut lutum inenarrabile. Theodotio ad uera Ierolovos, id est, ferramenta fabri. Aquila apud Iulianos, id est, acumina testarum, eodem ferme modo Chaldaus. Quod si ita accipias, expliatione difficilis non est; quam proximè indicauimus. Ratio autem tantæ diuersitatis orta est ex duabus vocibus Hebraicis, quæ ambiguum habent significationem. Prior חֲדָדִים chadudim, quæ significat acumina, quæ optimè figuram radiorum explicant, qui acuminati sunt, posterior est שֵׁרָפִים cheres, quæ testam valet, quomodo supra cap. 2. v. 8. vertit Vulgatus, quæ vox leui permutatione solem significat, si videlicet D quæ affixionem habet sonum pro W intelligas. Hæc nos iuxta aliorum translationem.

In vulgata translatione nostri etiam interpretes non satis inter se conueniunt, quidam in auro, radiisque solaribus squamas intelligunt splendentes, super quas incumbens quiescit, & dormit Leuiathan. Quibus verbis non solum ostendunt fortem esse Leuiathan, sed etiam splendendum: ita vt splendore, ac lumine nec ipsis quidem cedat solaribus radiis, & aurum præ sua pulcritudine non pluris faciat, quàm lutum. Quæ verba illius sunt qui in se summa omnia recognoscit, & in illis seipsum amat. Alij tantam esse molem prodigiosæ belluæ, vt radiis se solaribus opponat, & inducta quàm longissima umbra sicut faciunt montes, non patiatur latissima spatia à sole illustrari. Alij aliter, quæ mihi dura visa sunt, neque ad explicandum huius belluæ admirabile robur admodum opportuna. Ego hic duo cogitabam, alterum est solis radios, & aurum hoc loco speciem habere prouerbialem, & sumi pro eo quod magno apud homines habetur in pretio, & licet ista bruta neque curerent, neque cognoscant, fieri tamen solet, vt per prosopeiam, illam rebus rationis expertibus mentem, aut vocem demus, quæ vni tantum homini concessa sunt. Quare sub Leuiathan dicitur esse sol & aurum, & quod in rerum natura censetur esse maximum: quia non pluris illa facit, quàm lutum, quod sternitur, & calcatur ab omnibus. Aut certe, quia non solum de Leuiathan robore, sed etiam de illius agitatur sæuitia, hoc dicendi modo affectus ille crudelis, & ferox explicatur optimè, & fortasse prouerbiali forma in hunc sensum: non cohibebis huius monstri furorem, etiam si illi suauißima quæque offeras, & quæ illi accidere potuere gratissima, quæ lucis, & auri nomine significari solent. Hæc certe apud homines censentur maxima, & ab hominibus figuratè traducuntur ad belluas.

Lux, seu, quod idem est, solares radij, à quibus lux ipsa prouenit, eo loco habetur apud omnes, vt nihil illa existimeretur esse pretiosius. De qua est illud Eccl. 11. v. 7. Dulce lumen, & delictabile est oculis videre solem. Neque Tobias c. 5. putabat quicquam sibi posse accidere iucundum, cum cæli lucem non videret. Sanè Gentes, cum charissimum sibi aliquid significare volunt, à luce sumunt similitudinem: & ideo quos amant, aut quibus bene cupiunt, blandimento appellant amatorio suam lucem. Et vt Anna apud Virgiliū

Lux & aurum prouerbialiter pro rebus maximè pretiosis.

43.

lib. 4. *Aeneid.* suam sororem sibi esse charissimam ostēderet, suū in illam animū hoc modo significauit; *O luce magis dilecta soror.* Quo in pretio sit aurum, illud satis argumento est, quod quæ pretiosa sunt, & pulchra, aurea in omni ferme idiomate vocantur. Cū autem vehemens est affectus siue odij, siue amoris, neq; auri, neque lucis habetur ratio, sed omnia hæc pessundantur, quasi aliquid vilissimum. De quo odio, studioque vindictæ dixerunt antiqui. Claudianus de bello Getico.

*Inuisum miles cupiens haurire cruorem
Per varias vestes, onerataque claustra metallo
Transit, & argenti cumulos; & cadis auarus
Contemptas proculcat opes, pretiosior auro
Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri
Ira furens strictis odiū mucronibus horret.*

44. *Aurum ab irato & appetente vindicta conuenitur.*
In Scriptura sacra hoc ipsū audimus de Chaldaeis, qui tam sitiebant Iudæorum sanguinem, ut nullæ oblatae opes illorum furorē retardarent, aut animorum aliquantulum ardorem remitterent. Sic sanè Sophonias c. 5. v. 18. *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die ira Domini.* Isai. c. 13. vers. 17. de Medis contra Babylonios; *Ego suscitabo contra eos Medos qui argentum non querant, neque aurum velint, sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus uteri non miserebuntur.* Dixerat autem de illis paulò antea v. 12. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo, quem versus nos paraphrasticè sic expressimus: is erit Persarum, ac Medorum ardor in euertenda vrbe, id in ciues Babylonios odium, ut nemo possit oblato auro ab hostili ferro vitam redimere. Erit enim vir longè auro pretiosior: quare in illum multo inflammabitur magis vindictæ studium, quàm in oblatum aurum auaritia. Idem fuit Gabaonitarum odium in Saulem, quod his expressere verbis: Non est nobis super argento, & auro questio, sed contra Saul, & contra domum eius.* lib. 2. Reg. cap. 21.

45. Hæc mihi explicatio non videtur difficilis. Sed addo tertiam, quam tamen nemini persuadeo, licet non videatur prorsus improbabilis. Non curabat Leuiathan gladium, non hastam, non sagittam, aut fulmina, sed timere aliquid præterea posset, quod esset aliquibus ex aquatiliū genere nocentissimum; nempe solis radios, qui non secus atque venenata spicula exitium afferunt his, quæ ex alto ad solis aspectū, & summas aquas emergunt. Aliquid eiusmodi legisse me aliquando meminisse videor, sed locus non succurrit: illud scio, aliquibus piscibus à solis radiis contigisse mortem: sic enim illos in summis innatantes aquis torrent, & exsiccant, ut deinde demergi non possint, & in sua se recipere latibula: quare prædæ fiunt piscatoribus & etiam carnioris auibus, quæ ad illos inuolant, & ad uncis vnguibus obripiunt. De muræna dixit Martialis lib. 13. epigram. 80.

*Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.*

Hoc idem Macrobius docet lib. 5. Saturn. c. 15. quod commune dicit cum anguillis. *Accerserantur, inquit, murene ad piscinas nostræ urbis ab usque freto Siculo, quod Rhegium à Messana despicit. Illic enim optima à prodigijs esse creduntur tæberculæ quàm anguilla, & utraq; ex illo loco Græcè, & ἄλαι vocantur, Latine stuta, quod in sommo superuolantes sole torrefacta curuare se posse, & in aquâ*

A mergere desinunt: atque ita faciles capti fiunt.

46. Aliam ob causam timeri possent à Leuiathâ radij solares quia sæpe à sole siccantur stagna & lacus ingentes, & pisces, qui in illis aluntur, & regnant, extinguntur. Quod contigisse aliquando cecinit Dauid Psal. 106. v. 33. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarū in sitim.* Quod minatus est Deus Isai. c. 19. vers. 5. *Arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur, & deficient flumina, & mærebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum.* Ezech. c. 30. v. 12. *Et faciam alueos fluminū aridos.* Plura hac de re diximus in nostris cōmentarijs super Oseā ad illud c. 4. v. 30. *sed & pisces maris cōgregabuntur.*

47. B Sed quid iuxta hæc de eo quod in altero hemistichio ponitur; *Et sternit sibi aurum quasi lutum?* Sanè aut in auro contineri omnia belli subsidia, siue ad declinandum, siue ad inferendum vulnus ab arte profecta: omnia enim siue bellorum instrumenta, siue ornamenta pacis, quia auro comparantur, aurū appellari nō immeritò possunt; quomodo quidā ex prophanis dixit, aurea nunc esse sæcula, quia nihil est auro nō venale. Aut certè iteratam esse sententiā, & solis radios appellari aurum, quia illi aurei videntur; & vulgari consuetudine, à qua sacra Scriptura nō abhorret, tale aliquid esse dicitur, quale apparet, & ab ea similitudine nomen sumit. Sternit itaque sibi aurum quasi lutum, quia non magis illud aut timet, aut curat, quàm lutum, in quo se volutat, & versat.

48. C Vers. 22. *Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cūm vnguenta bullium.* De hoc maris siue feruore, siue æstu diximus proximè ad illud v. 16. *Cū sublatus fuerit turbabuntur.* Et quidem ipsa fert rerum natura, ut si magna moles in aquis moueatur, aqua ipsa moueatur, & ferueat. Quòd si de balana sermo sit, quæ per fistulas, quasi salientes eiacularur aquas, multò magis apparet feruoris huius euidentis causa. Vt enim in fontibus aquarum ab imo solo scatebræ totam aquam fontanā ebullire faciunt; sic etiam vibrata per fistulas, magno, ut apparet, impetu, illa vis aquarum facit, ut mare, aut lacus spatium non exiguo ebulliat, & ferueat. Quomodo quædam è genere cæteco excitare videantur tempestates, vide *Ælianum* lib. 20. c. 2. & sanè *Plinius* lib. 9. cap. 7. à respirante ceto aquas sufflari dicit, & tumere bullis.

49. D Vers. 23. *Post eum lucebit semita; æstimabit abyssum quasi senescentem.* Hoc quoque ingentis molis argumentum est: nam quemadmodum cū magna se naui mouet, viam post se aut viæ vestigia in æquore diuiso atque sulcato relinquit, & in ea spumas, quæ vastam molem illac transisse significant: Sic etiā cū maris aquas summas innatat, & sulcat Leuiathan, lucentem post se semitam, & spumis albescentem relinquit. Quod si splendentes habet squamas Leuiathan, aut tersam, atque micantem cōcham, semita itē illius lucebit, aut splendore illius in aquarum profunditate repercusso, aut quia res contenta pro continente ponitur, ideo lucere dicitur via, quia is lucet, qui in via est.

50. E *Æstimabit abyssum quasi senescentem.* Quidā in senescente abisso mare intelligūt domitū à Leuiathâ, cū illius cōparatione infirmū videatur & debile, qualis esse solet homo à senectute iā exhaustus; & sepulture proximus, qui à robusto iuvene

Pisces quidā à sole torrefacti mergi non possunt.

Lacus & flumina aliquando siccata.

iuuene nullo negotio superatur. Sic Leuiathan putabit pro sua magnitudine abyssum esse exiguum, quàmque ipse exorbere possit, & exicare. Ego hoc posterius hemistichium prioris explicationem esse arbitror, neque aliud esse quàm ad ipsius motum, cum ad summas aquas emerit, inflari aquas, & commoueri, & spumis, bullisque candicare. Pro tanta verò magnitudine, ac motu, verisimile est magnum hinc inde spatium spumis ac bullis esse conspersum. Quare Leuiathan totam abyssum senescentem putabit, id est, albicantem spumis, sicut canis albicat senile caput. Est autem vitatum valde, vt canum, aut incanescere mare dicatur, quando aut ventis, aut nauigiorum motu, aut remorum pulsu spuma conspergitur. Sic Maro cum nauale Augusti, atque Antonij bellum describeret, incanuisse canit mare spumantibus fluctibus lib. 8. Æneid.

*Hac inter tumidi late maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant carula cano.*

Catullus in Argonautis,

Totaque remigio spumis incanuit unda.

Ouidius epi. Briseidis,

*Quam sine me Phthiis canescant equora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.*

Verf. 24. *Non est super terram potestas, qua comparetur ei.*] Conclusio est longæ descriptionis, nam cum protulisset plurima, cæque siue vastitatem belluæ, siue robur consideres, horribilia, & vasta, tandem concludit nihil in terris esse, quod cum illa in utroque genere comparari possit. Comparatio porò videtur facta inter aquatile illud animal, & terrestria. Quod si magnitudinem spectes, nemo dubitat, quæ enim in terris animantia censentur maxima, longo tamen ab aquatilibus vincuntur interuallo: puto etiam & viribus. Quare aptè subtexitur, quasi ad explicationem huius loci, tantum esse huic marino monstro à natura concessum, vt nulli cedat, nullum timeat: quia suam super omnes excellentiam agnoscit. Id enim valet illud; *Qui factus est, vt nullum timeret.*

Verf. 25. *Omne sublime videt.*] Hæc verba tres admittunt explicationes, cæque non difficiles. Prima est, videri omnia sublimia à Leuiathan, sed ita videri vt illa despiciat, quasi longè minora, neque illa iudicet digna, in quæ suas vires, & cogitationem intendat: sicut de leone dicitur, quod neque in summa fame ad ignobilem sese prædam abiiciat, quia id generoso pectore iudicat indignum. Ita putat Gregorius, neque longè est à sacræ Scripturæ consuetudine, quæ hoc verbo contemptum significat, vt Psalm. 21. v. 18. *Considerauerunt, & inspexerunt me.*

Secunda est huic contraria, quæ rerum magnarum illi studium, & cupiditatem attribuit, ita vt nil meditetur nisi magnum, illud appetat, ad illud anhelet: quod superbi est, & omnia sibi promittentis animi. Ita cum S. Thoma sentiunt Latinorum plerique,

Gasp. Sanctij Comment. in Iob.

A Tertia est, hanc belluam timere nihil, quantumuis illud sublime sit, & omni ratione formidandum. Quare occurret omnibus intrepida, & oculis non conuiuentibus aspiciet. Ex his elige quam malueris: neque ego statutum habeo, quam maximè probem.

Ipse est Rex inter omnes filios superbia.] *Filius superbiae* iuxta Hebraicū idioma idem est, quod superbus. Superbus autem licet arrogantem plerumque spiritum importet, & elatum animum, qui cedat nemini: tamen omne excellentiæ genus in quacunque materia, atque ordine significat. Qualis gloriosus, & fortunatus status & quæ sine vlla reprehensione, ac vitio homo prudens, ac sedulus, aut industria consequitur lua, aut accipit à Domini liberali manu. Isai. c. 60. de Ierusalem; *Pro eo quod fuisti derelicta, & c. ponam te in superbiam seculorum.* Prouerb. 8. vers. 18. de sapientia; *Mecum sunt diuitiæ & gloria opes superba.* Ex prophanis vnus Virgilius multa nobis suppeditabit exempla libro 2. Æneid.

*Hinc populum late Regem, belloque superbum
Venturum excidio Libya.*

Et lib. 3.

Barbarico vinctes auro, spoliisque superbi.

C Est igitur Leuiathan Rex inter filios superbiae, id est, inter præstantes magnitudine, ac viribus præstantissimus, quique nemini amplissimis naturæ doribus putat esse cedendum.

De Leuiathan, vt est symbolum Diaboli.

Hactenus de Leuiathan, vt de singulari aliqua, & aquatili fera diximus, quod visum est nobis verisimile. Nunc allegorico sensu, quando id interpretum plerisque maximè placuit, hæc eadem de Diabolo rursus exponamus, de quo sensu agemus multò strictius, quia res minus obscura est, & in quam omnium scriptorum præcipua, ac maxima incubuit commentatio. Quia verò cap. 40. à versu 20. agi cœptum est de Leuiathan, inde nos deducemus de Diabolo allegoricum sensum.

Ex cap. 40.

Verf. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo.*] Magna est Diaboli potentia, præsertim in suo regno, in deliciis videlicet, quæ significantur in aquis, quæ fluidæ sunt, & facile labuntur, aut in tenebris, vnde sine errore plerumque iaculatur, id est, raro ab eo scopo decerrat, in quem infecta veneno tela destinarat. Extrahere autem illum ex occultis sinibus, & obscuro aquarum gurgite ad littus, & lucem, vbi illius detegantur insidiæ, & à voluptatum cœno, in quo seipse volutat, & alios insidiosè conspurcat, magni est consilij & diuinæ solertiae.

Et fune ligabis linguam eius.] Demones ab affectu moti dicuntur, aut multiloqui, & garruli: vt difficile est linguam expedire illorum, quos metus, aut pudor reddidit elingues: sic facile non est linguam constringere loquacem, & tinnulam, quæ multorum malorum seminarium est: vt enim ignis modicus magnam syluam incendit,

V u dit,

51.
Magna bel-
lua terrestri-
bus multo
maiores.

52.

53.
Superbum
idem interdum
valet
quod eximium
& excellens.

54.

55.
Diabolus in
suo regno, id
est, in volu-
ptatibus, &
tenebris po-
tentissimus.

56.
Linguam
coercere, &
moderari
difficile.

dit; sic lingua, quæ ignis instar est, & iniquitatum vniuersitas, grauissima in mundum intulit incommoda, vt ait Iacobus cap. 3. vers. 5. Quæ damna atque incendia latè profecutus est Ecclesiasticus cap. 28. vers. 16. Quare oportebit hanc linguam ligari, & illi inducere aut frænum tanquam equo, aut tanquam nauigio gubernaculum. Qua de re Iacobus supra; *Si autem equis fræna in ore mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus: Ecce & naues cum magna sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat, &c.* Porro linguam maledicam, detrahentem, impuram linguam esse Diaboli quæ ligari debeat, dixit Chrysostomus homil. 52, in Matth. vbi dicit infrænem linguam, & indomitam esse Diaboli vehiculum, & homil. 51. ad populum, linguam iracundam, mendacem, impuram, à Diabolo moueri dicit. Quæ sententia nimis est Sanctis, & Patribus familiaris.

Qualis Diaboli lingua.

57. Vers. 21. *Numquid pones circulum in naribus eius.*] Difficile est subiicere, & sub iugum agere illum, qui suo sibi iugo vniuersa putat esse subiecta: neque hoc humanæ virtutis est cui illudit Diabolica sagacitas, quæ in naribus exprimitur, quæ procul res odorantur, & acerrimo iudicio futura coniectant. At Deus turbabit Diaboli consilia & excidere faciet inania; & hamum seu circulum impinget naribus, faciétque vt illorum saluti seruiat inuitus, & infrendens, cuius vitæ assiduas moliebatur insidias. vide quid hac de re supra in allegorico sensu de Behemoth vers. 19.

58. Versic. 22. *Numquid multiplicabit ad te preces, & loquetur tibi mollia?*] Qui superbi sunt, etiam dum vincti iacent, & imminere iugulo gladium vident, spiritus tamen retinere solent insolentes. Quod de gladiatoribus gente exauctorata, & ignobili dixit Cicero Tuscul. 2, qui ignominia sibi esse ducunt, si timidè videantur mortem oppetere. Quare non patiuntur pro ipsis ab aliis intercedi, neque ipsi deprecantur, aut iugulum porrigere iussi illud contraxerunt: *Quis, inquit, mediocris gladiator non modo sterit, verum etiam decubuit turpiter? Quis cum decubisset, ferrum iussus recipere collum contraxit?* Seneca epi. 30. *Gladiator tota pugna timidissimus, iugulum aduersario præstat, & erra autem gladium sibi attemperat.* Talis est Diabolus, qui victus non abiicit animum, sed iterum ac sapius repetit pugnam & se adhuc terribilem ostentat. Multi homines superbissimi ne subirent oculos aduersarij victoris, in sua sibi viscera ferrum adegerunt. Quod probarunt posteris, qui parentis sui Diaboli hauserunt spiritus, quorum sic sunt insaniam illam, quam ipsi ingenuam appellauere constantiam, admirati, vt penè Deos fecerint; & exemplar proposuerint honestæ disciplinæ. Tamen qui supplex esse noluit hominibus, supplex Christo fuit, orauitque, quasi magnum existimauerit beneficium, vt quando ab hominibus exire cogebatur, permitteretur tamen porcorum corpora subire. En quo se superbus illè spiritus abiicit.

Superbus mortem optavit, ut ignominiam aueret.

59. Versic. 23. *Numquid feriet tecum pactum,*

A *accipies eum seruum sempiternum?*] Facit vilissimus ille spiritus cum hominibus pactum, & ex pacto illis aliquandiu seruit in ministeriis interdum sordidissimis; quæ obeunt non grauatè; dummodo illos tandem diu delusos in sempiternum exitium trahat. Sed non erit pactum illud sempiternum, quia cum vitâ finitur, quam rarò contingit esse longam, certè non diu fortunatam. Sed pactum cum Deo licet inuitus inuit seruitutis sempiternæ. Neque enim quicquam contra quàm Deus permittat, aut iubeat, in æternum tentabit. Quod satis ostendit in causa Iobi quem cum extinctum cuperet, nihil tamen tentauit, quia nihil à Deo in illius vitam concessum est: neque in illius filios, seruos, & armenta potestatem haberet vllam, nisi diuinitus concessam habuisset. Nam prius cap. 1. vers. 12. potestatem dedit in bona, non in corpus; *Ecce vniuersa qua habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* Ab hoc imperio ius habuit in omnia bona Iobi, quæ funditus euertit, non tamen in corpus, à quo crudelissimas continuit manus. Deinde cum in corpus illius, non tamen in vitam potestatem accepisset cap. 2. vers. 6. vexauit vehementer corpus, afflixit animam, non tamen eripuit.

Verf. 24. *Numquid illudes eum quasi ani, aut ligabis eum ancillis tuis?*] Quem exhorrescit homo, Deus hominibus illudendum tradidit, non secus atque auicula illigata pedibus, mille puellis, & ancillis, iocos præbet. Et sanè ita accidit Euangelij sæculo, vbi Diabolus Apostolorum pedibus calcandus subiicitur, Lucæ cap. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & supra scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Et Isai. cap. 11. hoc ipsum promittitur infantibus; *Delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis.* Quàm Dæmon viris sanctis fuerit euangelico tempore ridiculus docent Ecclesiastici annales, & nostris temporibus vidimus exempla non minùs frequentia, quàm illustria. Sanè S. Ignatius pater noster, Diabolum varias molientem fraudes, & species obiiicientem, modò augustas, & placidas, modò horribiles, & minaces aded non timebat, vt baculo per contemptum quasi ludibundus abigeret.

D Versic. 25. *Concident eum amici; diuident eum negotiatores.*] Non assequuntur hoc humanæ vires, vt Diabolum apprehendant, & distrahant, & ex illius interitu aliquid compendij captent, illum tamen concidet Deus, & aliis deuorandum porriget, & per negotiatores suos in frustra dissectum non sine grandi vtilitate disperiet. Ille autem Diabolum discepit, & diuidit, qui illius distumpit retia, & detegit insidias, qui illius naturam, & dotes ab initio concessas, & omnia denique ornamenta, quæ in mundi exordio habuit amplissima, attentè meditatur, & minutim considerat, ex quo quantum sit peccati pondus, quanta Dei in peccatorem offensio, quantus æterni supplicij horror, & acerbitas, quàm Dei iudicium tremendum, intelligat. Hæc si viri Apostolici quasi negotiatores circumferant, idemque suis auditoribus, aut Diaboli membris, quæ idem manet supplicij pondus, euulgent, magnum capient ex hac negotiatione compendium: Aut si maus sume tibi viros aliquos superbos, & potentes, qui si nò Dæmones, Dæmonibus tamen fuerunt quàm simillimi.

Dæmoni pactum cum hominibus quale.

60. Dæmon euangelico sæculo contemptus, & ridiculus.

61. Diabolici lapsus consistit in derisio valedicendi.

62. Item illorum qui diuinitis abundarunt, & cum potestate vixerunt.

simillimi. Impetatores dico, tyrannos, Pharaones, Nabuchodonosores, Neronos, &c. qui ex membris solidissimis videntur concreti, qui cæci sunt ære, in quos bona omnia, orbisque delicia confluisse videntur. Deinde illos, & singula, quæ iam pridem extabuere, sigillarim considera: & hæc iam dissecta produnt in hominum conspectum venalia. Vbi nunc sceptrum? vbi corona? vbi maiestas? vbi satellitium? vbi illorum splendor, quæ vulgares perstringebant oculos? Quantum erit Evangelico negotiatori lucri, si concerpat, exenteret, exosset, & quò redacta sit illa adumbrata maiestas, videndum proponat. Sanè à suo auditore, nisi omnino obstupuit, obtinebit facile, vt quæ nunc admiratur, contemnat omnia, & detrimenta deputet.

63. Qui Deo servire vult, præparet se ad tentationem.

Verf. 27. *Pone super eum manum tuam, memento belli.* Magni negotij est Dæmonem ex suis extrahere latebris, extricare laqueos, & insidias eludere, ac tandem eò redigere, vt sit aliis ludibrio, & in frustra concisus mensas instruat. Quare qui hæc facere voluerit, & cum immani bellua suscipere certamen, necesse est se ad magna comparer bellorum discrimina; iuxta illud Eccles. 2. verf. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* In quam sententiam multa Patres, eaque grauissima. Qui ergo voluerit manum ponere super hunc Leviathan, id est, illi bellum inferre, necesse est belli meminerit, neque vitam sibi putet futuram otiosam, & inertem. Plura ad mores adduximus in literali sensu. Adde quæ ad hunc locum addidit Hieronymus, vbi dicit iuberi à Deo Iobum vt recorderetur, quàm durum à Diabolo certamen sustinuerit, & inde colligat, se non tam sua quàm diuina potentia in eo congressu fuisse superiorem: & potius gratias agat Deo, quòd sibi in illo agone patronus adfuerit, quàm queratur se ab illo in eo discrimine fuisse derelictum. Et ideo dixit: *Memento belli, nec ultra addas loqui.*

Victoria de Diabolo Deo tribuenda.

De Leviathan symbola Diaboli ex cap. 41.

64. Verf. 1. *Non quasi crudelis suscitabo eum.* Ad versum vsque tertium ostendit Deus, quidquid habet Leviathan, non habuisse à seipso, sed à diuina manu quæ illum tot ornauit, ac roborauit modis. Hunc porro allegoricum Leviathan, id est, Diabolum non suscitauit contra Iobum vt illum perderet, quasi in illum hostiliter foret animatus, sed potius vt auget meritis; & futuris sæculis proderet potentia singularis immortale documentum. vide quæ diximus cap. 40. verf. 19. in sensu morali.

65. Diaboli callida consilia difficilia cogitans.

Verfic. 4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Non solum Dæmon leonis habet fortitudinem qua terrorem aliis incutiat: sed etiam vulpeculæ calliditatem, & dolam, quibus decipiat & transuertat incautos. Quare assumit sanctitatis speciem, & sub fucati medicamento candoris atram celat vitiorum turpitudinem: denique in Angelum se lucis transfiguratur. Nemo autem laruatam illam sanctitatem, & velamen honestum vulgari

Gasp. Sancti Comment. in Iob.

A tus minimè honesti detrahet: neque si velit penetrare in viscera, & intima explorare consilia, dabitur eousque penetrandi, aut seipsum insinuandi facultas, quia omnes ad interiora aditus occlusi sunt. Os horret dentibus acutis, & serrantibus, totum corpus ita tectum squamis, quasi ex ære fusili, vt neque pertenuè spiraculum admittat. Quare nemo quid vere sentiat, aut molliatur, aut quid falsò simulet, cognoscere potest. Quod si ex verbis illius mentem scrutere, neque inde certum aliquid capies, aut probabilem aliquam coniecturam quia verba obscura sunt, & obliqua; quæque in varias sententias assumi possunt, vt diximus supra cap. 40. ad illud; *Nervi testicularum eius perplexi*, & ad illud versic. 16. *Sub umbra dormit.* Quod hic etiam ostenditur, dum de ore eius dicuntur lampades ardentes procedere, & de naribus fumus, quæ omnia aut obiciunt tenebras, aut perstringunt oculos, ne videant quod maximè cognitum oportuit.

Verfic. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.* Scuta homines, sicut squamæ pisces ornant, & tuentur. Scuta Diaboli sunt viri improbi, maxime si ad mores profligatos, & impios auctoritas accedat, & potentia. Hi enim alunt vitia, quæ seminavit Diabolus, & ne expellatur ex arce, quam semel occupauit, curant diligenter, quia sua auctoritate timidam; credulamque plebeculam decipiunt, & à Diabolo prius seductam, ad eius castra traducunt, & sub illius signis militare cogunt. Hi scuta sunt ex ære fusili, qui latus Diaboli claudunt, & tegunt, neque illius vires à lege, metu, vel pudore debilitari permittunt; quia ipsi exemplo pessimo rebus turpissimis, abiectissimisque honorem, auctoritatemque conciliant, quo consilio in suo regno Diabolum confirmant, & tuentur.

66. Peccatores potius Diaboli causam mouent, & promouent.

Verfic. 7. *Et ne spiraculum quidem incedit per ea.* Armatus est sua obstinatione Leviathan, ita vt nullam admittat vel leuissimum salutis spiramentum, armatus squamis se prementibus, suis nimirum ministris, quales descripsi proximè, qui illius vires assiduitate, & multitudine corroborant.

Hæc quæ de Leviathan, id est, de Diabolo hæctenus dicta ex cap. 41. de his etiam dici possunt, qui Diabolice tentationi succumbunt; vt enim diximus de Behemoth, tale Diabolo attribuitur nomen quale meretur ille, quem Dæmon exagitanit, & aliqua ratione possedit. Quare Diabolus mutus dicitur, cæcus, & surdus, quia hæc humano corpori attulit incommoda: item fornicator, homicida, quia ad hæc vitia hominum obsequentes animos inducit. Et quidem vt dicit

67.

68.

Diaboles una cum peccatoribus persona.

E Gregor. lib. 10. Moral. cap. 11. *Quia antiquus hostis cum iniquis omnibus una persona est. Sic plerumque Scriptura sacra de iniquorum capite, id est, de Diabolo loquitur, vt repente ad eius corpus, id est, ad sequacis illius d. ruerit.* Quod item docuit hoc loco. Quare licet id agit Diabolus, ne à quoquam agnoscat, sed Angelus existimetur locis, cum tenebras amet, & illas maximè cupiat stultorum animis offundere; sic etiam id cupit vehementer

ter, ne si quod hominum mentibus venenum infuderit illud detegatur, vel vim amittat mortiferam, & apertum medico vulnus sanitatem recipiat. Hæc itaque quæ Diabolus in hominum mentibus seminavit, qualiter ab hominibus celentur, videamus.

69. *Vitia sæpe decipiunt specie virtutum.* *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Cùm in homine interdum eadem appareat in actione, ac vultu aut maximarum virtutum, aut vitiorum maximorum species, difficile est speciem illam ambigam, & larvam sanctitatis, ac vitij, è vultu detrahere, & ad intima se insinuare præcordia, ubi vera est, & non simulata sanctitas, & vitium nullo virtutum velamine fucatum. Hic sæpe ubi vindictæ est ardor, & invidiæ stimulus, zelus esse creditur, aut iustitiæ studium, ubi est dissoluta leuitas, & mera nugacitas, affabilitatis sibi speciem sumit, & iucunditatis, quæ virtus est, & humanitatis, ac charitatis comes. Neque quispiam facile intelliget an aliquis sit à zelo, & religione; vel à serpente, aut Diabolo percussus; nisi qui patitur, denudet viscera, & vulnera reuelet. Quod ne faciat homo curat maxime Diabolus; cuius nisi in tenebris infirmæ sunt vires, & inanes insidiæ.

70. *Portas vultus eius quis aperiet?* Necessè est, ut qui malum patitur, illud voce prodatur, quando externo signo satis explorari non potest: sed nemo intrare potest alicuius, aut formare voces peccatorum, aut internarum affectionum indices, nisi ille cuius sunt formandæ vocis naturalia instrumenta. At ille non audeat, quia suam timet linguam quasi latentem anguem, certè ab angue antiquo miserandum in modum implicatam. Dentes metuit, quia in illis aliquid formidolosum esse putat, quasi euitare non possit mortem, si ad formandam sanam, atque prudentem vocem linguam ad dentium gyrum horribilem admoueat. Sic enim perfundet callidus Satanas vitam hominis à silentio pendere: de qua tunc actum erit, cùm primum illud intempestiuè prodatur. Quod docuit Cassianus col. 2. col. 20. vide quid nos supra cap. 40. ad illud, *Protegent umbra umbram eius*, in allegorico sensu.

71. *Vilissimum est animi tentationes, & sensus spirituali magistro detegere.* *Verf. 6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se promentibus.* Sic homo cui illudit Diabolus, & qui perniciosum suasit silentium, munitus est à Diabolo, & clypeis se confertim prementibus ita circumdatus, ut nullam admittat inspirationem è cælo. Et sanè cum suo magno malo spirituales viri experimento didicere persæpe, non sibi prius inspiratam de cælo lucem, quam spirituali magistro conscientiam apruerunt, quam Diabolus diu mortifero silentio compresserat. Vide Cassianum col. 1. à cap. 10. Ut autem supra *scuta fusilia*, quæ Diabolum circumdant, atque corroborant, viri sunt potentes, & aliquo titulo, atque autoritate nobiles, qui vitij exemplo suo nomen, & falsam honestatis speciem conciliant: sic etiam scuta hæc & squamæ confertæ, quæ cælestem lucem, & vere vitalem spiritum in animam illabi non permittunt, aut illi idem sunt, qui Diabolum ab arce semel occupata depelli non sinunt, neque illum ab inerti otio excitari volunt, quod ducent in suâ possessione quietum; aut certè qui

72. turpe putant, & ignominiosum esse persuadent eorum quæ in animo latent quemquam esse conscium. Atque ideo sic obstruunt omnes animi sensus, ut nulla pars hiet, per quam vlla foras possit emanare suspicio.

Verf. 9. *Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius ut palpebra diluculi.* Ex hoc versu ad 12. proponitur vis quædam potentissima Diaboli ad omne tentationum genus, quæ explicatur ignea specie quæ ex oculis, ore, naribus, & tota facie flammam, fumum, & ardentes faces eructat, & vomit, quibus terret obuium quemque, & suum spiritum pestilentem, & noxium obscurat, & celat. Hæc irati, & potentissimi spiritus signa sunt, qui ad sanguinem, & eadem anhelat, qualem descripsit Cicero: *Inflammatu scelere, & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* & Turnus apud Virgilium eodem fermè modo iratus describitur, quo nunc à Deo Leviathan, & immodicus furor eadem feruentis ollæ similitudine describitur. In *palpebris diluculi* sanguineos oculos significari diximus, & reliqua, quæ hic adduntur, quæ ideo omitto, quia satis proximè à nobis explicata sunt, & facile à marina bellua ad Dæmonem, & iracundum hominem, aut aliquo effectu turbidiori commotum, transferri possunt.

73. *Peccata non obscuranda excusationi velamine.* *Verf. 11. De naribus eius procedit fumus.* De Diabolo nil est quod addamus, & in fumante naso furorem indicari proximè diximus, sed hic in homine qui celare vult peccata, & variis occultare, seu eleuare tergiversationibus accommodatissima est fumi similitudo. Sunt enim multi qui consententur, aut aperiant peccata sua, seu potius qui aperire se simulant, & eo se nomine decipiunt, quod quæ nuda, & pura proferre debuerunt, tenebris inuoluunt, & fumo, neque magis apparent spirituali medico, quam illa quæ densa interposita nebula intuemur.

74. *Afflatus Dæmonis pestilens, & peccans.* *Halitus eius prunas ardere facit.* Non solum Dæmonis anhelitus teret est, & pestilens, sed etiam sic acer, & igneus, ut ligna incendat, & inflammet, quantumcunque illa minus apta videantur incendio, siue ad furoris, & vindictæ, siue ad amoris impuri pestilentem flammam. Hoc expressere furiarum & Veneris nomine Gentiles, dum desides animos ad Veneris furta, & ad furorem acunt, & sanguinem sitire faciunt eius cuius antea fortasse neque nomen audierant. Sic afflatu Cupidinis, qui Dæmon est fornicationis, exarsisse à profanis fingitur Dido, ut extra se amens posita videatur. De qua sic Virgilius lib. 4. *Æneid.*

75. *Est mallis flamma medullas Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus, Vritur infelix Dido, totæque vagatur Vrbe furens, qualis coniecta cerva sagitta.*

Sic furiarum ardentibus tædis inflammatus Turnus, ut excitatus à somno subito in furorem agatur præceps, & totam civitatem ad arma commoueat. De quo idem Virgilius lib. 7. ubi sic Alecto de Turno.

Sic effata facem iuueni coniecit, & atro

Lamine fumantes fixit sub pectore radus,
 Olli somnum ingens rupit paucor, ossaque, & ar-
 tus
 Perfudit toto proruptus corpore sudor.
 Arma amens fremit, arma toto, totisque re-
 quirat,
 Sicut amor ferri, & scelerati insania belli:
 Ira super, magno veluti cum flamma sonore
 Virgea suggeritur costis undantis aheni.

Quare vehementer cauendum est à Dæmo-
 nis atlatu, cuius halitus, licet lenis videatur, &
 dulcis, inspirat tamen venenum & pestem.

75.
 Diaboli ar-
 dentissima
 animarum
 sitis.

Verf. 13. *In collo eius morabitur fortitudo, &
 faciem eius precedet egestas.*] Hunc locum in li-
 terali sensu de immensa marini monstri inglu-
 vie interpretati sumus: ingluvies enim vocari
 potest fortitudo colli, vt diximus. Quam Diaboli
 sit ardens animarum sitis, quam immen-
 sa, & inexplebilis fames, explicuimus cap. 40.
 in Behemoth, vbi diximus ab illo absorberi
 flumina, & sperare sibi ipsum quoque exhau-
 riendum esse Iordanem. Vt plurimum bibat
 Sathanas, nunquam illius extinguetur sitis,
 & quoad erunt animæ, quas deuorare possit,
 semper erit illius integra fames, atque ideo
 quamcumque abundantiam, egestatem putabit,
 quia non tantum porriges, quin multo plus
 appetat. *Tria sunt insaturabilia, &c. infernus, &
 os vulua, &c. Pron. 30. v. 16.*

76.

Verf. 14. *Membra carniū eius coherentia sibi.*]
 Huc vsque de capite, & collo, in quibus in-
 strumenta sunt ad lacerandum, & vorandum
 præcipua. Nunc de reliquo corpore agit, quod
 magis aptum in animantibus esse solet ad ac-
 cipiendum, quam ad inferendum vulnus, & do-
 cet omnia membra carnea, quæ mollia sunt,
 & sua mole, ac teneritudine telis, ac vulneri-
 bus exposita, sic esse compacta vehementer, sic
 coherentia strictè, vt neque cedant ferro, ne-
 que sibi aliquid à fulmine timendum putent.
 Hæc ad verf. 21. ad idem pertinent argumen-
 tum, & docent, non magis corpus, quod ad
 lapidis, & incudis rigorem obduruit, aut com-
 minui posse à malleo, aut à sagittis, aut spi-
 culis tranfuerberari, quam à stipulis laminæ
 ex ære, aut chalybe, aut incus à paleis à sole
 torrefactis. Hæc autem tanta fortitudo, tan-
 tus armorum, armatorumque contemptus, ex
 eo nascitur, quia antagonistæ in carne viuunt,
 & ipsi à carne nihil metunt, cum spiritua-
 les sint substantiæ, quæ à corporeis pati nihil
 possunt. De quibus Paulus ad Ephes. 6. *Non
 est nobis colluctatio aduersus carnem, & sangui-
 nem, sed aduersus principatus, aduersus potestates,
 aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra
 spiritalia nequitia in cælestibus.*

Dæmones
 per me tueren-
 di.

77.

Verf. 21. *Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi
 aurum quasi lutum.*] Contemnit Diabolus
 omnia quæ in literali sensu proposuimus, ne-
 que magis curat, quam quod hominum, ac
 belluarum pedibus calcatur lutum, quia &
 ipse suam virtutem nouit, & plura sibi forsitan
 attribuit, quam accepit à Deo. Quod à
 de Lucifero, id est, de apostatarum Angelo-
 rum principe sermo est, contemnit radios so-
 lis, in quibus exprimentur spirituales naturæ,
 atque cælestes, quæ à Deo fulgentissimo sole
 lucem acceperunt, accipiuntque quotidie, si-
 cut à sole radij. Radij item solis dicuntur viri
 Sancti, qui in suo candore, vitæque puritate
 Gass. Sancti] Comment in Iob.

A in humana ac mortali carne aliquid diuinum,
 atque immortale redolent, maxime qui acce-
 ptam à sole lucem late dispertiant, & ab ho-
 minum animis tenebras ignorantie discutiunt.
 De quibus Daniel. cap. 11. versic. 3. *Qui au-
 tem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firma-
 menti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi
 stelle in perpetuas æternitates.*

Verf. 22. *Feruescere faciet quasi ollam profun-
 dam.*] Quantum habeat Diabolus potestatis
 ad ciendas tempestates tam in aère quam in
 mari, dum ventos concitat, & turbines circum-
 agit, & humanis commodis vastitatem mina-
 tur; non sancti solum, & Patres, sed ipsi etiam
 profani docuerunt, dum magicarum incantatio-
 num admirabiles, ac repentinos exitus prodi-
 dere. Quæ autem ars turbat aut efficit magica,
 quæ etia diabolica vocatur, quis dubitat à Dæ-
 mone turbari, ac fieri. Lege totam Virgilij
 Pharmaceutriam, & inuenies huius artis male-
 ficæ mira prodigia. Tibul. lib. 1. Eleg. 2. de maga,

Cum libet hæc tristi depellit nubila celo,

Cum libet, æstiuo pronocat orbe dies,

Ouidius lib. 1. Amor.

Cum voluit, toto glomerantur nubila celo,

Cum voluit, puro fulget ab orbe dies.

Ex sacris, ac nostris Clemens Alexand. lib. 6.
 Stromat. *Quidam, inquit, auunt, pestes, grandines,
 procellas, & cætera talia non solum materia pertur-
 batione, sed quorundam Dæmonum, aut malorum
 Angelorum iracundia solere contingere.* Qua de re
 disputant scholastici Doctores. Vide Martinum
 de el Rio lib. 2. quæst. 6. magicæ disquisitionum
 per plures quæstiones. faciet itaque mare fer-
 uescere, id est, excitabit in mari tempestates,
 quod fecisse aliquando narrant Ecclesiastici
 Annales, & nostris temporibus contigisse le-
 gimus.

Verf. 23. *Post eum lucebit semita.*] Postquam
 Dæmonis motu, & conatu turbatum est mare,
 & orta tempestas, statim sequetur spumosa
 quædam via, quæ effectus est excitatæ iam pro-
 cellæ, & maris feruentis. Tam autem Diabolus
 existimabit sibi mare subiectum, vt non magis
 timeat cum illo congregari, quam cum sene iam
 decrepito, cui exiguæ superiunt, atque exhau-
 stæ vires, aut squinæ candentes pro canicie
 sunt, quæ languidæ index est & deficientis
 vitæ.

Hic satis videtur ex litera expressus allego-
 ricus sensus, sed accipe alium minus quidem ad
 literam, valde tamè ad mores accommodatum.
 Sequuntur Principes viros quamplurimi alij
 non vulgaris notæ, qui ab illis aut honoris su-
 perbos titulos, aut humana cõmoda aucupantur.
 Quare semitas per quas ingrediuntur Reges,
 alij ponè cõplent splendido fulgentes apparatu,
 qualis Regia decet amplitudinem, & maiestatem:
 Sic multi sequuntur Dæmonem, qui multa vè-
 ditat, quasi beate possit sequentes se. Et hoc
 videtur significare illud, *post illum lucebit semita.*
 Sed hi homines qui tanquam inanes vmbra
 splendorem sequuntur alienum (si tamen splē-
 dor est ille, qui nō tam illuminat, quam excor-
 cat) assequitur nihil, quia vt vidimus verf. 13.
faciem eius precedit egestas. Quare nihil habet
 quo asseclet suos, & clientes beet; neque quo
 inexplebilem cupiditatem exaureret: neque
 enim diuitias habet vllas, sed inanem & ludj-
 cram diuitiarum vmbra, quæ pronocat famē

78.
 Artis magi-
 cæ admiran-
 di effectus.

79.

80.
 Sicut ut est
 qui à Dæ-
 mone vel
 principibus
 aucupatur
 comoda.

non explet. Quomodo si quis famelico panem afferat pictum, qui illudat imagine, non teneat vera panis substantia. Neque alia conditione sunt, qui principum obeunt aulas, & ut illorum magis splendeat autoritas, ipsi in sui corporis ornamentis magnos exhaustiunt census, & nihil tandem capiunt præter egestatem.

81.

Verf. 14. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* De Diaboli potentia multa scholastici, qui ideo dicunt nullam terrenam potestatem comparari posse cum diabolica; quia illa corporalis est, hæc spiritualis naturæ. Ita hic S. Thomás. Addit autem Gregorius, Dæmonem etsi actionis suæ merito infra homines ceciderit, omne tamen hominum genus naturæ Angelicæ conditione transcendere: licet sanctis hominibus meritorum suorum deiectione subiaceat.

82.

Non horrent discipuli verba quæ in suis principibus aut magistris videntur.

Verf. 25. *Omne sublime videt.* Ad altissima quæque aspirat superbia, quæ præesse vult omnibus, subesse nemini. Id molitur Diabolus superborum dux, & magister, & qui à Diabolo suos expressere mores, & finxerunt ingenium. Sicut enim discipuli indecorum non putant, si illud ostendat in se vitium, quo laborat magister, neque subditi pudori sibi esse, aut ignomi-

nia putant, eo laborare vitio, quod ostendere possunt in suo principe. Sic quæ in superbiorum Rege vident superbi, sine pudore aliorum oculis ostendunt. Erat quidem deformis in Platone gibbus, in Aristotele balbuties, discipuli tamen honori sibi esse, & pulcritudini dicebant, si balbi viderentur, aut corpore incederent incuruo. Habuit Alexander Macedo ceruicem inflexam, & vocem in dicendo infuauem, & asperam: utrumque illius familiares, & amici ut exprimerent, laborabant. Ita Plutarchus in libro de discernendo vero amico ab adulatore. Habuit Diabolus studiosum pestilentissimæ doctrinæ discipulum Regem Babylonis, qui apud Isaiam c. 14. v. 13. dicebat in corde suo, in cælum cõscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. Hoc ipsum de se cogitabat Antiochus l. 2. Machab. cap. 5. Hoc omnes, quos inflauit, & in sublime rapuit superbiæ tumor, qui malunt à Dæmone superbo, quàm à Christo manucto, atque humili discipuli videri, atque ideo malunt in vêtos superbe vanescere, quàm supra firmum humilitatis fundamentum solidum aliquid, & firmum moliri. Hæc de allegorico sensu strictim, plura habebis ab aliis, qui in sensum accuratiùs, & scèliciùs incubuerunt.

ARGUMENTVM CAP. XLII.



N hoc extremo capite continetur Iobi clara, humilisque confessio, & ad expiandum peccatum per fauillam, & cinerem animi preparatio. Holocaustum trium amicorum, & illius per Iobum immolatio; placatus Deus, restituta, & duplicata quæ fuerant antea sublatà bona, suscepta pulcra, & numerosa soboles; & Iobi post vitam fortunatam & longam gloriosus exitus.

CAPVT XLII.

1. **R**espondens autem Iob Domino, dixit:

2. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

3. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.

4. Audi, & egoloquar: interrogabo te & responde mihi.

5. Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.

6. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

A PARAPHRASIS.

1. 2. Cum iterum Iobus iussus esset respondere, sic ad Deum locutus est: Scio Domine nihil esse tibi impossibile factu, nihil tuæ potentia non subiectum: neque quicquam tam esse reconditum, & clausum in hominum animis, quod tui oculi manifestè non videant.

3. 4. Verè illi stolidi sunt, & expertes sapientiæ, qui putant Deo celatum iri sua consilia, & esse aliquid quod diuinos oculos læcere possit. Quorum de numero ego sum, cuius insipientia plena excidit oratio, quæ res illas explorare, & disceptare voluit, quæ se supra facultatem meam procul atrollerent. Audi nunc, & interrogabo te minus quàm hætenus insipienter, quia in oratione mea nihil erit nisi erratorum meorum clara humilisque confessio. Hæc mea erit interrogatio, cui tu Domine, si libet, respondebis.

5. 6. Hætenus, ô Domine, de te alios, non te ipsum de te loquentem audieram, nunc quia te video, & loquentem audio, maiorem de te cognitionem consecutus sum. Quæ noua, maiorque cognitio id perfecit, ut quæ nulla prius

7. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.

8. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerite holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob.

9. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.

10. Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.

11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius: & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei vnusquisque ouem vnã, & in aurem auream vnã.

12. Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quam principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga bouum, & mille asinæ.

13. Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.

14. Et vocauit nomen vnus Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.

15. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filia Iob in vniuersa terra, deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

16. Vixit autem Iob post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.

A prius, aut leuia peccata videbantur, indicentur grauiora. Quare meam ipse stolidam ignorantiam cōdemno, dignamque iudico, quæ dura corporis afflictione, qualis est fauilla, & cinis expietur.

7. Absoluta cum Iobo disputatione, conuersus Deus ad Eliphaz Themanitem, qui triū amicorum magister, & Princeps erat, qui nondum excefferant, dixit tam se in illum, quam in duos alios amicos, & socios indignatum esse vehemēter, quod minus recte esset, & opportunè locuti, quæ Iobus quæ suū sibi seruum appellat.

B 8.9. Iussit ergo, vt septem tauros, & totidem arietes ad Iobū adducerent, qui illos sacrificali ritu in holocaustū immolaret. Vt oraret pro ipsis ne sua stultitia, & orationis, neque rectæ, neque piæ pœnas expenderet: promittitq; auditurū se Iobū, & eius precibus concessurum, ne id ipsi ferant, quod suorum scelerū grauitas postulabat. Quod cum ad vnum cū sociis suis complerat Eliphaz, annuit Dominus oranti Iobo, & amicos eius ab eo quod merebantur supplicio liberauit.

C 10. Cum Iobus peccatū suū antè cognouisset, seque ideo cineris, & fauilla reū fateretur: & insuper pro illis, à quibus fuerat tā acerbè vexatus, preces effunderet, quod Domino gratissimū sacrificiū est, continuo illi non sanitatem solum & sp̄ciem, pulcritudinēque, sed etiam, quæ amiserat bona duplicata restituit.

D 11. Cum accessisset integra, & repentina sanitas, & Dei illustre de Iobi sanctitate iudiciū, conuenerunt ad eum fratres, & sorores, & qui eum illo prius consuetudinē, & vsū habuere cōmunē. Et quod esse solet amicitia, & fidei familiare testimoniū, commune cum illo in ipsius domo obiere conuiuium, & commoto capite beneuolo, & gratulatorio risu, de priori fortuna consolati sunt, & de meliori gratulati ouē vnā singuli & in aurem aureā tribuerunt.

12. Dominus autē Iobi posteriōrē etatē, multo magis, quam priorem ornamentis, & opibus cumulauit. Duplicauit enim pecudum, atque armentorum numerum, dedit ouium quatuordecim millia, sex camelorum millia, mille iuga bouum, & totidem asinæ.

E 13. 14. 15. Suscepit eandem quam in priore fortuna prolem, septem nempe filios, & tres filias, quibus suæ pulcritudini, cui nulla in terris visebatur equalis, imposuit consentanea nomina, appellauit enim Diem, Cassiam, Cornustibij, quas paternæ hereditatis expertes esse noluit.

16. Postquam hac perfunctus est calamitate Iobus, addidit eius vitæ Deus centum, & quadraginta annos, viditque genus suum ad quartam vsque generationem propagatum, & tandem vita defunctus est, quam multis prius meritis impleuerat.

Verf. I. Respondens autem Iob Domino dixit.]

A P T E 38. in principio iussus est à Deo Iobus, vt interrogatus responderet, cuius ipse obsecutus imperio respondit ad fine c. 39. ibi suã in loquẽdo leuitatẽ reprehendit, ac dolet; ac tandem dicit, sibi iam ampliùs non esse loquendum, nempe ea de re, quia neque tutum est, neque prudẽtis ingenij. Cũ autem Deus c. 40. iterũ iussisset, vt ad interrogata responderet, facit hoc secundo, & responsionis loco suam fatetur ignoratiã, & Dei sapientiam, & omnipotentiam extollit, quæ apud Deum optima responsio est, & nobilissimum exultationis genus. Est enim optima peccatorum excusatio, eorumdem clara, humilisque confessio.

2. Verf. 2. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.*] Non ignorabat Iobus omnipotentem esse Deum, neque quicquam illius oculis esse celatũ, quia hoc ipsum c. 9. dixerat à versu 4. & c. 12. à versu 13. Nunc autem, quia hoc à Deo manifestis conuictus argumẽtis plenius agnoscit, planius confitetur, & illius omnipotentiam commendat, & sapientiam singularem, quæ perficere potuit, quod nunc ad extremum, ipso domino docente cognouit.

3. Verf. 3. *Quis est iste qui celat consilium, absque scientia?*] Obscurum est de quo hic loquatur Iobus, de se ne an de alio, qui Deo neget cõsiliũ, & sapientiam. S. Thomas, Hieronymus, & cum ipsis Latinorum plerique, nullam hic tertiam personam designari putant, sed vniuersaliter illum condemnari, qui Deo adimit consilium, & scientiam, & esse in rebus aliqua ad quæ diuina se prouidentia non extendat. Quod amici Iobi quasi hoc ille sensisset, neque professus esset obscure, reprehenderant acriter, & eo nomine impietatis, aut stuporis accusarant.

4. Alij loqui existimant Iobum in tertia persona de seipso, quod in Scriptura sacra frequentissimum est: Quasi de se ipso cum stomacho dicat, se fuisse virorum stultissimum qui à sana mente & recto consilio prorsus exciderit, quando ipso saltem loquendi modo videri potuit de diuino consilio, atque sapientia dubitasse. Quæ sententia iam antea dudum mihi placuerat, neq; displicet modò. Sed cur minus nũc quàm antea placeat, facit, quia nunquam Iobus ademit Deo consilium, & sapientiam, aut quicquid illud est, quod nunc de Deo dici posse negat. Quod verò statim eodem, vt apparet, orationis filo de se loquatur Iobus, parum huic cogitationi, imò nihil incõmodat: quod enim sermonem suum insipientem appellat, & qui altiora dixerit, quàm mēs assequi potuerit humana, satis est vt vel loquẽtis sonus cum offensionis significatione, aut dicendi modus alicui minus beneuolo, aut æquo, cogitationis impiæ suspicionem ingesserit.

5. Est etiã in illis verbis, *qui celat cõsiliũ absque scientia*, aliquid obscurius, cuius duplex potest esse sententia, neque cõstitutũ habeo quid magis probem. Altera est, vt ille quem stuporis damnat aut insipientiæ Iobus, neget Deo consilium, & scientiam in hunc sensum: Quis est iste tam infanus, & excors, qui celet, id est, abscondat cõsiliũ à Deo: quasi dicat, nullum in

A Deo reperiri consilium, & eundẽ esse sine scientia, quæ videat, & circumspectet omnia, eaque cognoscat, consilio regat, & sua prouidentia tueatur. Altera, illum stolidum esse, & prorsus absque scientia, qui putat Deo sua consilia celatum iri, & esse aliquid, quod diuinos possit oculos latere, id quod Iobo, licet sine vllò ipsius merito, c. 22. v. 13. obiecit Eliphaz, quasi dixerit Iobus; *Quid enim nouit Deus, & quasi per calliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra cõsiderat. & circa cardines cœli perambulatur.* Dicit autẽ accommodatẽ ad id quod antecessit proximẽ; *Et nulla te latet cogitatio.* In posteriorem hanc explicationem magis propendet animus.

Ideo insipienter locutus sum.] Cur insipienter locutus fuerit, paulò antè diximus, quia in loquendi modo signa quædam dedit hominibus externa tantũ intuentibus impatientis animi. Item, quia aliquando significarat, licet obscure, Deum hoc supplicio, aut purgatione dura peccata purificare, & expiare voluisse, cùm tamen Deus in exercẽdis hominibus plurima alia spectare soleat. Neq; enim semper Deus seuerẽ vt iudex aut inimicus, sed clementer, ac beneuolẽ, vt chirurgus secatur, aut sicut pater corrigit.

6. Verf. 4. *Audi, & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi.*] Quidam in hoc extremo capite inter Deum & Iobũ intercedere putant dialogissimum, & id quod proximẽ præcessit, *Quis est iste qui celat consilium, &c.* Deo tribuunt, qui Iobum vrgeat, & adhuc impietatis accuset. Et hæc similiter, quæ nunc explicatione commentanda aggredimur. Sed multa implicat, & sine causa confundit hæc explicatio. Quare dicendum est esse Iobi verba, qui interrogare vult Deum, & ab illo expectare responsum. Nam Deo Iobus eam obtulerat conditionem, vt vel Deus rogaret, & ipse responderet, vel ad interrogata Iobi responderet Deus. Hactenus interrogauit Deus, iussitque, vt vidimus, vt responderet Iobus; nũc petit vt contra Deus sibi interroganti respondeat. Interrogatio porrò, quæ magis vrget, & commouet Deum, illa est, quæ peccatum agnoscit, & veniam orat, & delere vult fauilla, & cinere, & fluctibus vbertim lacrymis eluere. Quare tota interrogatio nihil continet aliud, quàm confessionem criminum, & afflictionis, ac penitentia propositum, quæ arma contra Deum potentissima sunt, quippe quæ furorem leniunt, & aciem indignationis obtundant, & tandem ab offenso pectore, & de vindicta cogitante misericordiam extorquent. hoc habemus à magno athleta Iobo pugnandi cum Domino illustre documentum.

7. Verf. 5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculis meis videt te.*] Suam ignorantiam fatetur Iobus, atque ideo si lapsus est, errore lapsum se non scelere fatetur. Ad hunc enim temporis articulum audierat aliquid de Deo, atque ideo minus illustrem, & claram de illius consiliis, atque prouidentia notitiam nactus est. At postquam illũ vidit licet in turbine, cognouit multo plura, eaque longè manifestius. Quæ cognitio id perfecit, vt quæ nulla prius, aut leuia peccata videbantur, iudicentur grauiora; dignaque quæ lacrymis expientur, & longa duraque corporis

8. *Maiores à Deo de ipsis, quàm ab hominibus scientia comparantur.*

poris afflictione qualis est achameunia; fauilla, & cinere, & ideo subditur; *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiã, &c.* Quomodo verò Iobi oculus, corporeus videlicet, Deũ viderit, audierintque corporeæ ite aures loquentẽ, diximus supra c. 38. in principio, vbi etiã diximus Dei, seu Angeli Dei nomine loquentis hosce amicos Iobi audiisse vocem.

9. *Verf. 7. Postquam locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz.*] Huc vsque numerosè scripta sũt à Moysè, quæ Dialogi in morè alternis disceptata. Nunc recta est, ac soluta oratio, quia historica est, sicut quæ capite 1. atque 2. prodita sunt, quæ nihil continent præter memoriam historiã. Cessauit autem Deus cũ Iobo expostulare, ac loqui, quia iam ab illo obtinuit, quod volebat, vti suã cognosceret, & fateretur ignorantiã, deque illa dolorẽ cõciperet, qualis esse solet in animo pœnitenti. An verò hoc ipso articulo sanitati, & quodãmodo sibi ipsi restitutus fuerit, incertum est, cùm nihil habeamus in Scriptura, ex quo grauis possit sumi cõiectura. Quidam tunc curatũ esse dicunt à morbo, cùm audiuit à Domino c. 40. iuxta lectionem LXX. *Putas me aliter tibi respondisse, quàm ut appareres iustus.* Quare ex eo loco audiuisse putat Iobum reliqua, quæ sanè pauca nõ sunt corpore robusto, & sano: in quo nulla esset doloris causa, nulla vlcerũ, liuorisque deformitas. Ita Nazianzenus oratione 21. in laudẽ Basilij, si non omnino clarè, aut certè subobscurè indicat. Quod indicat in Catena Dion. ad v. 6. in fine. Alij dicũt tũc restitutã esse Iobo sanitatem, & speciẽ, cùm se peccasse cognouit, & pœnitentiã sibi squalorẽ indixit. Sic in Catena Chrylost. vbi cùm dixisset adhuc in doloribus fuisse Iobum, & ærumnis, cùm palinodia est vsus, addidit; *Quid igitur Deus: nepe tunc iustũ absoluit, cùm seipsum condemnauit.* Quæ singularis pœnitentiã cõmẽdatio est.

10. Sed est meo iudicio expressa magis ex Scriptura sententiã postquam orauit Iobus pro amicis, recepisse sanitatem, quod optimè docuit Caietanus, & indicat S. Thomas non obscure, quos ex Latinis secuti sunt non pauci. Neque est leue ex Scriptura sacra fundamentum; nam cùm orãte Iobo Deus illius amicis esset placatus, & ad illos beneuolè conuersus, additur statim v. 10. *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiã Iobi, cùm oraret ille pro amicis suis.* Et addidit, &c. Quod ostendit gratissimum esse Deo si quis pro inimicis oret, & beneficiis illata vulnera, & rerum suarum detrimenta compenset.

11. *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectũ, sicut seruus meus Iob.*] Hinc fit verisimile, trium amicorum principem esse, & fortassè magistrũ Eliphazem, quando hunc ex omnibus vnũ nominat, & grauius reprehedit. Vnde constat Eliũ non venisse cõpositò cum his tribus, sed casu interuenisse, cùm exorta fuit aduersus Iobum tam dura atque proluxa cõtectio. Arguit autẽ Deus Eliphazẽ & in eo, aut certè cũ eo duos alios, quia aliqua de ipso non fuerint rectè ac religiosè, locuti multo aliter quàm Iobus, in quo præter loquendi modum, aut leuem aliquam ignorantiam nihil esset, quod aliquis meritò reprehendat.

12. *Verf. 8. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes.*] Magnum videtur horum virorum fuisse peccatum, quando tam grande sacrificiũ expiatoriũ ab illis exigitur. Videbat enim Deus

A quo animo durum illud longũque certamen susceperint contra Iobum, quem exagitauere crudeliter, cùm dolere potius illius vicem, & dolorem consolando, & inopiam largiendo leuare debuissent. Quod non fecerunt, vt videtur verisimile, quod dixit Iob de amicorũ crudelitate conquestus c. 6. v. 22. *Numquid dixi, afferto mihi, & de substantia vestra donate mihi.* Deinde, quia non tam illorum animos diuinæ gloriæ zelus inflammabat, quàm incitabat ambitio, & simulanda religionis studium. Neque præterea vera fuerunt omnia, quæ de Deo prædicauere, vt ipsi arbitrabãtur magnificè: licet enim multa verè, & grauius affirmauerint, fuerunt tamen aliqua, quæ neque religio patiebatur, & multorum annorum experientia damnabat: nempe quòd solos sceleratos affligeret Deus, neque vnquam viros iustos acerbe vexaret.

B Cur septenario numero tauros, & arietes offerri voluerit, variã à variis afferuntur causã. Quidam in hoc numero aliquid putant latere mysterij, quia septenarius numerus multitudinem indicat, & in suo genere præstantiam. Quod vt in multis aliis nationibus vsitatum legimus, sic etiam apud Idumæos, & Moabitas religiosum fuisse, & vsitatũ arbitror. Sanè Balaam ex illius gentis consuetudine dixit ad Balac Regem Moabitarum, Numer. 23. v. 11. *Edifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos: eiusdemque numeri arietes.* Cur autem in sacrificiis hic fuerit numerus probatus, non laboro, neque causã quẽ ab aliis afferuntur, eiusmodi sunt, vt assentiendi necessitatem afferat.

C Illud satis erit in præsentia, si dicamus, aut existimemus hoc esse apud Idumæos sacrificiorum maximum. Quare Deus Idumæorum principibus illud indixit sacrificium, quod putabatur esse religiosum maximè, quòdque in grauius quibusque negotiis immolari consueuisset, cùm materia esset sacrificiis idonea, & qui futurus esset in ea immolatione sacerdos, vir esset religiosus, & pius, & qui procul abesset ab omni superstitione gentilica.

D *Et ite ad seruum meum Iob, & offerite holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis.*] Aliud est offerre, aliud immolare sacrificium. Offerunt qui ad locum sacrum deferunt, aut suis sũpribus deferri iubent; quicumque illi sint, etiã si à religione, & vera pietate profus alieni, vt constat Ezech. c. 46. v. 12. vbi princeps facturus esse dicitur holocaustum, seu sacrificium, quod ad sacerdotem deferri faciet, qui illud sacrificiali ritu immolet legitimè. vide quæ diximus in nostris commentariis ad illud Ps. 67. *A templo sancto tuo quod est in Ierusalem, tibi offeret Reges munera.* Immolat autem non quicumque, sed qui ad illud manus est sacerdotali nomine destinatus.

E Eligitur autẽ ex omnibus Iobus, qui immolet, & oret, tũ quia sacerdos erat, prout ferebat illius sæculi consuetudo, vt diximus supra c. 1. v. 5. tum quia pius, quique vt verus Dei cultor nihil in eo sacrificio spectaret, misceretque gentiliũ. Deinde, quia eo modo commendare voluit Iobi sanctitatem, ne quis (quod hi fecerant amici, & alij Diabolica suasionem non pauci) sibi persuaderet plagã illã inhonestã & grauem, supplicium esse veræ impietatis, & sanctitatis simulatæ. Præterea vt tres illi viri cognoscerent Deo ipso testante, debere se Iobi precibus,

Quando Iobo restituta sanitas.

Insignis confessionis cõmẽdatio.

Magna vis ex inimicorũ amore ad inuendam à Deo gratiam & beneficiũ obtinendum.

Trium amicorũ principis Eliphaz

bus, quod remissus esset diuinus furor in ipsorum caput iucitatus, & obseruare, atque amare inciperent, quem prius auersabantur, & oderat.

Faciem eius suscipiam.] Hic dicendi modus uisatus est in Scriptura, neque aliud ualet, quam libenter ad aspectum, & colloquium aliquem admitti, obseruarique, neque eorum que rogat, pati repulsam, & patronum se potius in causa præbere, quam iudicem. vide quæ diximus supra ad illud c. 13. v. 8. *Numquid faciem eius accipitis.* Quod fecerunt statim amici, & annuens Deus tibi precibus, quod largè promiserat, fideliter impleuit.

16.
Quomodo
Deus dicatur
pœnitens.

Verf. 10. *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis.*] In Deum pœnitentia propriè cadere nullo modo potest: potest autem impropria, seu figurata, propter aliquam similitudinem, quæ expectatur in effectu plerumque, qui talis est in Deo licet in illo nunquam ex pœnitentia pronentat, qualis est ab homine, quæ aliquid fecisse pœnitet. Hic enim quod factum esse non probat, aut quod fecerit, verè, atque ex animo dolet; quod struxerat, destruit; quod fecit, quantum potest, infectum esse laborat: sic Deus cum inducto diluuiio mundum euerit & penè humanum genus uniuersum extinguit Gen. 6. verf. 6. pœnituisse dicitur, quod hominem fecisset. Et 1. Reg. 15. v. 11. quia exauctorare Saulem, & è folio deicere cogitabat, dixit; *Pœnitet me quod constituerim Saul Regem.* Conuersus autem dicitur ad pœnitentiam Iob, quia illius statum omnino mutauit; & quæ quem prius spoliauerat omnibus siue naturæ subsidiis, siue dignitatis ornamentis, postea omnia cumulata, & magis amplificata restituit. Ita videtur locus accipi posse, satis ad Scripturæ morem accommodatè, ut exposuit Pineda. Alij plures ad Iobi pœnitentiam referunt, qui cum supra verborum suorum damnaret leuitatem, dixit; *Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Neque tamen improbo, sed si ita accipias, placet valde appellari hinc Iobi pœnitentiam orationem pro amicis: imò duplici titulo pro inimicis quia ipsum uerbis exagitarant contumeliosis, & quod amicitia prodidissent officium, & fidem, & videri nihilominus uellent amici, cum amicitia specie illum insequerentur hostiliter. Hoc autem est pœnitentia: ueræ manifestum signum, & animi ad Deum conuersi argumentum illustre. Stillabant sanie sacerdotis manus, & tabefacta membra defluebant, & tamen cum ipse multa pateretur, pro inimicis orabat, & sacrificium offerebat, uiuum planè illius sacerdotis summi simulacrum, qui quasi leprosus, & uir doloris sui immemor pro inimicorum salute tam ardentè orat. Quem non mouerēt Iobi eleuatæ, & supplices manus, corrosæ à uermibus, nudatæ à carnibus, & tamen de inimicorum salute sollicitæ: Ex hoc loco fit uerisimile, id quod paulò antè dicebamus, in hac oratione sanatum esse Iobum, & sibi ipsi omnino restitutum. Quandiu uerò durarit hæc vexatio, diximus in principio cap. 3. ubi etiã diximus quando uenerunt tres isti amici, & quandiu durauit disputatio.

17.
Qua specie
Iobus pro
inimicis orat

Iobus Christi
pro inimicis
orantis
umbra.

18.

Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob duplicata:] Quæ fuerint hæc quæ Iobus accepit duplicata, habes statim verf. 12. Quæ non uidentur omnia eodem temporis articulo fuisse collata, sed breui tempore ad eam amplitudinem

peruenisse, cum Deus illi fecunda redderet armenta, & fata, & nihil tandem accideret aduersum: neque mirum est si centum, & quadraginta annis, quibus post sanatam plagam in uicis fuit Iobus, ubere semper adueniente prouentu ereptas quondam opes duplicauerit. Nam ad illud incrementum peruenisse res Iobi tam domesticas, quam pecuarias; & rusticas, post aliquot annos, eoque non paucos indicat uersus 12. ubi legimus: *Dominus autem benedixit nonissimis Iob magis, quam principio eius.*

Verf. 11. *Uenerunt autem ad eum omnes fratres sui, & uniuersæ sorores sue, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.*] Fratres, & sorores apud Hebræos illi uocantur qui ex eodem genere, & sanguine propagati sunt. Quod etiam inter Idumæos uisatum, quorum fratres dicuntur Israelitæ, tametsi à communi stirpe longissimè remoti. Sanè Numer. c. 20. ve. 14. Moyses ad Regem Idumæorum, hæc dat mandata: *Hæc mandata frater tuus Israel.* Hi ergo quos Diabolica persuasio à Iobi familia, & consuetudine distraxerat, cum accessisset integra, & repentina sanitas, & Dei præclarum de illius sanctitate iudicium, redierunt statim, & quod esse solet amicitia, & fidei testimoniū, commune cum illo in ipsius domo iniere conuiuium. Quare quod in bonis non postremo loco numerari solet; redierunt amici, atque domestici meliori iam animo, & ab eo errore liberati, in quem Diabolica fraude fuerant inducti.

Et mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum.] Gratulatorius significatur sermo, qui communem indicat uoluptatem, & amicis aliquid optat ex voto succedere. Dum consolatorio sermone uis dicuntur, qui nunc meliora meditantur, ostendisse uidentur quantum ex duro illo certamine gloriæ sit consecutus, ut magis quam antea notus, quanto magis splendeat in camino tantæ tribulationis explorata uirtus. Quid porò in Scriptura significet capitis motus, qui interdum ex amore, & commiseratione prodicit, diximus supra ad illud c. 16. v. 5. *Conflauerunt & ego uos sermonibus, & mouerem caput meum super uos.*

Et dederunt ei unusquisque ouem unam, & in aurem auream unam.] Uisatum est nostro æuo saltem apud Hispanos, ut amici, & noti nouorum coniugum domum, quæ in illo nuptiali tempore minus est ornata, variis modis instruant. Quare alij stragulam uestem, alij pecunias, alij domesticâ, eamque uariam supellectilem liberali conferunt, & amica manu. Quod item faciunt, cum ornamenta domus, & alia uitæ necessaria subsidia incendio, siue naufragio perierunt. In hoc rerum statu uisabatur Iobus, cum, sanitate restituta, domum inuenit inornatam, & uacuum, qualem uidelicet infensissimus hostis Diabolus reliquerat. Quare amici illi, qui antè suadete Diabolo recesserant, quiq; fortasse, cum durior ingruit tempesta, Regiæ domus, ac lautæ ornamenta sustulerant, de quibus ipse c. 19. v. 13. *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliuisci sunt mei.* Hi, inquam, postea redierunt, & domum quam spoliauerant prius, rursus instruxerunt, dederuntque unusquisque, quod credo in casu simili receptum erat consuetudine, & quasi legitimam, quod

19.

20.

21.

Amici nouorum coniugum aut aliquo infortunio spoliata domum instruere solent.

quod ipsis erat familiare magis, & promptū, nepe inaurē vnā aureā, & ouē vnā, nā Idumai pecore abundat, & inauriū vsus in ea regione frequentissimus, vt colat ex Iudic. c. 8. v. 24. Quomodo ouis seu pecus pro argento, seu pecunia sumatur, dixim⁹ in nostris comēteriis super Acta Apost. ad illud c. 7. v. 16. *In sepulcro, quod emit Abrahamā pretio argēti.*

Verf. 13. *Et fuerunt ei septē filij, & tres filia.* Duplicauit Dñs Iob reliqua quæ sublata fuerant, at filiorum sobolē non geminauit, cuius rei variæ à doctoribus adducuntur causæ. Ego illam existimo, quia ad foelicitatē nō admodum facit filiorū immodica multitudo, quæ curas auget, & sollicitudinē creat. Satis autē fuit vt bonus pater filiorū consolaretur desideriu, quos ruente domo vêtus oppresserat, si tot filios Deus redderet quot ante sustulerat. Terrul. li. de patientia c. 14. videtur negare Iob post illam plagam redditos esse filios. Vnde id sumplerit, nec diuinare quidem possum. Nisi fortasse neget illos suscitatos, & parenti redditos, quos domus ruina prius obtriuerat.

Verf. 14. *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secunda Cassiam, & nomen tertia Cornu sibi.* Dubiu est à quo hæc nomina imposita fuerint filiabus Iobi, à parēte cum natæ sunt filia, vel à populo filiarū speciē admirato. vtrūq; mihi videtur verisimile, neq; facile est, vtrū illorū magis videatur esse probabile. Fuit quidē vsitatu, vt viri sancti tale susceptæ soboli nomē imponerēt, quod accepti beneficij memoriā renouaret, & toties occurreret mēti, quoties filij audiretur nomen, aut aspectus occurreret. sic Ioseph filiis quos seruitute iā perfectus, & extractus è vinculis suscepit, nomē imposuit, quod ipsum accepti beneficij immemorē esse non sineret. Gen. 41. v. 51. *Vocauit nomen primogeniti Manasses dicens, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellauit Ephraim dicens, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mee.* Eodem spiritu Moyses Exod. 2. v. 21. in duobus filiis extare voluit suscepti à Deo beneficij familiare monumētum. Primū filium vocauit Gersam dicens, *Aduena fui in terra aliena.* Alterū Eliezer dicens, *Deus patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Hoc eodem consilio videtur Iobus filiabus suis tale indidisse nomē, vt grūosa fortuna non obliuisceretur, ex qua tāquā è naufragio incolumis emerferat, & Dei beneficiū recens quotidie vigeret in animo memori, & grato. Sic putat Catenæ author: *Primam, inquit, filiam Diē nominauit, ideo quod ab obscurissima primarum nocte ad felicitatem restitutum diuinitus, quasi ad diem lucem aspiciendam esset reuocatus. Secundam Cassiam appellauit, quod iam is odoris quadā suauitate honorūque voluptate frueretur. Terciam Amaleheæ cornu vocauit, quod vitā deinde vixerit omni bonorum genere peraffluentē.* Tria Iobus in suo certamine, eaq; grauissima infortunia pertulerat, ex quibus cum iam esset solutus, & liber, tamen illis alligatā voluit esse memoriā. lacuerat in tenebris, quod ipse nō semel questus est c. 17. v. 13. *In tenebris stravi lectulū meū. & c. 30. v. 26. Prestolabar lucem, & eruperunt tenebræ. In tenebris autem nemo nescit arūnosam exprimi vitæ conditionē: vt ergo hoc beneficium à Deo profectū nunquā depōneret, primam filiam appellauit Diem: quasi iā euocatus esset ad lucem, neque timeret obscuratum iri splendorem illum, qui post longā noctē iā affulisset. Quam grauis esset factor ab vlceroso corpore, quam ab sterquilinio teter odor, quā intolerabilis halitus, quem ipsa etiā vxor horre-*

bat, satis ex toto hoc libro perspicuum est. Cum autē iā gratum vndecūque caperet odorē, & ipse ac domus tota efflaret non ingrati, quasi ex pretioso aromate, ideo filiā appellauit Cassiam, cuius est odor gratissimus, & purus. Ad extremum cum ex sanguis iā esset, & consumptus macie, corrosus à vermibus, & sanie distillēs, eō denique redactus, vt cōsumptis carnibus pelli prope nuda adhererent ossa, vt ostēderet, quam affecutus esset speciē nitētē, plenā, succidam, adque ea breuitate vt personā accepisse videretur, & larvā, non macilentā, & luridā faciē, aut impleuisse faco aut aliquo pigmento artificioso colorasse: tertiā filiam vocauit Cornu sibi, id est, vas candoris, ac ruboris medicamento plenu, quo picta facies repētē mutatur, & alienū colorem ostendit tanquam suum. Porro sibi pulchritudinem addit oculis, in quibus pars est non minima dignitatis in fœminis. Quare cum Iezabel ornate se voluit, & speciosa videri, oculos suos sibi depinxit, l. 4. Reg. c. 9. v. 30. *Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos suos sibi, & ornauit caput suum.*

Hæc explicatio mihi potior est, sed neque displicet, si dicas hæc nomina non à Iob indita, sed à populo, postquam filiarū Iobi cōtemplati sunt, & admirati singularem formā, quæ omniū in vniuersa terra speciosissime fuisse dicuntur. Est enim in omni, vt reo, idiomate vsitatum valde, vt pro eo nomine, quod homines in ipso vitæ exordio à parentibus acceperunt, aliud deinde audiāt à vulgo, quod ex aliqua proprietate, ac nota, siue ad cōmendationem, siue ad conuictum imposuit. Ab exemplis abstineo, quæ passim occurrunt: ex Scriptura aliqua adducā nostræ cogitationi non parū opportuna. Pulcherrima fuit Susanna, vt constat ex Dan. c. 14. quæ, vt in nostris commentariis putabamus, aliud habuit nomen à parentibus positū. Vulgus tamen hominū propter admirandā pulchritudinem Susannam vocauit, quod idem valet quod *lilium*, quod Hebr. שושנה *sosannah* dicitur, quod ab Hispanis modico flexu *azucena* vocatur. Speciosa itē erat Esther, ita vt cum deessent alia, propter pulchritudinē tamē ad Regiū nomē, & thalamū vocata fuerit. Quæ à populo vocata fuit *Edissa* Hebr. הדסה *hadassa* ab Hebraica voce דסה *hadass*, quæ *myrtum* significat: quod nomen à profanis eadē ob causā datū est Veneri, quia myrto gratus est nitor, & perpetua viriditas. Absalom l. 3. Reg. c. 15. filia fuit nomine Maacha, quæ tamē l. 2. Reg. c. 14. Thamar appellatur. v. 27. *Nati sunt autē Absalō filij tres, & filia vna nomine Thamar elegantis forme.* Nomē primū, & propriū imposuit, vt opinor, Absalō vnice filie, quia ipsius mater dicebatur Naacha, vt habes l. 2. Reg. c. 3. ver. 3. sed populus admiratus fœminę pulchritudinem vocauit *Thamar*, quæ vox *palmam* valet, quæ aliquid significat excelsum, & decorum.

Sic mihi verisimile est, aliud tres Iobi filias à parēte nomen habuisse, aliud à populo, sunt autē nomina, quæ nūc legimus ad explicandā fœminatū venustatē accommodata plurimum. *Aurora* enim pulcherrima est, de qua puto sermonē hūc esse, cū qua Cā. 6. v. 9. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens: Cassia & aspectu grata est & odore suavis, & quæ pulchra sunt, dum à pulchritudine, & suauitate cōmēdatur, gratū dicuntur odorē aspirare, vt audis sepe in Salomonis canticis. In Cornu sibi maius aliquid video, quasi tertia filia non solum pulchra sit, sed aliis etiā cōferre pulchritudinē possit, sicut purpurisū, & sardaraca, nō solum cādidā sunt*

22.

23.

Viri sancti in filiorum nominibus excare voluerunt beneficiorum memoriam.

24.

Trium filiarum accommodata nomina.

25.

26.

Nomina filiarum Iobi à populo imposita non improbabile.

REGVLA. Nomina à populo imposita qua pro propriis usurpantur.

27.

*Cornu pro
quocumque
vase.*

didā sūt, & rubra, sed etiā cōcinnaro ex ipsis le-
nocinio alia rubent, & cādēt. Et quemadmodum
qua dulcia sunt, nō solū mellita dicimus, sed ipsū
mel, sic etiā dū Cornū stibij vocatur Iobi filia, nō
solū pulcra dicitur, sed ipsa pulcritudo. Est autē
cornū non solū quod proprie sonat, sed etiam
quodcūq; vas e qualibet materia cōfectū, vt plu-
ribus in nostris cōmētariis in libros Regum, vbi
cornū olei sēpi⁹ audimus. Quare cornū stibij idē
est, quod pigmentorū arcula, pixides, lecythi, aut
si qua sunt alia aut vnguentaria, aut pigmentaria
vascula. Cum autē vox Hebraica p̄p̄ *keren* non
solū cornū significet, sed etiā splendorem, dū cor-
nū stibij vulgus filiā appellat Iobi, in illa talem
splendorem esse dicit, qualis est in stibio.

28.

*Filia nihil
accipit ex
hereditate
paterna.*

*Filia cum
nubunt in
sponsi fami-
liam tran-
seunt.*

29.

*Sponsa non a
parentibus
sed a sponsis
dote atque
nupta.*

30.

Verf. 15. *Deditque eis pater suus hereditatem inter
fratres eorum.*] Aliquid hic inulitatum inuenitur,
dū paternā hereditatis partē aliquā dicuntur ac-
cepisse Iobi filia. Quid hac de re ferat Idumeorū
cōsuetudo, aut lex nihil habemus ex Scriptura. Si
tamē ex Hebræorū republica sumi grauis aliqua
coniectura potest, filia sicut ad sponsi traduceba-
tur familiam, & genus, sic etiam ex paterna here-
ditate nihil adducebat, præter ornamenta aliqua,
nisi aliter vellet pater, qui manu omnino liberali
aliquid largiebatur. Quod autē sponsa familiæ
obliuisceretur antiquæ docet illa nubētū vītata
formula. *Audi filia, & vide, obliuiscere populum tuū,
& domum patris tui.* Quod item colligitur ex c. 21.
Leuit. vbi sacerdos iubetur non contaminari in
mortibus ciuū suorum, nisi tantum in cōsanguini-
neis, & propinquis, & addit; *Id est super patrem, &
matrem, & filiū, & filiā, fratrem quoque, & sororē vir-
ginem, que non est nupta viro.* Ecce quomodo à co-
gnatione iudicatur aliena, quæ alteri se matrimo-
niō cōiūxit. Et c. 22. cum permittatur his qui sūt
ē familia sacerdotis, sanctificatis vesci, etiā vernaculis,
non tamen permittitur filia nuptæ. Adde
quod non solū filia indotata traducebatur ad
spōsi domū, sed spōsus ipse oblata dote sibi cōe-
mebat spōsā: sicut fecit Dauid, qui ducentis præ-
putiis Philistinorū, & Iacob, qui multis annis du-
ra seruitutis vxores cōemerunt; neque à socero
quicquā accepit Iacob, nisi quod soluta dote re-
liquum fuit ex seruili opera multis annis impē-
sa. Hoc credo etiā apud Idumēos in vsu fuit, quo-
rum pater Esau, & Iacob frater illius temporis
cōsuetudinē nouerat, Et fortasse illā in eā regio-
nē introduxit. Fuit igitur Iobus cōtra patriū mo-
rē in filias liberalis, largiendo filiabus hereditatē
inter fratres, illis non inuitis, qui à sancto, bene-
ficōque parente mores videntur expressisse be-
nificos, & sanctos.

Verf. 16. *Vixit autem Iob post hæc centū quadra-
ginta annis.*] Longā satis, & fortunatam ætatem
egit Iobus post vexationem duram quidem, non
tamen admodū diuturnā. Quare satis Deus illius
cōpēsauit in tolerādo labore cōstātā, cum cētū,
& quadraginta annos addidit, plenos dignitatis,
gloriæ, & omnium rerum abundantiæ: ita vt omni
ex parte, si quis vllus in terra, fortunatissimus
existimari potuerit. Mortuus est autē senex ducē-
torū, arbitror, annorū (neque enim in ætate vide-
tur iuuenili à Domino percussus, quando nume-
rosam ex Regia cōiuge sobolē susceperat) & ple-
nus dierū, id est, cum iam illā ætatē impleuisset,
quæ sub illud tēpus sūma putabatur. Nā Patriar-
chæ, qui illū antecesserunt, quique fuisse dicuntur

Abrahæ, illius ætatē non adæquarunt. Vixit enim
Abraham centū septuaginta quinque annis, Gen.
15. v. 7. vixit Isaac centum octoginta, Genes. 35.
v. 28. vixit Iacob centū quadraginta septem annis
Genes. 47. v. 28. Quare ætatem Iobus longiorem
egit, & plenus dierum verè dici potuit quia sum-
mam annorum mensuram impleuit, neque vllus
fortasse eo sæculo vitā produxit longiorē. De hac
ætate Iobi vide quid nos su. c. 21. v. 21. Septuagin-
ta hic dicunt Iobum post plagam annos vixisse
cētum, & septuaginta, & tota vita annos imple-
se ducentos, & quadraginta, vnde id collegerint
non video.

De diebus vacuis, & plenis multa Patres, qui
vt illos valde reprehendunt, sic istos magnopere
commendant. de diebus plenis, & vacuis aliquid
nos supra c. 7. v. 3. ad illud; *Sic ego habui menses va-
cuos.* vide Gregoriū ad hunc locū, vbi docet illos
dierū dici plenos, qui dies in operibus bonis po-
suerunt. nā dies quantūcūque diuitiarū, aut ho-
norū acquirāt, vacui sunt, quasi nullum ē suis la-
boribus emolumentū caperēt, quia quod sancti-
tatē non olet, instar obtinet nihili & verè vacuus
moritur, qui nihil lucratus est, quod ex hac vitā
discedentē sequatur. Sic Abraham, & Isaac locis
proximē citatis mortui dicuntur dierū pleni; *Va-
cuus,* inquit Gregorius, *dierum est, qui & quamlibet
multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate con-
sumit. At cōtr a plenus dierum dicitur, cui nequaquam
dies sui pereundo transeunt, sed ex quotidiana merce-
de boni operis apud iustum iudicem, & postquam trā-
facti fuerint, reseruantur.* Tales dies egit Iobus me-
ritorū plenos, tales labores pertulit à mercede
nō vacuos, vt quietem obtinuerit, & otīū relinqui
vitæ tempore, & postea in beatorū auo, & nunc
agat fortunatā vitā, & acturus sit in omni æter-
nitate veris, & immortalibus bonis affluentem.

Libet hoc opus eo præclaro documento con-
cludere, quo Eusebius Emislenus homil. 9. mo-
nachos religiosos viros ad opera exhortatur, quæ
& Deo placeant, & à iusto iudice mercedē expe-
ctēt; *Solemus,* inquit, *annos nostros, & temporum spa-
tia, quibus nūc viuimus supputare. Non te fallat qui-
cumque ille est, numerus dierum, quos hūc relicto cor-
poraliter sæculo consumpsisti. Illum tantum diē vixisse
te cōputa, in quo voluptates proprias abnegasti, in quo
malis desideriis restuisti, quem sine vlla regule trans-
gressione duxisti, illum diē vixisse te computa, qui
puritatis, & sanctæ meditationis habuit lucem.*

Hic finis esto commentariorum in Iob, longus
sanè labor, vtinā plenus, & qui à Deo animorum,
operūque iudice mercedē expectet. In illis si
quid peccatum est, quod sanè non semel accidisse
reor, ignoscat oro beatus Iob, quem ad hoc opus
aduocauī patronum, & quoad potui, illius cogi-
tationes, & sensus explorauī. Ignoscet itē beni-
gnus lector, si cōsideret opus esse impeditum, &
lōgū, & quod magnis etiā ingeniis multū attule-
rit negotij. Quicquid verò à me scriptū est, quic-
quid vnquā deinceps lucē aspexerit, ecclēsiæ sã-
ctæ, & doctorū hominū cēsura submitto. Abso-
luta sūt Cōpluti die 20. Iunij, pridie eius diei qui
ex hac mortali ad meliorē vitā euocauit B. Ludo-
uicum Gonzagā ex nostra Societate virum reli-
